
Vol

[illegible]



PROMPTVARIVM

SACRAMENTORVM:

PECCATORVM MORTALIVM:

S. M. E. CENSVRARVM;

Omniumque casuum, tàm Romano Pontifici, quàm locorum Ordinarijs in Iure Canonum reseruatorum;


nec non

Vsurarum, Venditionum, Restitutionum, Accusationum, Decimarum, Vectigalium, Vestimentorum, Votorum, Iuramentorum, aliorumque multorum dubiorum,

Imò quasi infinitorum; quæ à Sacris Doctoribus, præcipuè Diuo Thoma prolixè tractantur, vtpotè ad animarũ curam, & confessiones audiendas.

nec non ad sacrorum ordinum promotionem necessaria in eo facili negotio, quilibet poterit colligere, Opus quippè valdè vtile, ac necessarium.

AVTHORE F. FRANCISCO MAIORANA LAGHANA Calabro Rhegiensi Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula.



MESSANÆ, Typis Iacobi Matthæi. 1644. Super. permissu.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO
Domino

DOMINO MARTIO

S. R. E. Diacono

CARDINALI AMPLISSIMO

GINETTO ET

S.mi D. N. PP. VRBANI VIII.

IN ALMA VRBE

EIVSQVE DISTRICTV VICARIO

Patrono Colendissimo.

FRATER FRANCISCVS MAIORANA
Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula.
Fœlicitatem perpetuam.



Vòd veterum scriptorum vsu hactenus fuit obseruatum, ac sapientum monitis comprobatum (Eminentissime Princeps) qui nouum opus edere cogitant, Principem aliquem virtutibus clarum, atq; præstantem, & potentia pollentem etiam deligunt, cuius auspicijs editum postea opus æstimationem, & robur accipiat, simulq; protegi ab inuidorum latratibus possit; quod mihi in editione huius operis maximè necessarium censens, præsertim cum de re maxima in eo agatur. nempè de instrumentis ad salutem animarum neceßarijs, cogitansq; pariter sub cuius vmbra id ipsum opus excußum typis ederem, te solum quasi inter sidera splendidissimum intuitus sum,

 2 cuius

cuius si quis dignitatem spectet, diuina inuenit authoritate pollere, si studia, & disciplinam cum virtutibus, quibus es praeditus, cunctis anteire, atq; excellere, fateri cogitur. Quare ipse non parum me Deo Optimo Maximo debere profiteor, cum hic meus libellus orphanus talem, ac tantum ipsius Dei gratia, & benignitate Principem, ac tutorem sortitus fuerit. Ceterum quas eximiæ tuæ liberalitati dignas gratiarum referam actiones, aut laudum paria mentis afferam præconia ipse omnium minimus, & minimorum ordinis professor? de te solum dicam, magni tui nominis, & præclarissimarum virtutum famam, grauitatem cum humanitate coniunctam vires omnis eloquentiæ maximè superare, ità vt si calamo Apellis pennicillum æquarem, nequè vlla ex parte earumdem præclarissimarum tuarum virtutum vmbram, ne dum perfectiones attingerem, vel innuere, non dicam exprimere, possem; quamuis etiam cum per se luceant, & in legatione apud Cæsarem, qua præstantissimè functus es, atq; in Ferrariensi altera, & munere quo nunc Almæ istic pro Sanctissimo D. N. fungeris adeò claruerint, & in dies magis elucescant, vt aliquid verbis addere velle, soli lumen addere niti potiùs viderer, quam aliquid facere; immò delirare, vt Phormioni de officio militis differenti apud Annibalem fuisse non insulse obiectum, legimus apud Plutarcum. Accipe igitur hylari fronte Eminentissime Princeps Promptuarium hoc Sacramentorum, neq; rude ipsum munusculum abhorreas, sed Artaxesse præstantior vultu sereno intuere, illudq; meq; ipsum ditioni, & amplitudini tuæ addictum seruum excipere, & protectione sub tua in posterum retinere non graueris. Atq; te Deus Optimus Maximus incolumen Diù orbi, & mihi, vt eumdem assiduè oro, seruet, & tueatur. Rhegij Calabriæ iij. Non. Decembris MDCXLII.


AD

AD LECTORES SACERDOTES.





Icut elapsis mensibus, ad omnium peccatorum salutem, Lauacrum Sacramentale in lucem edidi: in quo ipsorum quilibet breuiter, faciliquesermone inuenire poterit, quæ & quanta sint, ad veram Pœnitentiam agenda, necessaria, causa redimendi mortalia peccata; ita hodierna luce ad vestram omnium Sacerdotalem salutem, hoc mando, Promptuarium Sacramentorum; in quo vestrum quilibet etiam breuiter, facilique sermone poterit comperire, quæ, & quanta sint ad Sacramentorum administrationem, atq; animarum curam scienda, ac operanda, & quidem in hoc opusculo longas doctorum quæstiones, allegationumque numerositatem omisi, duplici ex causa. Prima, ratione breuitatis. Secunda, nè simplices confunderemur Sacerdotes, ob quos præsens mandatur opus. Omnia quæ in hoc reperiuntur opusculo; vel sunt Sacrorum Doctorum communia, vel maioris partis, maximè D. Thomæ Aquinatis. Accipite ergò omnes ipsum, diligenterq; perlegite, vt multa, & quasi infinita, quæ in diuersis Doctorum libris fusè, ac prolixè tractantur, breui, ac facili methodo percipere possitis. Valete.



Supe-

Superioris licentia.

Frater Raphael Pizzurnus, totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

VI præsentium, facultatem concedimus P. Fr. Francisco Maiorana prædicti Ordinis Sacerdoti professo, ac Theologo, typis mandandi opuscula duo de Sacramentis, ab ipso composita; dummodò tamen à duobus eiusdem instituti Theologis: per Reu. Patrem Correctorem Prouincialem illius Prouinciæ, in qua conuentualis existet, nominandis, examinentur, atque approbentur. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in nostro S. Andreæ de Fractis Conuentu. Idibus Nouembris 1638.

Frater Raphael Pizzurnus, Corrector Generalis.

Facultas Adm. Reu. Patris Prouincialis, ad hoc opus videndum.

EGo Frater Franciscus à S. Blasio, Minimus vlterioris Calabriæ Prouinciæ Prouincialis, ex supradicta Patris Reuerendissimi auctoritate, vobis Patribus præcipio Fratri Dominico à Roccella, ac Fratri Ioanni à S. Blasio Nostræ Minimitanæ Religionis Theologis, & concionatoribus, duo de Sacramentis opuscula à P. Fratre Francisco Maiorana composita, vt videatis; & à vobis vt digna comperta, tandem typis emandentur. Datum Rhegij vndecimo Kalendas Augusti 1640.

Frater Franciscus à S. Blasio, Minimus Prouincialis.

Locus ✠ Sigilli.

OPE-

Operis Approbatio.

EX supradicta auctoritate mihi concessa; Ego Frater Dominicus à Roccella Theologus, & Predicator Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, vidi presens Opus, Sacramentorum Promptuarium nuncupatum, ab Adm. Reu. Patre Fratre Francisco Maiorana compositum; & illud accuratè legendo, nihil, quod esset contra Catholicam fidem, vel contra bonos mores comperii, imò summopere (coelicam continens doctrinam, ad æternam faciens animarum salutem) omnibus Christi fidelibus vtile, ac necessarium tale opus existimaui. Datum Rhegij idibus Februarij 1641.

Ego Fr. Dominicus à Roccella, qui supra, &c.



Operis Approbatio.

EGo Frater Ioannes à Sancto Blasio Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Sac. Theol. Lector, & Concionator; ex auctoritate superius lata, vidi præsens opusculum Promptuarium Sacramentorum appellatum à Patre Fratre Francisco Maiorana compositum, & illud accuratè legendo, nullam in eo contra fidem, vel Ecclesiasticos mores, rem comperi: sed quidem curatis, ac minores, maioresque Ordines suscipere volentibus, valdè vtile, ac necessarium. Datum S. Blasij Kalendis Maij 1641.

Ego Fr. Ioannes à S. Blasio, qui supra, &c.

Reue-

Reuerendissime Domine.

VIdi opus Reuerendi Patris Francisci Maiorana, nominatum Promptuarium Sacramentorum, & qua potui attentione consideraui, & nihil in eo contra fidem, nihil contra bonos mores ingenioli mei tenuitate conspexi; qua propter si Reuerendissimæ tuæ Dominationi videbitur, imprimi posse mandabis, & hanc meam sententiam qualiscunq; illa sit Doctiorum hominum, & S. R. E. iudicio semper, & humiliter suppono. Messanæ die 19. Iulij 1642.

Alphonsus Raya.



Imprimatur
Don Ioseph Stagnus
Vic. Gen.

Imprimatur
De Rao pro Ill. Presid.
de Denti.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM, HOC IN OPERE CONTENTARVM.

Nota, quòd in hoc Indice, litera F, significat folium; litera verò N, significat numerum.

ori-

Qui-

Bal-

Quare

Quis

b nefi-

Qui-

rum

An

A quo,

Sub-

Qui

An

ipso-

De

De

De Peccatis Linguæ.

De Correctione Fraterna.

De Ieiunio.

De Eleemosyna.

De Indulgentia.

Pars Tertia, quæ breuiter agit, quid sit Excommunicatio, Suspensio, Interdictum, ac Irregularitas, & quot sint Excommunicationis casus tàm Romano Pontifici, quàm Locorum Ordinarijs in Iure Canonum reseruati.

De Excommunicatione.

xum,

De

FINIS INDICIS.




PARS PRIMA,

QVÆ DE SEPTEM INTERROGAT SACRAMENTIS:

Hisquè Primò

DE SACRAMENTIS IN COMMVNI.



QVid est Sacramentum in communi? 1

Respondeo; quod multæ sunt super hoc Sacrorum Doctorum sententiæ, hic autem sic dicendum est, Sacramentum in communi est signum rei sacræ, hominem viatorem sanctificantis.

Quare dicitur signum? 2

Respondeo; quia nimirum ipsum Sacramentum præter ipsius externam cognitionem, ducit nos in alterius rei notitiam inuisibilis, scilicet interioris absolutionis, seù sanctificationis animæ, Sacramenta siquidem nouæ legis non solùm sunt purè signa, sed signa practica producendo quidem verè id, quod significant; Et sic in Baptismo illa exterior corporis ablutio signum est interioris ablutionis animæ, & etiam causa ipsius est.

Quare dicitur hominem? 3

Respondeo; quoniam animal irrationale incapax est receptionis Sacramentorum, licet ipsi aliquod Sacramentale applicare possimus, puta signum Sanctæ Crucis, aquam benedictam, ac etiam benedictionem, vt supernus conditor rerum clarum nobis donauit exemplũ Geneseos primo, illis verbis. Benedixitquè eis, (ait Moyses) dicens. Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesquè multiplicentur super terram. Et hoc quantum ad humanæ naturæ beneficium, non autem quantum ad aliquam ipsorum supernaturalem virtutem. Vbi aduerte, quod quando Psalmo 35. legis. Homines, & iumenta saluabit Dominus, illud nomen, iumenta, nè ad irrationalia referas animalia, sed ad hominem peccatorem, peccator siquidem vita non viuens spirituali, hoc est gratiam non habens diuinam, iumentum à diuina iustitia vocatur; peccando enim deordinat se à recto fine, ac proindè est veluti sinè intellectu, vt innumeris in locis hoc sacra

indicat Scriptura præcipuè Psalmo 48. Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

4 Quare dicitur Viatorem?

Respondeo; quoniam mortuo, aut impassibili, scilicet resuscitato, non prosunt Sacramenta, nec illi danda sunt; homo enim mortuus, aut impassibilis, &c. in manu Dei est diuinæ Iustitiæ, non verò in sua, vel in manu Ecclesiæ Sacramenta ministrantis.

5 Quot sunt Sacramentorum genera?

Respondeo, duo. Veteris legis, & nouæ legis.

6 Veteris, & nouæ legis Sacramenta sunt nè inter se æqualia, an differunt?

Respondeo differunt, & hoc de catholica est fide tenendum præsertim per Trid. sess. 7. can. 2. dicens. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi: anathema sit.

7 In quo differunt veteris, & nouæ legis Sacramenta?

Respondeo in quinque. I. quia veteris legis Sacramenta perfectissimam gratiam quam significabant, minimè conferebant: Sacramenta verò nouæ legis, perfectissimam, quàm significant gratiam continent, & conferunt ea dignè sumentibus. D. Th. 3. p. q. 65. art. 1. & Trid. sess. 7. can. 6.

8 Non conferebant veteris legis Sacramenta perfectissimam gratiam, quam significabant, quoniam per Adami peccatum, nè dum ipse indignationem incurrit Iustitiæ diuinæ, verum etiam omnes eius posteri, totaque humana natura. Vnde duplex erat illo tempore indignatio Dei; nimirum contra Personam, & contra Naturam. Sacramenta ipsa veteris legis tollebant indignationem primam contra particulares homines: manebat autem adhuc indignatio Dei, contra totam humanam naturam, quæ generalis indignatio nunquàm vsquè ad aduentum Christi Redemptoris fuit à tota natura humana ablata, & sic recipientes Sacramenta illo tempore, non erant Deo perfectè grati, & accepti, sicuti nunc sunt, quando omnis prorsus, ac vniuersalis diuinæ Iustitiæ indignatio per merita Iesu Christi infinita perfectissimè est oblata, & pacificè placata.

Diffe-

Differunt secundo, quia veteris legis Sacramenta ex opere operantis, scilicet Sacerdotis gratiam conferebant: sed nouæ legis Sacramenta ex opere operato, nimirum à Christo. 9

Differunt tertiò, quia Sacramenta veteris legis non semper 10 æquali modo gratiam recipientibus conferebant, sed nunc maiorem, nunc minorem. Vndè dum Sacramenta ipsa veteris legis gratiam conferebant ex opere operantis, non semper operans in æquali modo in Sacramentorum administratione dispositus erat, sed modò plus, modò minus, & sic Sacerdos ipse in quali dispositione maiori, vel minori existebat, Sacramenta ipsa veteris legis maiorem, vel minorem gratiam conferebant. At nouæ legis Sacramenta non sic, modò plus, modò minus, sed semper tantam, nam Christus cooperans in ipsis Sacramentis, non est vt Sacerdos, illius legis modò plus, modò minus ad gratiam dispositus, sed semper tantus, ipse namq; est fons perennis gratiæ, animam sanctificantis.

Differunt quartò, quia veteris legis Sacramenta, non omnia 11 de Attrito faciebant contritum, sed illa tantùm, quæ ad salutem erant necessaria, putà Circumcisio, ac illa Parentum ad templum infantium præsentatio pro peccato originali: sed nouæ legis Sacramenta ne dum ea, quæ ad salutem sunt necessaria, vt Baptismus, ac Pœnitentia, verùm etiam omnia alia talem habent effectum, secundùm veriorem Sacrorum DD. opinionem, præcipuè per Barthol. Med. lib. 2. c. 6. dum enim Sacramenta ipsa nouæ legis gratiam non conferunt ex opere operantis, vt veteris legis conferebant Sacramenta, sed ex opere operato, non est maior ratio, ac vis in vno, quàm in alio, quantùm ad culpam abolendam mortalem.

Dicitur (quantum ad culpam abolendam mortalem) quoniam in alijs Sacramentis asserere possumus, vnum Sacramentum esse alio dignius. Et hoc quadrupliciter.

Primò: Ratione necessitatis, atquè efficaciæ, & in hoc præualet omnibus Baptismus, cum sit ipse omnium Sacramentorum ianua, & principium, ac omnem tollens culpam, illam primariam restituens innocentiam, duo solummodò in baptizato remanent mala, nimirum concupiscentia, licet debilitata, & peccati originalis transfusio per generationem, & hoc accidit naturæ humanæ, sicuti, & frumento, quod sinè pa- 12

lea seminatur, & deindè cum palea colligitur.

13 Secundò. Ratione antiquitatis, atq; prioritatis, & in hoc præualet Matrimonium: vnde habetur in lib. de Reg. Iuris, quod qui prior est in ordine; potior est in Iure; nam Matrimonium in Innocentiæ statu fuit à D. O. M. institutum, quandò Geneseos 2. dixit: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Verùm tamen est, quod tunc non erat vt Sanctæ M. Ecclesiæ Sacramentum: sed solum, vt naturæ officium, sicuti nunc est populis non christianis.

14 Tertiò. Ratione dignitatis, & in hoc præualet Confirmatio, & Ordo, ipsa enim talia Sacramenta per Episcopum ministrantur, ac conferuntur, non autem per simplicem Sacerdotem, vt alia conferri, & ministrari solent in Ecclesia Sancta Dei.

15 Quartò. Ratione rei existentis, & in hoc, omnibus præualet Eucharistia; in ipsa enim nè dum gratia gratum faciens continetur, & existit: verum etiam Christus fons omnis gratiæ, & Sacramentorum author, secundùm carnem, animam, & Diuinitatem, eo modo, quo de Virgine Maria natus est, ac in Crucis patibulo mortuus; qua de causa Sacri DD. hoc Sacramentum vocant, geminæ rei, idest inuisibilis gratiæ, & Christi ibidem existentis, alia siquidem Sacramenta vnius sunt rei; nimirum inuisibilis gratiæ tantùm.

16 Differunt quintò Sacramenta veteris legis à Sacramentis nouæ legis; quia illorum nullum in anima indelebilem imprimebat characterem, sed nouæ legis multa, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo; veteris legis nullum Sacramẽtum in anima characterem indelebilem conferebat: ipsorum enim nullum consecrabat hominem ad aliquas peculiares dignitates exercendas in Ecclesia Sancta Dei, sed tantum ad gratiam, & charitatem; Sacramenta verò legis Euangelicæ .s. Baptismus, &c. ad gratiam, & charitatem, & etiam ad aliquas exercendas dignitates in Ecclesia Sancta Dei.

Vndè Baptismus consecrat hominem ad recipiendum, ac ministrandum cętera Sacramenta: Confirmatio consecrat hominem ad confitendum Christi nomen contradicentibus ex officio; Ordo hominem consecrat ad instituendum in Ecclesia Dei ministrum, vt alibi dicetur.

Hic autem aduerte, quòd nec Abraham, nec alius sanctus Pa-

ter veteris legis in animá habet characterem indelebilem, qui quidem character est signaculum quoddam ad instar coronæ realis, vt infra dicetur.

Fuerunt nè in omni lege Sacramenta? 17

Respondeo, quòd sic; nam Deus cum esset infinitè misericors, suam infinito amore diligens rationalem creaturam, semper, & omni tempore prò huius creaturæ salute Sacramenta instituit, ac ordinauit; & quamquàm apud aliquos oppositum videatur, quòd nimirum non fuerint in illo naturæ statu pro peccatis Sacramenta instituta etiam prò originali. Quorum vnus Aurelius Augustinus lib. de Perseuerantia c. 12. & lib. de Nat. & gratia c. 8. inquit. Esse aliquos paruulos, quos Deus saluare noluit, neque de remedio vllo prouidere, ad ostensionem iustitiæ suæ, quoniam in eis causa est sufficiens suæ damnationis, peccatum scilicet originale. Non est quippè secundùm veram doctrinam amplectendum, & principaliter per Innoc. III. Qui, absit, vt vniuersi populi pereant (ait ipse) quorum quotidiè tanta moritur multitudo; quin ex ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauit ad salutem.

Hoc tamen comprobatur Theologico D. Thomæ discursu. Deus, voluntate antecedente vult omnes homines saluos fieri; ergo opus erat, remedium aliquod instituisse in illo statu naturæ ad salutem necessarium. Vnde nisi tribuisset remedium aliquod: voluntaria esset Deo eorum damnatio. Sicuti enim ipse in causis necessarijs vult necessariò causam, vult etiam ex consequenti necessariò effectum: sic si Deus ipse in illo statu Naturæ non prouidisset paruulis remedium ad salutem ipsorum necessarium, ex cuius negatione necessariò ipsorumdem sequebatur damnatiò, illorum profectò peritionem, & ruinam vellet, quod quantò sit ab immensa Dei bonitate, & misericordia nemo non videt esse alienum.

Probatur etiam ex eodem Augustino, qui licet supra affirmet, quòd non fuisset pro paruulis remedium in illo statu naturæ pro originali peccato: nihilominus lib. 5. contra Iulianum cap. 9. ad comprobandum, Deum aliquòd remedium pro paruulorum salute, ac originali peccato liberatione reliquisse; sic aduersus illum loquitur. Non est credendum antè datam circumcisionem, paruulos, in vllo Dei Sacramento adiutos fuisse ad eorum salutem

tem necessario. quomodo autem in illo statu naturæ liberentur pueri ab originali peccato, infra nobis erit sermo: cum de Baptismo n. 43.

18 Qualis est Sacramentorum virtus?

Respondeo, quod est in anima gratiæ, & characteris infusio.

19 Quid est character?

Respondeo, quod est signaculum pulchrum ad instar coronæ realis, atquè importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus. Vnde homo per eam efficitur capax ad Sacramenta ministrandum in Ecclesia Sancta Dei. Et sic homo in Baptismo potestatem accipit alia recipiendi, quæ omnia characterem præsupponunt baptismalem; in Confirmatione perficitur, atquè potestatem accipit, Christi nomen ex officio confirendi coram Tyrannis, & alijs huius tremendi, & sancti nominis hostibus, in ordine potestatem accipit, alijs ministrandi, & conferendi Sacramenta in Ecclesia Sancta Dei.

20 Ad quid dicitur character?

Respondeo; ad significandum inuisibilem gratiam, quæ in Sacramento confertur, ad configurandum Christo, & distinguendum Christi fideles à seruis diaboli.

21 Quare Character dicitur, quod sit indelebilis ab anima?

Respondeo, quoniam radicatur in anima, & contrarium non habet, sicuti gratia habet peccatum contrarium, cuius aduentu abit ipsa gratia; non sic Character; nam si millies, & millies homo peccaret, & demum moriretur, semper habet characterem, quoniam character est quædam consecratio, quod autem est semel consecratum, perpetuò remanet consecratum, nisi res ipsa iam consecrata pereat, & quia anima nostra semel à Deo consecrata non perit, cum sit sempiternè immortalis, ita consecratio ipsa, quæ character esse dicitur in æternum in anima perdurat, qua ratione Angelicus Doctor, inquit 2.2.q.39. art.3. Semel consecratum, si durat, non posse vlterius eãdem consecrationem recipere.

22 Vndè habent Sacramenta, suam efficaciam, & vim remittendi peccata, & gratiam conferendi, & characterem?

Respondeo, à morte, & passione Iesu Christi, per quam Deus meritoriè, & satisfactoriè nostram operatus est salutem, & sanctificationem.

Hic est notandum, quod in Sacramentis, tria figurantur. Primum,

num, causa effectiua nostræ sanctificationis, scilicet passio Iesu Christi Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, & 1. Cor. 11. quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis, &c. Secundùm est causa formalis sanctificationis, scilicet gratia. Tertiùm, quod figuratur est causa finalis, quæ est gloria æterna, quæ omnia simul habes in illo, quod Sancta canit Ecclesia. O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, ecce primū. Mens impletur gratia, ecce secundùm. Et futuræ gloriæ nobis pignus datur, ecce tertiùm.

Quot considerantur in vnoquoque Sacramento? 23

Respondeo; tria, videlicet. Sacramentum solùm, res sola, & res, & Sacramentum simul. Sacramentum solùm in Baptismo, est ipsa corporis ablutio cum forma recta verborum, res sola, siuè effectus ipsius, est gratia gratum faciens. Sacramentum, & res Sacramenti simul, est ipse character in anima indelebiliter existens. In Pœnitentia Sacramentum solùm est pœnitentis confessio, confessorisquè absolutio, quæ quidem est huius Sacramēti forma, res, siuè effectus est ipsa gratia iustificans, qua fit peccatorum remissio. Sacramentum, & res Sacramenti simul, est ipsa contritio, quæ à Pœnitentia exteriori causatur, vbi aduerte, quod peccatorum absolutio non est Sacramentum: sed pars formalis ipsum complens, & perficiens.

Quæ est materia, forma, ac ministri intentio in vnoquoq; Sacramento? 24

Respondeo, materiam esse Elementum sensibile, vt in Baptismo, aqua elementaris: in Pœnitentia actus pœnitentis, forma sunt verba à Iesu Christo, & Ecclesia eius sponsa ordinata, vt in Baptismo: Ego te Baptizo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti. ✠ Amen. Vnde Augustinus inquit. Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. Ministri intentio est, vt facere intendat, quod Sancta Mater Ecclesia facere intendit.

Præterea dicendum est, quod ministri intentio in Sacramentis, 25 duobus modis esse potest, puta formalis, & virtualis. Formalis, quæ etiam explicita dici solet, est quando in ipsomet actu aduertit, atquè intendit actum ipsum, quem facit, & ministrat, vt cùm baptizat, vel absoluit, habet in actu baptizandi, vel absoluendi, inten-

intentionem actualem, & explicitam siuè in mente, siuè in ore. Virtualis verò intentio est, quando quis in operis principio habet quidem formalem, & actualem, seù explicitam intentionem faciendi, ac ministrandi id, quod in tali actu facere, & ministrare solet Sancta Mater Ecclesia; at postea in progressu ipsius actus obliuiscitur, & fugit ipsum illa intentio prius habita, & non aduertit ad id, quod facit, & dicit; in hoc casu intentio illa prima, quam habuit in initio actus, quantum ad validitatem ipsius actus sufficit. Et sic quidam Sacerdos de Sacristia ad altare descendit ad celebrandum, vel ad Confessionale ad confitendum; in prolatione verborum sanctissimæ Eucharistiæ, vel Pœnitentiæ fugit cum talium Sacramentorum intentio, in hoc casu, & huic similibus (quamuis melius sit, quòd semper adsit formalis, ac actualis, seu explicita intentio) verè sunt Sacramenta S. M. E. per illam primam intentionem, & voluntatem, qua descendit de sacristia ad altare, vel confessionale ad talia facienda, & ministranda Sacramenta; licet enim cessauerit in ministro prima illa intentio, remansit tamen in ipso illius primæ intentionis virtus, quæ secundùm Sacros DD. sufficit ad conficiendum Sacramentum, & ipsa intentio virtualis est eadem intentio formalis, actualis, seù explicita, perseuerans dummodò non sit per contrarium actum reuocata.

Notandum illud est, quod diximus, nimirum, De Sacristia descendit; nam si multum temporis intermitteret ipse Sacerdos, scilicet hodiè pro crastino, tunc nullum conficeretur Sacramentum; nam dum in ipso ministro tantùm tempus currit in somno, supponitur, quòd alijs sua vacaret intentio, illam formalem, actualem, seù explicitam voluntatem Sacramentum perficiendi relinquens. imò hic asseuerare possumus, quòd etiam destrueretur virtualis intentio, & voluntas illa conficiendi Sacramentum, per mortale peccatum moraliter loquendo; dum enim talis Sacramentorum minister habet animum peccandi mortaliter; jam ipse conuincitur, & supponitur ipsam nòn habere intentionem, & voluntatem Sacramenta conficiendi.

26 Quot, & quæ causæ concurrunt in Sacramentis?

Respondeo sex. Prima, efficiens, & est solus Deus; ipse enim solus in Sacramentis peccatum remittit, & gratiam, & charitatem confert animæ. Secunda, materialis, quæ est elementum sen-

sensibile. Tertia, formalis, quæ sunt ipsa verba à Christo prolata & præcepta, & ab Ecclesia ordinata. Quarta, finalis; quæ est ipsa gratia iustificans, & character. Quinta, meritoria; scilicet Passio, & Mors Iesu Christi. Sexta, & vltima, instrumentalis minister, siuè bonus, siuè malus; dummodò intentionem habeat faciendi, id quòd instituit Christus agens principale (ratione excellentiæ, quatenus humanitas est vnita ad Personam Verbi) & quod facere intendit S. M. Ecclesia.

Potest nè minister, aliquid addere, vel detrahere ex eis, quæ ad formam pertinent Sacramentorum? & si faceret, an conficeretur Sacramentum? 27

Respondeo, quò ad primum quod non; quò ad secundum; si minister addens, vel diminuens intenderet inducere alium ritum ab Ecclesia diuersum certò non conficeret Sacramentum; similiter etiam non conficeretur Sacramentum; si additio, vel diminutio talis esset, quod corrumperet essentialem, & substantialem sensum verborum ipsius formæ.

An ego, & Amen, Sint de essentia Sacramenti? 28

Respondeo, quòd non; talia enim in Sacramentis ad maiorem expræssionem intentionis imponuntur. Verum quidem est, quòd minister mortaliter peccaret si absquè illis baptizaret, vel absolueret, maximè quando hoc faceret praua, & dolosa intentione, ac etiam in contemptum Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Præterea à sacris DD. nimis strictè philosophantibus iubetur ministris Sacramentorum, quòd maiorem debent adhibere diligentiam in non amittendo particulam. Ego, quàm. Amen. Licet neutram amittere debeant.

Est ne in Sacramentis, signum sanctæ Crucis necessarium? 29

Respondeo, quod licet videre apud Victoriam in Summa num. 43. quòd in Confirmatione signum sanctæ Crucis sit necessarium, quia in forma huius Sacramenti dicitur: Signo te signum Crucis; nihilominus secundùm veram communemq; doctrinam, necessarium non videtur esse. Debet nihilominus minister illùd semper adhibere; antiquissimus enim est ritus in Ecclesia sancta Dei, omne Sacramentum signo sanctæ Crucis conferri; ad significandum, quòd omne Sacramentum virtutem, ad

efficaciam habet remittendi peccata, vel gratiam conferendi per mortem, & passionem Iesu Christi in ligno Sanctæ Crucis consummatam.

30 Quot, & quæ sint Sacramenta in Ecclesia sancta Dei?

Respondeo esse septem, vt principaliter est videre apud Tridentinum sess. 7. can. 1. puta. Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

31 An omnia hæc septem Sacramenta gratiam conferant dignè sumentibus?

Respondeo, quod sic; & oppositum tenere hæreticum est per idem Conc. Trid. vbi supra.

32 Quis hæc septem instituit Sacramenta, atquè ordinauit in Ecclesia sancta Dei?

Respondeo per idem Sacrum Concilium Tridentinum, quod Iesus Christus Dominus noster, & si quis oppositum dixerit, vel tenuerit, Anathema sit. Sacramenta enim instituere, atq; ordinare, oportet habere authoritatem excellentiæ Dei, quam certè solus Christus habet.

33 Quare Christus septem tantùm Sacramenta instituit, & ordinauit in sua Ecclesia, & non plura, nec pauciora?

Respondeo, quoniam septem tantùm ad vitam requiruntur spiritualem, sicuti ad vitam corporalem requiritur primò Natiuitas, & hoc consequimur per Baptismum; per ipsum enim ad vitam renascimur spiritualem. Secundò, consolidatio, seu membrorum roboratio, & ipsorum augmentum, & hoc præstat nobis Confirmatio, per hanc enim reddimur fortes, & constantes, ad profitendam Iesu Christi fidem coram Tyranno cum fuerit necessarium. Tertiò, Medicina in infirmitate quam per Pœnitentiam habemus; hæc enim sanat spiritualia vulnera mortifera animæ peccatricis. Quartò, Cibus, qui est in vita spirituali, ipsa Eucharistia; per hanc enim anima Christiana feliciter vita viuit spirituali, & pinguedinem spiritus abundanter acquirit. Quintò, Remedium, contra reliquias infirmitatis, quod profectò per Extremam vnctionem confertur, hoc si quidem est peculiare in hoc Sacramento, vt clarè patet ex illo Epistolæ Catholicæ D. Iacobi Apost. cap. 5. Et si in peccatis sit, (nimirùm infirmus) remittentur ei. Sextò, requiritur aliquis, qui possit hæc nobis ministrare supradi-

cta in vita corporali, & hic talis est Sacerdos per Sacramentum Ordinis constitutus ad prædicta alia ministrandi Sacramenta, ad proinde talis minister habetur per Sacramentum Ordinis. Septimò, & vltimò, quod sanctè ministraturus Sacramenta, sanctè nascatur, & non ex nefario coitu, & hoc per Matrimonium, quod est vltimum Sacramentum, habetur.

In quo differunt inter se hæc septem Sacramenta? 34

Respondeo in quinque. Primò differunt, quòd quædam ipsorum simpliciter sunt ad salutem necessaria, vt Baptismus; quædam sunt necessaria ex Sanctæ Matris Ecclesiæ præcepto, vt Eucharistia semel in annò, & Confirmatio primam volenti suscipere Tonsuram; quædam sunt necessaria respectu S. M. Ecclesiæ, vt Ordo, per ipsum enim ministri ipsius S. M. Ecclesiæ creantur; quædam sunt necessaria, quoniam commodius finem consequimur, & sic Confirmatio perficit Baptismum, Extrema Vnctio Pœnitentiam, Matrimonium perficit propagationem fidelium.

Secundò differunt, quia quædam sunt irreiterabilia, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, ita quod si Sacerdos mortuus resuscitaretur, nullum horum trium deberet reassumere Sacramentum, quædam sunt iterabilia, atq; frequentabilia laudabiliter, vt Pœnitentia, & Eucharistia: quædam verò sunt iterabilia, sed non frequentabilia, vt est Extrema Vnctio.

Tertiò, differunt, quia tria imprimunt in anima characterem indelebilem etiam per mortem, quòd sępius in opere dictũ à nobis fuit, & sic baptizati vnum habent in anima Characterem, Confirmati, & ordinati tres habent in anima characteres, qui quidem ex Tridentino sess. 7. can. 9. sunt signa quædam spiritualia, & indelebilia, manent autem in bonis ad maiorem ipsorum gloriam; in reprobis verò in testimonium perfidiæ aduersus illos sempiternum, qui à diaboli seruitute, à qua per Baptismum liberati fuerunt, iterum propria voluntate, & culpa illi sese dederunt.

Quartò differunt, quia sex Sacramenta conferuntur, & consistunt in actu, atq; applicatione, nimirum dum à ministris conferuntur, Chrysma enim ab Episcopo in die Cœnæ Domini consecratum non est Sacramentum Confirmationis, sed quando Episcopus actualiter vngendo confirmabile profert formam, est

Confirmationis Sacramentum, nec aqua benedicta in baptismali fonte existens, est Sacramentum Baptismi, sed quando minister cum ea Baptizat actualiter infantem, vel adultum, &c. At Eucharistia sic dumtaxat quando consecratur, & sumitur est Sacramentum: verum etiam cum in tabernaculo, ac vbicunque inuenitur: vbicunquè enim reperitur hostia consecrata ritè à Sacerdote, verum ibi, ac realissimum est Eucharistiæ Sacramentum, quod certissimè continet Christum cum Anima, Carne, & Diuinitate, vt fuit de Virgine Matre natus, &c.

Quintò, differunt ratione materiæ, & formæ, quæ quidem diuersa est in vnoquoq; Sacramento. Et sic in Baptismo materia eius, est aqua elementaris, forma: Ego te Baptizo in nomine Patris, ✠ & Filij, &c. in confirmatione materia eius est oleum benedictum ex oliuis expressum. Forma, ego signo te signo Crucis, confirmo te chrysmate salutis, in nomine Patris, ✠ & Filij, &c. Vndè in his duobus Sacramentis necessaria simpliciter est Sanctissimæ Trinitatis inuocatio, vt scilicet minister dicat in ipsorum forma: In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti: in his enim duobus Sacramentis solum fit fidei professio: in ceteris autem ex S. M. Ecclesiæ præcepto, ac antiqua consuetudine, vt scilicet minister dicat in eorum forma: In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ Spiritus Sancti ✠. Et sicut in Baptismate, & Confirmatione diuersa est materia, & forma, ita in alijs, vt infra videbimus.

35 Quare tria Sacramenta tantum, nimirum Baptismus, Confirmatio, & Ordo, characterem in anima imprimunt indelebilem, & non alia Sacramenta?

Respondeo, quia ipsa tria Sacramenta præter gratiam, quam conferunt: consecrant homines ad speciales dignitates exercendas in Ecclesia sancta Dei: nimirum Baptismus, consecrat homines ad recipiendum, ac ministrandum alijs cetera Sacramenta; Confirmatio consecrat homines ad profitendum Christi nomen ex officio contradicentibus: Ordo, consecrat homines ad instituendum in Ecclesia Sancta Dei ministros; & quia hæc tria tantum Sacramenta, homines consecrant ad peculiares dignitates exercendas in Ecclesia sancta Dei: ipsa tantum debent in anima characterem indelebilem imprimere, & non alia, homines solum ad gratiam constituentia, vt veteris legis constituebant Sacra-

men-

menta, ob quòd ipsorum nullum in anima characterem indelebilem imprimebant, vt infra dictum est n. 46.

Potest ne malus minister Sacramentum conficere? 36

Respondeo, quòd siuè bonus, siuè malus; siuè fidelis, siuè infidelis: degradatus, depositus, excommunicatus, & quantumcunquè pessimus, & temerarius minister sit in Ecclesia Catholica, semper Sacramentum conficit, dummodò intentionem habeat conficiendi illud; licet graue peccatum committeret lethale, ac pro censuris, irregularis fieret; cuius dispensatio, ad summum pertinet Pontificem. Conficitur ergo à malo, & pessimo ministro Sacramentum; in ipso enim non destruitur Sacerdotalis character propter mortale peccatum, excommunicationem, infidelitatem, & hæresiam, cuius virtute, & potestate conficitur Sacramentum, sed tantum prohibetur eius exequutio, & ministratio.

An liceat pœnitenti à malo, pessimoq; ministro Sacramenta petere, & recipere? 37

Respondeo, vel talis minister est in mortali tantum peccato constitutus, vel est excōmunicatus, interdictus, suspensus à S. M. Ecclesia; si est tantum in mortali peccato minister existens, ab eo semper licitum est, Sacramenta petere, ac recipere, quamuis talis ipse minister sic malè ministrans, mortaliter peccaret, & hæc est communior Doctrina, præsertim Durandi 4. sent. dist. 5. Armillæ de Bapt. n. 44. modo pœnitens ministrum ipsum non induceret; quandoquidem, vt pœnitens ministrum ipsum non induceret: quandoquidem, vt pœnitens malum, vt possit inducere ministrum ad Sacramenta dispensanda, in duobus casibus licet. Primo, toties quoties ipsi Sanctæ M. E. præceptum currit Sacramenta recipiendi, vt die dominico sacrum audire, in Paschate, confiteri, & communicari, tunc enim pœnitens suo vtitur Iure, at qui suo iure vtitur, nemini facit iniuriam. Secundò, quando quis minister est excommunicatus, interdictus, atquè suspensus, non autem publicus, vel Clerici publicus percussor, pœnitens ipsum inducere potest ad Sacramenta ministranda, quamuis enim talis minister sit excommunicatus, interdictus atq; suspensus, quò ad Deum, attamen quòusquè à Sancta Matre toleratur Ecclesia, verus, legitimusquè ipsius est minister: si verò publicus excommunicatus, aut publicus Clerici percussor habetur, & quo-

cun-

cunquè modò in S. M. E. pessimus, ac temerarius, poenitenti ipsi solummodò licet, ab ipso ministro petere, & recipere, in necessitatis casu, Baptismum, ac Poenitentiam; quamquàm non desunt, qui oppositum doceant de Poenitentia.

33 An liceat Sacramentorum ministro, publico peccatori poenitenti Sacramenta conferre? ac præbere.

Respondeo, quod huius interrogationis multiplex potest esse responsio: & Primò, peccatori publicè Sacramenta petenti, possunt, ac debent negari: poenitens enim ipse propter suum mortale peccatum publicum, publicè Sacramenta petendi, & recipiendi ius amisit, quousquè publicè poeniteat, ac satisfaciat: Peccatum verò publicum secundùm sacros Doctores, præcipuè per Nauarrum c.2 n. 55. Sotum dist. 12. q. 1. art. 6. concl. 1. tunc est, quando per iudicis sententiam, vel facti euidentiam nulla potest tergiuersatione celari.

Secundò, Parochus, vel Prælatus subdito publicè, aut secretò Sacramenta petenti, negare minimè potest propter peccatum, quod in confessione audiuit, à quo aliqua de causa illum non absoluit, secus enim esset peccati occulti reuelator, ac sigilli confessionis fractor, vt præcipuè patet apud prædictum Nauar. loco citato, atquè in c. Sacerdos de Poenitentia dist. 6. n. 84. aliter, si ab alijs extra confessionem sciret, quoniam reputabitur alio modo scire, nimirum extra confessionem, de hoc præcipuus est Sotus vbi sup. concl. 2.

Tertiò, publico peccatori, puta Vsurario, Concubinario, ac simili peccatori, quantumcumquè Sacramenta petierit, semper sunt ipsi neganda quousquè qui eum viderunt peccantem, videant etiam poenitentem, ac satisfacientem, vel ipse minister dicat, talem publicum peccatorem esse iam emendatum secus enim pusilli scandalizarentur, si verò occultè Sacramenta petat, dare illi debet, ac conferre, cum nullum inde scandalum vergat proximo, & magnam habenti contritionem, & in hoc, singulare est Concilium Coloniense de Conf. §. Verùm postea ad finem: D. Bonauentura, vt loco præcitato refert Nauarrus.

Quartò, Parochus, vel Prælatus alicuius peccatum occultum sciens, non in Confessione, sed quia duo, vel tres sciunt, ac ipsi dixerunt, tali peccatori Sacramenta negare haud potest, nam talis peccator, propter suum peccatum à duobus, vel tribus scitum,

non amisit Ius, Sacramenta publicè petendi: si verò secretò petar, illi præbere non debet, sed etiam secretò monere illum se abstinere vsque ad veram pœnitentiam dignam Sacramenta recipiendi. Et sic est obseruandum, vt fuse de hoc agit Sotus dist. 12. q. 1. art. 6. vers. Si autem ille. Quoniam ad publicitatem peccatoris publici, decem oportet esse dicentes, secundùm Sacræ Cardinalium Congregationis terminationem, vt idem nobis erit dicendum, cum de Sacramento Extremæ Vnctionis n. 18. fine.

Quintò, quocunque modo, publicè, vel secretò à peccatore Sacramenta petantur, potest semper minister Sacramenta negare, ipsumque ad suum Parochum, vel Prælatum dimittere. Est multorum DD. opinio maximè Silu. de Euchar. 3. q. 7. nimirum, vt talis, qui non est illius pœnitentis proprius minister, dicat. O fili non est mei Iuris tibi Sacramenta præbere, vade quæso ad tuum Parochum, vel ad tuum Prælatum, & si talis minister erit peritus, ac prudentia callens, complures supra hoc poterit inuenire excusationes.

De Sacramento Baptismi.

QVid est Baptismus? 39

Respondeo, quod est corporis ablutio, exterius facta, sub forma verborum præscripta, vt videre licet apud Mag. sent. in 4. dist. 3.

Quando hoc Sacramentum institutum fuit? 40

Respondeo, quod quatenus est Sacramentum, fuit institutum in Baptismate Christi, quoad necessitatem vtendi, institutum fuit post resurrectionem ipsius Christi, quando suis dixit discipulis. Marci cap. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Notandum hic est, quod Baptismi institutio quadruplex fuit scilicet materialiter, formaliter, finaliter, & effectiuè, materialiter quando Christus baptizatus fuit, formaliter quando dixit discipulis suis. Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠. Finaliter quando dixit Nicodemo; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei, effectiuè, quando Chri-

Christus Redemptor in Cruce mortuus est.

41 An ille Sancti Ioannis Baptistæ Baptismus fuerit verus Baptismus, ac Sacramentum, sicuti erat illum Iesu Christi?

Respondeo, quod non: neque per ipsum gratia recipiebatur gratum faciens, vel spirituale signum aliquod in anima, nimirum character: sed tantum ad aliquam disponebantur recipientes deuotionem; finemque erat, quod Christus verus filius Dei, quàm primum perfectissimum erat constituturus Baptismum ab omnibus obseruandum; & qui in ipso D. Ioannis Baptistæ Baptizabantur Baptismate: iterum tenebantur in Baptismo Christi Baptizari, aliter damnarentur, si post ipsius Christi, & Apostolorum eius diuulgationem moriebantur. Propterea per Conc. Trid. sess. 7. can. 1. De Baptismo: Excommunicatus est ille, qui dixerit, vel tenuerit Baptismum D. Ioannis Baptistæ, habere eamdem vim cum Baptismo Christi.

42 Quare hoc Sacramentum fuit institutum à Christo?

Respondeo propter peccatum originale, quod quidem est iustitiæ originalis carentia in nostro primo Parente Adamo acceptæ. Dicitur (in nostro primo parente Adamo, & non in nostra prima matre Eua) quoniam originalis culpa, & pœna principaliter fuit à viro contracta, nam si sola Eua vetitum comedisset pomum; profectò eius posteri hanc originalem culpam, & pœnam minimè contraxissent, sicut per Adami peccatum contraxerunt; præceptum enim de fructu non comedendo in medio paradisi posito, viro fuit principaliter impositum, non verò mulieri, vt Geneseos 2. sacra refert historia, dicens. Tulit ergo Dominus Deus hominem, (nimirum Adam, non dum enim ex ipsius costa Dominus efformauerat Euam, sed postea) & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Præcepitque ei dicens. Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali nè comedas, in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.

43 Ante quàm hoc Baptismi Sacramentum institutum fuisset; quomodò originale peccatum auferebatur?

Respondeo, multis, diuersisq; modis, vt specialiter patet apud Iacobum de Voragine in sermonibus. Primò, per oblationem, quæ incepit ab Abel, & ad diluuium vsq; Noeticum perdurauit. Secundò per sacrificium, quod à Noe sumpsit exordium, & ad

Abra-

Abraham vsquè perstitit. Tertiò, per decimationem, quæ ab Abraham tulit initium, & ad Melchisedech vsquè fuit terminata. Quartò, per Circumcisionem, quæ etiam ab Abraham incepit, & ad Christum vsquè nouæ legis latorem fuit protensa; quæ quidem Circumcisio circularis erat incisio anterioris pellis mentulæ, quod quidem octauo natiuitatis die fiebat cultro lapideo, in signum, quòd perfecta omnium malorum circumcisio per spiritualem futura erat nimirum Christum venturum: & si pueri ante octauum diem vitam cum morte commutabant, ad ipsorum valebat salutem, vt optimè sentit Vgo de S. Victore, remedium, quod ante circumcisionem fuerat, puta Parentum fides cum protestatione, vel aliqua oratio, quæ verè similiter per Parentes fiebat, cum pueri in circumcisi mors immineret, vt de Dauid legitur 2. Reg. c. 12. qui affligebatur pro filio, quem ex Bethsabea susceperat.

Quem effectum faciebat circumcisio illo tempore recipientibus ipsam? 44

Respondeo, tantum quantum nunc fit à Baptismate, licet non adæquatè quo ad omnem effectum; in originali enim peccato quatuor inueniuntur mala, nimirum culpa, idest fomes; concupiscentia habitualiter ad malum inclinans; Priuatio gratiæ, ac visionis, fruitionisquè Dei carentia. per Circumcisionem auferebatur culpa: debilitabatur carnis concupiscentia, conferebatur gratia gratum faciens, & solummodò in recipiente duo remanebant mala; nimirum. Primò, carentia visionis, fruitionisq; Dei; non dum enim cœlorum ianua patefacta erat, quandoquidem ipsa per Iesum Christum iam morte superata, &c. pòst quadragesimum diem gaudenter ad cœlum ascendentem fuit aperta, vt Psalmo 46. habetur. Ascendit Deus in iubilatione, quæ dies ascensionis Domini dicitur. Secundò carentia characteris in anima impressi; illo namquè tempore circumcisio in anima indelebilem minimè imprimebat characterem, vt nunc facit Baptismus: sed solùm recipiens circumcisionem præcipuum habebat effectum, nimirum peccati originalis deletionem; & non poterat illa iterari, sicuti nunc nec potest iterari Baptismus, & hoc non quia in anima Circumcisi character remanebat impressus; hunc enim illa imprimere non poterat, vt supra diximus, sed quia causa eius non iterabatur, & qui ad illam recipiendam fictus accede-

cedebat, fictione recedente circumcisionis effectum consequebatur, & hoc non propter spiritualem characterem in anima, &c. sed propter exteriorem corporalem.

Vt specialiter patet apud auream Rosam in expositione Euãgelij, quod incipit. Postquàm consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer. Voluit Christus circumcidi, quamquàm peccatũ non habuerit originale secundùm D. Thomam 3.p. q. 33. art. 1. ob septem causas. Primò, vt ostenderet se veram humanam carnem habere. Secundò, vt approbaret Circumcisionem, quam olim Deus constituerat. Tertiò, vt comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui Circumcisionis mandatum acceperat in signum Fidei, quam de ipso habuerat. Quartò, vt Iudæis, excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus. Quintò, vt obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. Sextò, vt qui in similitudinem carnis peccati aduenerat: remedium, quo caro peccati mundari consueuerat, non respueret. Septimò, & vltimò, vt legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret, vt ex illo ad Galat. 4. patet: Misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Et licet peccatum originale minimè contraxerit, attamen voluit circumcidi, vt nos à iugo legis liberaret, sicuti etiam mori voluit, vt nos à morte liberaret sempiterna.

45 An Circumcisio illo tempore erat in omnibus populis facienda?

Respondeo, quod non; sed tantum fuit à Domino israelitico populo imposita, & huius causa fuit, ex eodem D. Thoma, 4. sent. dist. 1. quæst. 2. quæstiuncula 1. quod licet peccatum per Adam in omnes transiuit: ita oportebat sanctificationem per Christum à peccato, in omnes transire: vndè ad prærogatiuam sanctitatis eius insinuandam oportebat, quidquid ad Christum pertinebat, speciali sanctitate pollere, & ideo in populo è quo nasciturus erat Christus, oportebat specialiter esse cultum Dei, ac ipsum apud eos signari, & quia Circumcisio signum est distinctionis populi Dei ab alijs; ideò oportebat populo Israelitico specialiter Circumcisionem datam fuisse: apud alios adhuc eadem remanebant remedia, quæ fuerant antè datam Circumcisionem, eis enim minimè erat necessarium specialia sanctitatis documenta, ac remedia præbere.

Cur

Cur mulieres non circumcidebantur illo tempore: cum ipsæ etiam originale contrahebant peccatum, sicuti viri?

Respondeo, specialiter ex D. Thoma 4. sent. dist. 1. 9. & art. 2. quod peccatum originale, quantum ad culpam, & reatum à patre descendit in filium; quantum ad pœnalitates descendit à fœmina. Pater enim in generatione est causa efficiens, & mater solum materiam ministrat: circumcisio autem data est contra originale ad tollendam carnis culpam: non verò ad tollendam carnis corruptionem, & ideò viris, & non mulieribus, est data Circumcisio, & licet peccatum fuerit inceptum à fœmina, nihilominus trans fusio originalis peccati, causa non fuit fœmina, sed vir; si enim vir non peccasset, originale peccatum transfusum non fuisset, proindè Apostolus Rom. c. 15. ait, quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. 46

Quomodo illo tempore mulieres Israelitæ saluabantur, & spoliabantur ab originali peccato? 47

Respondeo, quod saluabantur, & spoliabantur, sicuti pueri non circumcisi antè diem octauum morientes; puta ante ætatem debitam per fidem Parentum cum protestatione; sicut enim per alium, originale peccatum contraximus: ita per alium, ab eo liberamur: nàm Deus, qui infinitè misericors est, infinitè suam diligens creaturam, ei remedium præbet secundùm necessitatem, quam habet; in ætate verò debita per fidem propriam, & virtutem.

Quare hodie in lege gratiæ non possunt pueri saluari ab originali peccato per solam parentum fidem, & protestationem, vt in veteri lege scripta, nisi Baptismus aquæ realiter fuerit applicatus: iuxta illud Ioannis c. 3. Nisi, quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto: non potest introire in regnum Dei? 48

Respondeo ex D. Thoma specialiter 4. sent. dist. 4. q. 3. art. 3. quæstiuncula 2. quod si pueri saluari debeant oportet quòd in eis aliqua sit causa salutis, & quia per proprium motum liberi Arbitrij saluari non possunt, oportet, quòd per Baptismum saluentur. Plus enim valet adulto fides propria, quàm paruulo fides aliena; quòd enim aliquando fides aliena sufficiebat puero ad eius animæ salutem, cum aliqua protestatione: hoc erat in quantum protestatio illa vìm Sacramenti habebat, quam vìm Baptismus aquæ nunc habet, & 3. p. q. 68. art. 1. Nullus potest (ait

S. Doctor) saluari; nisi per Christum; igitur oportet, quòd si quis saluari debeat, Christo incorporetur, ac ipsius fiat membrũ viuum, sed per Baptismum hoc fit, quoniam ante Baptismi institutionem Sancti Patres Christo incorporabãtur per fidem Christi futuri, in cuius fide signaculum erat Circumcisio: sed ante Circumcisionem per fidem solam, vt D. Gregorius ait. Cum sacrificiorum oblatione Christo futuro incorporabantur: sed post Christi aduentum homines incorporabantur Christo, sed alio modo, & signo manifestatur, quando erat futura, sicuti etiam alijs verbis significatur præsens, præteritum, & futurum, & licet Sacramentum Baptismi non semper fuerit, & sine ipso ante Christi aduentum homines saluarentur: fides tamen, cuius Baptismus Sacramentum est, semper necessaria fuit ad salutem.

49 Quotuplex est Baptismus?

Respondeo triplex. Primùs Aquæ, quo ordinariè Sancta Mater vtitur Ecclesia. Secundùs, sanguinis, quo baptizantur Martyres sine Aquæ Baptismo morientes. Tertiùs, Flaminis, quo baptizantur, qui per Spiritum Sanctum mouentur ad credendum, atquè baptizari cupiunt, quorum bona voluntas Baptismi vicem supplet; si nimirùm desit facultas baptizandi actualiter. Hic tamen notandum est, quod Baptismus flaminis non facit de Attrito, contritum, nec de iam commissis peccatis, pœnam remittit, nec ipso Flaminis baptismo habito alia Sanctæ M. E. haberi possunt Sacramenta; quamuis enim per Baptismum ipsum flaminis fiat originalis peccati remissio: non tamen hoc obtento alia S. M. Ecclesiæ possunt haberi Sacramenta, quin aquæ Baptismus fuerit realiter applicatus. Ratio huius est, quoniam Baptismus flaminis non imprimit in anima characterem indelebilem, sicut, nec imprimebant veteris legis Sacramenta, vt diximus initio cum de Sacramentis in communi num. 16. in fine. Ex qua causa Sacri DD. vocant Baptismum, Sacramentorum omnium ianuam, principium, ac fundamentum: si quidem omnia alia Sacramenta præsupponunt in recipiente characterem baptismalem, vt idem dictum est etiam de Sacramentis in Communi n. 19.

50 Quid horum trium Baptismatum sit potissimum?

Respondeo Baptismus flaminis est potior, atquè perfectior Baptismo aquæ; Baptismus verò sanguinis, est ambobus excellentior;

stor, quæ omnia Christus Dominus noster habuit, vt est principaliter videre apud Sotum in dist. 3. 9. art. 11.

An hæc omnia Baptismatum genera, sint Sacramenta? 51

Respondeo, quod solum Baptismus Aquæ Sacramentum est, aliàs enim sequeretur plura esse in Ecclesia sancta Dei, quàm septem Sacramenta, vt de Sacramentis in communi in interrogatione 30. diximus: idem probat Nauarrus c.22.n.5. & Sotus vbi supra, loco ibidem citato.

Quotuplex est aquæ Baptismus? 52

Respondeo duplex: scilicet vnus sollemnis, qui Adultorum est. Non solemnis alter, qui paruulorum proprius esse dicitur. Baptismus enim paruulorum maiora habet priuilegia, quàm Adultorum, quoniam potest quotidie, omniquè tempore etiam interdicto conferri. Adultorum verò, siuè solemnis conferri non potest omni tempore, sed solum in duobus temporibus Anni, nimirum in Sabbatho sancto, & in vigilia Pentecostes.

Quæ præcedunt Baptismum? 53

Respondeo. Catechismus, atquè exorcismus, idcircò si puer fuerit in domo ex necessitate baptizatus, cum fertur ad Ecclesiã, non debet minister hæc admictere: vnde sciendum est hic tria. Primò, quòd si minister post factas solemnitates, ac ceremonias, quæ Baptismum comitantur, sine mersione, tamen postea reperto, quòd puer, quando factæ fuerunt solemnitates, &c. non erat baptizatus, non tenetur talis minister strictè postea in totum solemnitates reiterare, ac puerum ipsum iterum baptizare, sed tantùm eum non solemniter baptizare. Secundò, quod susceptores non fiunt in solemnitatibus compatres, sed quando Sacramentum fit: in solemnitatibus enim non recipiunt esse spirituale. Tertiò, quod magis laudabile est, vt puer quàm citius potest fieri, baptizetur, vt præcipuè ait Conc. Trid. sess. 5. de peccato originali: nimirum, quia interim possit mori, & sic puer damnaretur. Secundò, quoniam Dæmones tantam potestatem non habent in Baptizatos, nec quò ad nocumentum spirituale, neq; spirituale. Tertiò, quoniam in pueritia facilius homo inducitur, assuetusquè fit in his, quæ Christianæ sunt Religionis, ac fortius inhæret.

Cur in baptizandis fit exorcismus ad fugandum dæmonium? 54

Re-



Respondeo ex D. Thoma 4. sent. dist. 6. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. quod propter hominis peccatum diabolus potestatem accepit super hominem, atquè omnia, quæ in vsum hominis cedunt, & ideò quia nulla est conuentio Christi ad Belial, propterea quando aliquid sanctificandum est ad cultum diuinum, prius exorcizatur, vt liberetur à potestate diaboli (illud enim poterat assumere ad nocumentum hominis) & deindè Deo consecratur, & hoc patet in benedictione aquæ in consecratione templi, & huic similibus: vndè cum propria sanctificatio, qua homo Deo consecratur, fiat in Baptismo, oportet, quòd prius etiam exorcizetur, quàm baptizetur à fortiori in hoc, quam in alijs rebus: in ipso enim homine est causa cur diabolus potestatem accipiat super ipsum, atq; alias res, quæ in hominis cedunt vsum; scilicet in homine originale peccatum, vel actuale, & hec signant ea verba, quæ in Exorcismo dicuntur, videlicet, iam dicitur. Recede ab eo Sathan, & similia, quæ ibi fiunt, puta, in sufflatio significat expulsionem demonis: benedictio autem cum manuum impositione, præcludit diabolo expulso viam, nè redire possit. Sal autem in os missum, ac narium, auriumquè sputo linitio remotionem significat impedimenti ipsius diaboli respectu fidei docendæ, vel addiscendæ, sed olei perunctio hominis denotat expeditionem in pugnam, quam aduersus ipsum diabolum suscipit, ab eius est potestate exemptus.

55 Cur Dominus noster Iesus Christus suis pręcepit Apostolis, vt priùs doceant populos, quàm baptizent, vt Matthæi c. 28. patet. Euntes, ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, ✠ &c.

Respondeo per D. Hieron. quòd non potest fieri, vt corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem.

56 Cur præcepit, vt post Baptismum doceant baptizatos, seruare mandata?

Respondeo per Rabanum, quoniam fides sine operibus mortua est: quando quidem Baptismus nil eis prodesset, nisi Christi seruarent mandata.

57 Quæ est huius Sacramenti materia?

Respondeo, quod duplex est huius Sacramenti materia; nimirum propinqua, & remota; propinqua est ipsa corporis ablutio; remo-

remota verò est aqua simplex elementaris, ac naturalis, & quidquid aquæ naturalis retinet formam specificam, vt Aqua ex luto expressa, lixinium, aqua marina, aqua balneorum, ac etiam sulphurea, qui autem aquam posset habere simplicem, ac naturalem peccat mortaliter prædictis vtendo aquis, licet esset verus Baptismus, quod non esset, si quis aquis vteretur artificialibus, vt sunt Aqua rosacea, aliæquè ex herbis aquæ lambicatæ, idem esset si vteretur niue, gelu, glacie, & hoc à fortiori: cum in Sacramento Baptismi debeat fieri corporis ablutio (proportionaliter ad effectum spiritualem .s. gratiam, quæ mundat, & purificat animam) nix autem gelu, & glacies cum non sint fluxibilia: corpus minimè possunt abluere ad significandam interiorem spiritualem animæ à peccato ablutionem per gratiam sanctificantem.

Quare hæc materia Baptismi, fuit in aqua à Christo instituta, 58
& non in alio liquore s. vino, oleo, balsamo, &c.

Respondeo, multas ob causas. Prima, quia ipse Christus in aqua Iordanis à Ioanne Baptista fuit baptizatus. Secunda, quia cum Baptismus sit Sacramentum de necessitate medij, seù salutis: oportet materiam habere communem, quæ scilicet vbicumquè facillimè posset absquè vlla difficultate reperiri quemadmodum est aqua elementaris, &c. Tertia causa fuit propter interioris animæ ablutionem, quam ipsa exterior corporis per aquam ablutio significat. Quarta, quoniam meliori modo fit corporis ablutio in aqua, quàm in alijs liquoribus, cum illis potius vngitur, quam lauatur humanum corpus, vt patet.

In qua humani corporis parte est hæc Baptismi materia infun- 59
denda?

Respondeo in capite, quia in tali parte fuit Christus à D. Ioanne Baptista baptizatus: ipso Christo sic imperante, & D. Ioannes ab ipso Christo fuit etiam baptizatus simili materia. Verùm est, quod multi Sacri DD. præsertim Panorm. atquè Innocentius in cap. Debitum de Baptis. volunt, quod etiam in quacunq; corporis parte aqua fuerit infusa, verum conficiatur Baptismi Sacramentum.

Cur in lege veteri dabatur Circumcisio in membro geni- 60
tali contra originale peccatum, Baptismus verò non in tali datur membro?

Re-

Respondeo specialiter per S. Thomam, quòd in veteri lege ideò sic fuit institutum, quia adhuc ille per quem originale erat abolendum, iam nasciturus erat ex semine Abrahæ; cuius fidem Circumcisio significabat, quoniam verò nunc liberatur anima à macula, atquè reatu peccati, quem incurrit, proindè debet præcipuè illa pars corporis lauari in qua manifestantur opera animæ.

61 Quæ est huius Sacramenti forma?

Respondeo, quòd in Ecclesia latina talis habetur forma (Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen) Verum est, si minister baptizaret detrahendo à forma Baptismi particulas. Ego, & Amen. Perfectum faceret Sacramentum secundùm omnes Sacros Doctores, præcipuè per Diuũ Thomam 3. p. q. 66. art. 5. licet peccaret mortaliter: quòd autem talis minister in hoc casu verum faceret Sacramentum. Ratio esse potest, quia illæ duæ particulæ, scilicet. Ego, & Amen. Non imponuntur in Sacramentis de ipsorum essentia, sed solum ad maiorem intentionis expressionem, vt supra cum de Sacramentis in communi interrogatione 7. diximus, in Ecclesia verò ględca talis habetur forma, videlicet. Baptizetur seruus Christi Franciscus, vel Francisca, &c. in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Vtuntur autem græci tali forma ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi tribuebant baptizantibus, dicentes. Ego sum Pauli, ego sum Cephæ.

62 An Græci baptizati à latinis, vel latini baptizati à Græcis sub illa forma superius lata, sint ad inuicem, & mutuò baptizati?

Respondeo, quod siuè à Latinis Græci, vel à Græcis Latini sint sub illa forma vtrorum baptizati verum conferunt, ac suscipiunt baptismum. Quamquàm latini sub illa forma græca baptizati mortaliter peccarent: similiter & græci sub forma latina baptizati, vnusquisq; enim contra Ecclesiæ suæ ritum, & consuetudinem faceret.

63 An aliquis sit baptizatus, si addatur, vel detrahatur aliquid à forma Baptismi?

Respondeo, ex D. Thoma 3. p. q. 66. art. 58. quòd si diminuitur aliquid pertinens ad essentiam, ac substantiam sensus formæ verborum, non perficitur Sacramentum, (& hoc militat in omnibus Sacramentis) si verò id quod diminuitur non pertinet ad essen-

essentiã, & substantialem sensum formæ verborum non tollitur perfectio Sacramenti, ac proindè verum conficeretur Sacramentum: sicuti in forma Sacramenti Eucharistiæ si non diceretur particula illa [Enim] à ministro conficeretur Sacramentum, quamquam grauiter peccaret tale omittens verbum. Similiter si adderetur aliquid, quod debitum corrumperet sensum, puta, quis dicendo. Ego te baptizo in nomine Patris maioris, ✠ & Filij minoris, ✠ &c. sicuti baptizabant Arriani, non perficeretur Sacramentum, nec ille esset baptizatus. Si verò additur aliquid, quod non corrumperet debitum formæ sensum, verùm esset Sacramentum, & ille esset quidem baptizatus, nimirum dicendo. Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, ✠ & Filij eius vnigeniti, ✠ & Spiritus Sancti paracliti ✠. Ac similiter si aliquis diceret. Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠, & Spiritus Sancti, ✠ ac Beata semper Virgo te adiuuet, vel aliquis Sanctus, &c. verus esset Baptismus, dummodò nomen Virginis vltimo positum non addatur hac intentione, sicuti ponitur in forma Baptismi nomen Sanctissimæ Trinitatis, sed solum ponatur ad intercessionem, &c. aliàs enim non conficeretur Sacramentum Baptismi: propterea quilibet minister, si pius est, oret se solo virginem, vt vellet adiuuare baptizandum, & vtatur simplici, ac reali, & sincera forma, qua sancta vtitur Ecclesia absquè tantis litanijs in conferenda Sacramenta, tales si quidem ministri, qui incautè suum exercent ministerium, sępissimè in errorem prolabuntur.

An baptizo, sit de essentia, ac substantia formæ Baptismi? 64

Respondeo, quòd sic: quoniam si quis puerum mergeret in aqua dicendo. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠, &c. non dicendo. Ego te baptizo, non esset baptizatus.

Est nè verus Baptismus, atq; Sacramentum, quando loco verbi, (baptizo) ponitur, verbum abluo, mergo te in aqua, infundo, vel aspergo, vel etiam lauo te aqua? 65

Respondeo, quòd sic, hæc enim verba sunt Synonima, & sunt omninò idem cum verbo, baptizo, quod certè non esset Baptismi Sacramentum, si diceret. Ego te balneo, vel mundo, &c. ab originali peccato, vt videre est præcipuè apud Sotum 4. sent. dist. 5. quæstione vnic. art. 4. vers. at verò iam. Angel. Baptis. 2. p. 3.

66 Illud pronomen, te, eſt ne de eſſentia huius Sacramenti?
Reſpondeo, quòd ſic; nihilominus ſi pro, te, ponatur nomen proprium baptizati dicendo nimirum ipſe miniſter. Ego baptizo Franciſcum, vel franciſcam, eſſet verum Baptiſmi Sacramentum, quoniam idem ſignificat, licet mortale miniſter committeret peccatum, ſic baptizando.

67 An illa præpoſitio, in, ſit itidem de eſſentia Sacramenti Baptiſmi?
Reſpondeo, quòd oportet videre ſupra hoc apud aliquos Doctores maximè apud Toletum aientem hanc particulam, in, non eſſe de Eſſentia huius Sacramenti; nihilominus contrarium tenendum eſt ſecundùm veriorem doctrinam, habetur enim ex proprio Chriſti ſanctiſſimo ore Matthæi cap. 28. ſuis diſcipulis expreſſe dicentis. Baptizantes eos in nomine Patris, ✠ &c.

Cur dicitur, in nomine, & non in nominibus: cum ſint tres Perſonæ in Baptiſmo nominatæ?
Reſpondeo, quòd & ſi ſint tria nomina perſonalia trium perſonarum, eſt tamen vnum nomen eſſentiale, & virtus diuina, quę in Baptiſmo operatur, ad Eſſentiam pertinet; idcircò dicitur in nomine, & non in nominibus.

69 An baptizare in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, in nomine Genitoris, Geniti, & ab vtroquè procedentis, atquè in nomine Chriſti, ſit verus Baptiſmus?
Reſpondeo, quòd de his tribus baptizandi modis eſt inter ſacros Doctores grauiſſima quæſtio, nihilominus hìc breuiter eſt nobis dicendum, quòd ipſorum trium modorum baptizandi nullus conficit Baptiſmi Sacramentum; nam in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, non exprimuntur Trinitatis Perſonæ, ſed ſolum numerus Perſonarum in confuſo, & implicitè, ſeù intrinſecè, quod profectò non valet ad rectam formam Baptiſmi, ſed opus eſt, vt formaliter, & explicitè illæ nominentur, ſic enim Chriſtus Sacramentorum author inſtituit Matt. loco præcitato, cum dixit diſcipulis ſuis. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti. ✠
Similiter, nec validum eſſet Sacramentum Baptiſmi: ſi diceretur à miniſtro: baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, & ab vtroquè procedentis, quoniam in Genitoris nomine, non ſignificatur Perſona Patris, ſed tantum per modum actus. Nec etiam

verus est Baptismus baptizare in nomine Christi, quamuis enim in Christi nomine non mutetur forma quantum ad intellectum, sed solum quò ad vocem, si quidem in Christi nomine tota intelligitur Trinitas, vt præcipuè ait D. Ambrosius, sic enim Apostoli baptizabant initio nascentis, seù primitiuæ Ecclesiæ, vt D. ait Petrus actuum Apostolorum cap. 2. dicens. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisquè vestrum in nomine Christi. Nihilominus hodiè in Ecclesia sancta Dei minimè potest hoc modo baptizari, nec si sic fieret, esset verum Baptismi Sacramentum, nisi ex speciali Spiritus Sancti reuelatione, & consilio, sicut Apostolis contingebat, vt ait S. Doctor 3. p. q. 6. art. 6. hoc quippè concedebatur Apostolis, vt scilicet in Christi nomine baptizarent, ad hunc finem, vt nomen Christi sanctum, ac tremendum, quod quidem Iudæis erat scandalum, & Gentibus stultitia honorabile, ac laudibus dignum apud omnes redderetur.

Est autem hic obiter notandum, quòd Christi nomen dictum est à Chrysmate nomine græco, quod latinè idem sonat, ac vnctio, & Christus Iesus per Confirmationis Sacramentum nos vnxit, vt terribiles, ac fortissimi simus contra diabolum luctatores.

An ille, qui loco particulæ (Ego, dixerit in plurali (Nos) conferat verum Baptismi Sacramentum? 70

Respondeo, quòd si minister baptizans sit summus Pontifex, Imperator, Rex, Cardinalis, & id genus, qui ob tantam dignitatem, quam in se habent: loco particulæ, ego, solent dicere, nos; verum conferret Baptismi Sacramentum. Communis enim vsus loquendi apud tales excellentes, ac dignas personas idem vsurpat dicere, nos, ac dicere, Ego; quamquàm sic baptizare quis supradictorum, grauiter peccaret, ab errant enim à communi Sanctæ M. E. vsu: si verò minister baptizans fuerit simplex sacerdos, Baptismus non esset Sacramentum, sic dicendum est etiam de alijs personis particularibus causa necessitatis baptizantibus, & hoc est commune sacrorum DD. Ratio esse potest, quoniam in tali particulari persona, vel communi, Nos, importat pluralitatem personarum; puta. Ego, & Tu, quæ quidem personarum pluralitas nullo modo in Sacramentis potest locum habere: quoniam vnus debet totum facere in Sacramentis ad repræsentandam Iesu Christi vnitatem, in cuius persona operatur, Quam-

quam verum sit, quod liceat, Vnum in necessitatis casu plures baptizare, dicendo: Ego baptizo vos in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ Spiritus Sancti, ✠ sicuti baptizabant Apostoli.

71 Potest ne vnus seipsum baptizare, dicendo, me baptizo?

Respondeo, quod non. Ratio, quia non potest debitam seruare formam, ad quam personarum diuersitas realis requiritur; ideòq; Christus voluit à Ioanne Baptista baptizari.

72 An Mersio sit de necessitate Baptismi?

Respondeo, quòd non; quilibet enim potest baptizari per modum aspersionis, vel effusionis.

73 Puer baptizandus: An sit aquâ aspergendus, in aquam mergendus simul bis, vel ter?

Respondeo, quòd sufficit semel, quamquam mortaliter peccaret taliter baptizando, vbi viget consuetudo baptizandi per trinam immersionem, vt Græcorum solet facere Ecclesia, nisi iusta causa eum excuset, videlicet, vel quia aqua esset in modica quantitate, vel baptizando mortis immineret periculum: hoc enim casu modicam semel aquam infundere super baptizandum conficeret certè Sacramentum, & excusaretur à culpa mortali. Hic tamen est aduertendum, quòd quamquam Puer, vel Adultus sit trina baptizandus mersione, tamen hoc non debet intelligi, quòd baptizandus vi trinæ immersionis recipiat effectum Sacramentale Baptismi: hoc enim est falsum: nam sufficit ad essentiam huius Sacramenti vna immersio. Estò ob alium finem græci trina vtantur mersione. Et sic baptizandus trina immersione, si ante secundam, vel tertiam moreretur mersionem, esset baptizatus verè, ac proindè effectus Sacramenti Baptismi haberet, scilicet gratiam sanctificantem, & characterem in anima indelebilem: hoc quisq; percipere poterit attentè legens Angelicum Doctorem 3. p. q. 66. art. 7.

74 An liceat, puerum in Agonia existentem ex alto ponte in flumen, vel cisternam mittere, dicendo. Ego te baptizo, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen?

Respondeo, quòd prius essent aliqua inuestiganda remedia, nimirum si posset cum pallio, vel pileo, vel veste cum fune in aquam deiectis, & ab illa retractis, exprimi aqua ex ipsis, & baptizari puer aut puerum ipsum in sportam ponere, & per funem ad aquam mittens, & extrahens dicendo simul formam profe-

ctò

ctò esset verus Baptismus. Et quamquam apud aliquos oppositum legatur, dicentes. Necessarium esse, ministrum baptizantem tangere baptizandum, non est certè secundùm veram doctrinam, & communem sensum Doctorum. De Diuo enim Petro Apostolorum principe legitur in actibus Apost. vna aspersione, absq; contactu aliquo complures baptizasse; nam aliàs sequeretur. Primò hominem in fenestra alta positum aquam mittere non posse super puerum in terra collocatum cum debita Baptismi forma, quod quantò sit à veritate alienum, quisquè poterit contemplari.

Hic tamen est nobis adnotanda quædam doctrina Syluestri verb. Baptis. 3. n. 13. Armillæ num. 51. Vict. q. 35. in fine. Thesaur. Sacerdotalis fol. 28. Angel. Bapt. 5. n. 13. quòd si baptizans intenderet baptizare tantum masculum, & fœminam baptizaret, non est validum Baptismi Sacramentum; si verò intenderet baptizare Personam, vel masculum, vel fœminam, verum conficeret Baptismi Sacramentum, & in tali casu (cum initio intenderit baptizare quamcunquè personam) debet nomen, vt congrui sexui appropriare, nimirum si fuerit fœmina, & nomen fuit Franciscus, vocetur Francisca, si Petrus, Petronilla.

Verum est, quòd apud D. Thomam 4. sent. dist. 30. q. 1. art. 1. ad 3. habetur; quòd si quis credit baptizare masculum, & fœminam baptizat, verus esset Baptismus, ita affirmat Scrutinium sacerdotale tract. de Bapt. fol. 20. dicens, quod gratia, & character baptismalis non causatur ex intentione, voluntatequè baptizantis directè, sed ex elemento sensibili exterius adhibito; intentio autem operatur solum, vt dirigens elementum materiale ad effectum proprium.

Quid esset dicendum, si baptizans, antequàm substantialem 75
formam Baptismi proferret, moriretur?

Respondeo primò, si moriretur puer, creditur illi Deum supplere, vt ait Richardus 4. sent. dist. 3. q. 3. art. 2. & in tali casu sepeliendus est in Cemiterio. Secundò, si moriretur baptizans, alius minister non impeditus debet iterum ipsum puerum baptizare, sub conditione tamen, scilicet: si tu non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Ita minister Sacramentorum in omni Sacramento potest vti forma conditionali, quando nimirum dubitaret de

Sacra-

Sacramentorum perfectione ex defectu formæ.

76 Potest nè puer in vtero matris totaliter existens baptizari?

Respondeo ex Caetano 3. p. q. 68. art. 11. quòd sic: hoc etiam docent alij permulti: ipse verò Caetanus vbiquè tenuit, quòd puer in vtero existens, & periclitans vt moriatur, cautè, & irreprehensibiliter à parentibus posset benedici, ipsum tamen cum intentione baptizandi benedicendo, ac proindè credatur, ipsum saluari, si moriatur in vtero matris. Quod quidem non est secundùm veram doctrinam asserendum specialiter per c. qui in maternis, de Consecr. dist. 4. nemo enim potest spiritualiter per Sacramenta nasci in Ecclesia sancta Dei, quin prius corporaliter in mundum nascatur. Propterea Christus Ioannis c. 3. ostendere volens Nicodemo talem hominis corporalem natiuitatem ad Baptismum necessariam esse, dixit illi. Nisi quis renatus fuerit denuò non potest videre regnum Dei, quibus verbis clarè patet, necessarium esse, prius hominem ex vtero matris nasci corporaliter, quàm in Ecclesia sancta sua, ipsoquè Deo spiritualiter per Baptismum. Verum est, quod piè hic testari possumus cum Victoria, quòd supradictus puer saluetur, quando scilicet per obstetricis manum potest aqua in ipsius pueri caput mitti.

77 Si Puer in vtero matris existens baptizari non potest, & mulier aliqua prægnans, condemnaretur ad mortem, vel ex aliqua infirmitate esset proxima morti, est nè exenteranda, vt puer viuus inuentus possit baptizari?

Respondeo, quòd quando mulier ad mortem condemnaretur, Iudex debet sub peccato mortali eius partum expectare, & deindè iustitiæ exequutio fiat. Item si mulier naturali infirmitate, vel ob aliquod accidens sit morti propinqua non est viua exenteranda, vt infans, qui intus est, baptizetur. Apostolus enim ad Rom. 3. inquit. Quòd non sunt facienda mala, vt veniant bona, mortua verò statim exenteranda est, & si infans viuus reperiatur, baptizetur, si verò mortuus cum matre absquè scissura sepeliendus est; quoniam cum sit pars matris, ipsa integra absquè scissura debet in loco sacro sepeliri. Si autem fuerit è matris vtero abscissus: aliter erit asserendum: nimirum quòd non possit, nec in Ecclesia, nec in cemiterio sepeliri, vt præsertim claret in text. cap. si qua de Consecr. dist. 4. Sylu. verb. sepultura n. 16.

78 Si aliqua ex infidelibus mulier pregnans cupit baptizari: in itinere

nere verò baptismum quærens, moritur: saluatur nè puer in eius vtero existens, per Baptismum Flaminis, vt saluatur eius mater?

Respondeo, quòd sic secundùm Victoriam; sequitur enim ventrem matris, ac viuit vita matris, si verò esset in rerum natura filius, certè damnaretur, quia semel naturaliter natus, nequit spiritualiter renasci, nisi per Sacramentum Baptismi, vel in re, vel in voto; sed in hoc infantulo iam caret votum, cum sit rationis expers, igitur damnaretur. Sciendum tamen est, puerum ipsum damnari, quousquè mater Baptismum in re suscipiat, cessarent namquè rationes supra allatæ: habito tamen à matre Baptismo: puerulus in eius vtero existens, saluatur: eius enim mater, vt supponimus Baptismum in re obtinuit, videlicet si martyrizatur propter Fidem Catholicam, ei enim tunc Baptismus sanguinis applicatur, qui quidem vnus est ex tribus Baptismis.

An si quis fuerit in vtero matris sanctificatus, vt fuerunt DD. Ioannes Baptista, Ieremia, &c. teneatur baptizari? 79

Respondeo primò, si moritur ante vsum rationis, saluatur: ipsa namquè pueri in vtero sanctificatio pro Baptismo valet, qui flaminis dicitur Baptismus. Secundò, adueniente vsu rationis tenetur baptizari propter characteris susceptionem, & vt alijs membris Christi conformetur, ac se dignum reddat ad recipienda m S. M. E. Sacramenta: homo enim per Flaminis Baptismum non fit idoneus ad cetera Sacramenta suscipienda, quin fuerit ipsi realiter Baptismus aquæ applicatus.

Quomodo habendus est hermaphroditus pro viro, an prò muliere? 80

Respondeo, quòd in hoc sistendum est iudicio prudentis; nimirum considerare quale membrum sexus præemineat, & sic si præeminet in hermaphrodito sexus virilis membrum potens ad generandum, debet teneri quòd sit vir: si verò contrarium fuerit, est mulier.

An ipse hermaphroditus debeatur nomine viri baptizari. An mulieris? 81

Respondeo; nomine viri: nomina enim ad placitum, & secundùm voluntatem hominum, vel, &c. imponuntur; & cum sexus masculinus sit excellentior fœmineo: proindè baptizatur nomine viri, denominatio enim desumitur à nobiliori parte.

Quo-

82 Quomodo sit monstrum baptizandum?

Respondeo, si clarè patet ipsum duas habere animas rationales, vt quando duo habet capita humana, duo corda, duas in dorso spinas; tunc quilibet debet baptizari; ac proindè minister duos Baptismos tali monstro debet conferre, ac duobus vocare nominibus: sunt enim duo homines, ex defectu naturæ, commixti, si autem esset dubium, vt quando vnum haberet caput, vnum cor, quatuor pedes, quatuor manus, vel duas pariter in dorso spinas: tunc debet minister semel absolutè, & simpliciter ipsum baptizare: deinde (propter dubium plurium membrorum an sint duo homines) iterum baptizet eum sub conditione, dicendo. Si non es baptizatus, Ego te baptizo. si tu es baptizatus, ego non te baptizo.

83 Quibus est Baptismus negandus?

Respondeo, Adultis in mortalibus peccatis existentibus, vel cum proposito mortaliter peccandi; licet enim non teneantur confiteri, nec sint ipsis pro præteritis peccatis, penitentiæ iniungendæ, & satisfactiones: debent tamen de illis dolorem habere, ac firmum in animo propositum, vt de futuris se abstineant cum gratia Dei. Similiter nec baptizandi sunt illi adhuc in vtero existentes, si autem caput exterius emiserint, atquè mortis propinquè imminet periculum, possunt baptizari; si verò deinde in mundi communem lucem nascantur, sunt iterum baptizandi cum conditione, videlicet: si tu non es baptizatus, ego te baptizo: si tu es baptizatus, ego non te baptizo. Item. Dormientes sunt baptizandi: modò antea Baptismum petierint, vel desiderium habuerint: maximè verò quando mortis periculum adest: furiosi præterea, ac amentes sunt baptizandi sicuti pueri, quòd si à natiuitate tales non sunt, debent certè baptizari, cum lucis habent interualla, vel etiam dum sunt furiosi, modò antea Baptismum petierint, vel desiderium habuerint illum suscipiendi, si constat aliqua via, vt de dormientibus diximus supra; licet magis sit hìc extensa doctrina, de furiosis.

Baptizandi minimè sunt Infidelium, ac Iudæorum filij, ante vsum rationis parentibus inuitis sui remanentibus Iuris. Dicitur primò, ante vsum rationis, quoniam post vsum rationis, baptizari possunt etiam parentibus inuitis: sicuti parentibus inuitis possunt contrahere Matrimonium. Secundò, dicitur, inuitis sui re-

ma-

manentibus Iuris: si enim contrarium fuerit, aliter erit intelligendum secundùm Sacros DD. quòd scilicet baptizari possunt sicuti filij fidelium: si enim pueri ipsi Infidelium, Iudæorumquè baptizandi non sunt secundùm Sacros Doctores, Canonesquè S. M. Ecclesiæ: parentibus contradicentibus, quoties parentes ipsi in suo sunt Iure, ac potestate: possunt nihilominus baptizari quoties, toties non sunt sui Iuris ipsorum in factum parentes. Et huius ratio est; quoniam si sunt Iuris Parentum filij baptizans ad priuandum veniret parentes ipsos suo Iure naturali, quod in filios suos habent, & consequenter si tales filios baptizaret contra Iustitiam peccaret: sed si non sunt Iuris Parentum, & ipsos filios, sub Parentum tutela iàm Baptizatos relinquit, contradicit virtuti Religionis; impossibile enim est (moraliter loquendo) pueros ipsos licet baptizatos sub cura parentum educari, & non in eorum errorem incidere, & sic iam clarum est talem ministrum relinquentem tales filios sub tutela parentum infidelium peccare contra virtutem Religionis; imponit enim in periculo, quod Sanctæ Matris Ecclesiæ est præceptum.

Item dicendum est, quòd tales Infidelium, Iudæorumquè filij baptizari possunt, quando videlicet ipsi infantes probabiliter sunt ad mortem vicini, quamuis parentes ipsi infideles ipsorum factum contradicentes, sint in potestate suà, & Iure in filios: tamen tunc non dicuntur infantuli ipsi stare in manu parentum, sed Dei, & S. M. Ecclesiæ, & mors omne Parentum naturale vinculum dissoluit.

Quomodo filij Infidelium, Iudæorumquè baptizati saluari possunt, qui non in fide propria, nec etiam in fide parentum infidelium baptizantur? 34

Respondeo specialiter per D. Thomam ob baptizantis fidem; vnius enim fides, imò totius vniuersalis Ecclesiæ prodest in tali casu paruulo per operationem Spiritus Sancti, qui mirabiliter operando, vnit Ecclesiæ, & vnius bona alteri, ac facit, vt spiritualiter communicet.

Debet quis à ministro Symoniaco Baptismum petere, ac recipere, si scilicet daret tali ministro aliquod pretium, vt tale conferat Sacramentum? 35

Respondeo; si talis petierit Baptismum ante vsum rationis, non peccat, & recipit seriò Baptismi Sacramentum. Ratio clara est:

iste enim talis tunc non intendit Sacramentum emere, vel ministro Symoniaco peccandi occasionem præbere: imò ipse virtutem non habet propriam saluandi, scilicet bonam voluntatem, cum careat vsu rationis, vt supponimus. Si verò, vsu rationis habito Baptismum à tali ministro peteret porrigendo pretium, dicimus, quòd peccat mortaliter dat enim occasionem peccandi tali ministro malo, propterea debet potiùs mori, quam tali ministro pecuniam dare, vel quid notabile pro Baptismo præbere: saluatur enim in voto scilicet Baptismo flaminis.

86 Quis est huius Sacramenti ministerio.

Respondeo, quòd in casu necessitatis, nimirum mortis, potest quilibet esse Baptismi minister, seruando tamen S. M. Ecclesiæ ritum, quod tamen à digniore persona fieri, & conferri debet; & sic præferendus est, Primò Sacerdos. Secundò Diaconus. Tertiò Subdiaconus. Quartò Clericus in minoribus ordinatus. Quintò Prima initiatus tonsura. Sextò Vir. Septimò mulier deinde. Infidelis vltimo loco. Verum, si Sacerdos est interdictus, excomunicatus, suspensus, ac irregularis: melius est in tali casu secundùm D. Thomam à Laico non talibus innodatus censuris baptismum accipere, quam ab ipso excomunicato, &c. Sacerdote, dũmodo notoriè, & publicè sit excomunicatus, interdictus, & irregularis, &c. Extra verò periculum mortis solus Parochus, qui deponendus est, vt specialiter patet in c. quicunquè Presbyter de Consecr. dist. 4. instit. canonica lib. 2. de Baptismo §. Baptizandi, & ibi Gloss. si quis puer moriatur absquè Baptismo ex sua negligentia: posset vtiquè alius Sacerdos ex proprij Parochi licentia, baptizare, & licet graue committeret mortale peccatum, si absquè proprij Parochi licentia baptizaret, non autem incurreret excommunicationem, vel irregularitatem, vt multi asserunt, nec etiam in talem pœnam, & censuram incurreret, baptizando aliquis Sacerdos claustralis, qui nimirum in aliqua Religione fecerit professionem, vt principaliter est videre apud Nauarrum c. vnic. n. 7. & c. 27. n. 10. vbi hanc doctrinam vocat communem.

87 An si aliquis minister prædictorum, sit mutus possit baptizare?

Respondeo, quod non; in Sacramentis enim verborum prolatio est necessaria, & sine illa in Sacramentis nihil fieri potest; simi-

Similiter dicendum est non baptizare Amentem, furiosum, ebrium, similesquè personas; supponuntur enim tales non habere illam voluntatem requisitam, non enim aduertunt, id quod faciunt.

An Angelus possit baptizare? 88

Respondo, quod non; hæc enim baptizandi potestas solum hominibus à Christo data fuit: attamen verè baptizat, si ex diuina commissione baptizat; Angeli enim sunt ministri veritatis, quod non militat de dæmonibus.

Ad quid tenetur Patrinus, & quot Patrini esse possunt in hoc 89
Sacramento?

Respondeo ex Tridentino sess. 24. c. 2. de Reform. Matrim. quòd vnus, vel vna, qui in casu necessitatis tenetur puerum in fidei rudimentis instruere, quando nimirum ab alio, hoc fieri minimè videbit. Si verò duo in Baptismo tenent, modò vnus sit masculus, & altera foemina, veram per idem Concil. Tridentinum contrahunt cognationem spiritualem: modò puerum tangant, vel saltem linteum, vel vestem, vel discum (honoris causa) non autem quando quis fingit esse Patrinum. In hoc Sacramento loquutio Patrini non est necessaria ad contrahendam spiritualem cognationem: ipsa namquè loquutio ad solemnitatem tantum spectat; nec etiam intentio, quoniam Sancta Mater Ecclesia circa ipsam agit: est autem necessaria intentio ad spiritualem contrahendam cognationem; quando quis, vt Procurator in Baptismo tenet, non autem vt principalis, sciendum est enim, quòd quando quis vt Procurator tenet in Baptismo baptizandum, non contrahit hanc cognationem spiritualem, nisi fortè contrahere intenderet, in tali si quidem casu secundùm S. M. Ecclesiam, mittens ipsum procuratorem, contrahit. Verum est, quòd multi Sacri DD. volunt, præcipuè Sotus 4. sent. dist. 24. q. 1. artic. 2. Vers. Syluer. dicens, quòd cognatio hæc spiritualis non contrahitur cum mittente procuratorem, sed cum procuratore ipso in Baptismo tenente; in hoc enim Sacramento haud sufficit voluntas, & consensus, vt in Matrimonio, alijsquè Contractibus, sed est necessarius Pueri, vel lintei, vel vestis, &c. contactus; quando igitur, vltra supradictos duos designatos, in Baptismo tenent, nullam inter baptizatum, baptizatiquè Patrem, ac Matrem spiritualem contrahunt cognationem, quàmuis millies, ac mil-

millies puerum, vel linteum, vel vestem, ac discum tangerent cum animo, ac voluntate, vt compatres fiant, quoniam Sacrum Conc. Trid. vltra hos duos designatos non intendit ad spiritualem obligare cognationem, vt quisquè videre poterit loco præcitato.

88 Notandum, quòd si quis in Baptismo fictè tenet puerum, puta, puerum ipsum, vel lyntheum, vel vestem, vel discum non tangendo, sed tantùm fingit tangere, vt faciliùs peccet; non solùm magnum committit sacrilegium, verùm etiam toties, quoties

89 cum tali ficta cognatione peccat, quoniam toties, quoties hoc facit, totiès contra Sacramentum, Sanctamquè Matrem Ecclesiam irreuerenter operatur, in quo casu tamquam verus patrinus puniendus est, vt non vituperetur ministerium nostrum.

90 An Patrinus sit de Sacramenti Baptismi essentia?

Respondeo, quòd non: sed tantum Sanctæ M. E. est præceptum, quoniam in Baptismo Christi patrinus non fuit, nec ipse Christus huius Sacramenti (& aliorum) patrinum ordinauit.

91 An non baptizatus, & infidelis possit esse in hoc Sacramento Patrinus?

Respondeo, quòd non; & si de facto tenuerit nullam spiritualem contraheret cognationem; quoniam non est membrum S. M. Ecclesiæ, hanc talem cognationem præcipientis, quamquam possit in casu necessitatis baptizare, vt supra, interrogando circa hoc, asseruimus.

92 Qui prohibentur in hoc Sacramento, vt Patrini nequeant esse?

Respondeo Pater, & Mater, non possunt proprium eleuare filium extra necessitatis casum, scilicet mortis. Abbas, Monachus, omnisquè religiosus in aliqua religione approbata professus non debent esse compatres, si tamen eleuant puerulum in Baptismo fiunt vtiquè compatres.

93 Quid operatur infantuli eleuatio in fonte baptismali?

Respondeo, quòd inducit spiritualem cognationem inter baptizatum, & baptizantem, ac Patrinum, Patrem, & Matrem baptizati, ita quòd inter illos matrimonium contrahi nequeat.

An inter eleuantes ipsos aliquem in fonte baptismali contra- 94
hatur hæc spiritualis cognatio?

Respondeo, quòd non; possunt enim simul contrahere: vnde versus.

Compater vnus erit tibi semper spiritualis,
Alter carnalis: nec fallit regula talis.

An Cognatio hæc spiritualis transeat à viro in vxorem? 95

Respondeo, quòd aliquis potest fieri compater, dupliciter, vno modo per actum alterius, qui baptizat, vel eleuat filium, & sic non transit spiritualis ipsa cognatio à viro in vxorem, nisi fortè ille sit filius vxoris, quia tunc vix directè contrahit spiritualem cognationem, sicuti vir. Alio modo per actum proprium, vt cum eleuat filium alterius de sacro fonte, & sic cognatio spiritualiter transit ad vxorem carnaliter cognitam, secus verò si esset vxor non dum cognita, & hoc est per modum cuiusdam Affinitatis. Vnde pari ratione transire videtur ad mulierem carnaliter cognitam, quamuis non sit vxor. vndè versus.

Quis mihi, vel cuius mater natum fonte leuauit.
Hæc mea commater fieri mea non valet vxor.
Si qua mea natum, non ex me fonte leuauit.
Hanc post fata meæ, non inde vetabor habere.

Transit igitur hæc spiritualis cognatio à viro in vxorem, si iam vxor est baptizata, non autem si non est baptizata; est enim incapax, si talis existit.

An hæc cognatio spiritualis transeat à filio in Patrem? 96

Respondeo, quòd filius est aliquid Patris, & non è conuerso, ideoquè talis cognatio transit à Patre in filium, sed non è conuerso.

An hæc cognatio spiritualis transeat à fratre in fratrem? 97

Respondeo, quòd non; frater enim non est aliquid fratris, vt filius est aliquid Patris.

An si quis baptizaret, vel eleuaret è fonte baptismali, filium Iudæi, vel Ethnici, contraheret hanc Affinitatem, & cognationem spiritualem cum parentibus Iudæis?

Respondeo, quòd licet asserere, non contrahere illam per Gloss. cap. 1. 50. q. 1. nihilominus melius est tenere, quòd sic; ex sententia D. Thomæ, quem refert, & sequitur Sotus in 4. dist. 42. art. 1.

98 An ille, qui in mortis periculo, aliquem baptizat, contrahat cognationem hanc spiritualem, ita quòd non possit cum baptizati matre, matrimonium contrahere?

Respondeo, quòd aliqui dicunt Doctores: in hoc casu esse Romanum consulendum Pontificem. Nihilominus hic est nobis asserendum, quod absq; Romani Pontificis consultatione potest contrahere, vt præcipuè vult Sotus loco præcit. q. 2. art. 2. verò. Profectò oratio. Cui sententiæ ex D. Antonino, adhæret Couarruuias 2. p. de Matrim. c.6. §. 4. n.4.

99 An si pater proprium filium baptizaret ex legitimo matrimonio natum in casu necessitatis: incurrat in impedimentum aliquod cum vxore, ad exigendum debitum matrimoniale?

Respondeo, quòd non: quoniam tunc ipsum Sancta Mater Ecclesia dispensat; secus si Pater fornicarius sit, quamquam in casu necessitatis baptizaret suum natum, non potest eius concubinam, illius filij matrem, in vxorem ducere: spiritualis siquidem cognatio, quæ est inter baptizantem, baptizatique parentes, nedum impedit ad contrahendum matrimonium: verum etiam dirimit contractum initum, quòd sœpè dictum est in opere. Nihilominus remanet vxoratus suspensus ad exigendum debitum ab vxore, quando ex malo animo tenet filium, vt est principaliter videre apud Sylu. matrim. n. 8. verum est, quòd liceat reddere exactus.

100 Quot sunt huius Sacramenti Baptismatis effectus?

Respondeo multi. Primò enim tolluntur omnia, & singula peccata tùm originale, tùm actuale, omnisquè ipsorum pœna, ac cruciatus debitus. Secundò infunditur nè dum gratia gratum faciens (quæ & sanctificans, habitualis, ac prima gratia in scholis solet nuncupari) verum etiam omnes virtutes, & dona supernaturalia. Tertiò imprimitur character indelebilis in anima. Quartò aperitur Cœlorum regnum, dum tamen quis non fictò accedat animo: si enim fictè ad hoc Sacramentum quis venit non omninò; recedente deindè fictione, ac tollens per pœnitentiam peccatum, consequitur gratiam gratum facientem, & alia dona supernaturalia.

QVid est Confirmatio? 101

Respondeo, quòd est Sacramentum, quo homo, quasi quãdam perfectam vitæ ætatem, & robur suscipit, quòd à ieiunis dari, recipiquè debet, ac in Ecclesia. Verum est, quod causa aliqua, potest etiam post prandium, alioquè loco honesto conferri, & recipi.

Quotuplex est Confirmatio? 102

Respondeo, quod est duplex: nimirum interior, & exterior; interior, qua confirmamur, & consolidamur ad credendum Deum, ipsumquè summum Bonum, super omnia obiecta creata diligendum, & talē confirmationem adipiscimur per Eucharistiā, quæ cum sit panis cœlestis, ac Angelicus hunc mirabilem habet effectum, vt Psalm. 13. patet. Et panis cor hominis confirmet. Exterior, quæ est quædam corroboratio ad constanter ea confitendum, quæ spectant ad Catholicam Fidem, coram persequentibus illam, & hoc fit, atquè præbetur per hoc Confirmationis Sacramentum. Vndè de tali debito alloquens Christus, scilicet, quòd Christianus quilibet coram Fidem nostram Catholicam persequentibus, firmus stare debeat, ipsumquè Christum intrepidè confiteri; sic ait Matthæi c. 10. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus; confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est, qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Quando hoc Sacramentum institutum fuit? 103

Respondeo, quando Christus suis dixit discipulis. Si non abiero: Paraclitus non venit ad vos, si autem abiero, mitto vobis eum. Ioannis c. 16. vndè illa in die Pentecostes missio Spiritus Sancti, fuit confirmationis Sacramentum, vel eius vim habuit.

Quid est huius Sacramenti materia? 104

Respondeo oleum ex oliuis expressum, ac balsamum ab Episcopo consecratum.

Balsamum est nè de huius Sacramenti essentia? 105

Respondeo, quòd aliqui sacri DD. asserunt esse de huius Sacramenti essentia: dicentes, quòd Chrisma est vnguentum quoddam ex oliuarum oleo, balsamoquè confectum; Nihilominus hoc

hoc non est amplectendum secundùm veriorem, communioremq; Doctrinam, sed solum dicimus Balsamum esse tantum in hoc Sacramento de Sanctæ M. Ecclesiæ præcepto, vt specialiter claret apud cap. 1. de sacra Vnct. c. Nouissimè, de consecr. dist. 5. c. 1. de Sacram. non iterand. quòd si balsamum esset de huius Sacramenti essentia, sequeretur, quòd pro tanto Sacramento Deus arduam, ac perdifficilem constituisset materiam: quandoquidem in remotis Syriæ partibus difficulter reperitur balsamum: imò negotiantes possent de facili nos decipere, vendentes nobis non balsamum pro balsamo, & sic nostrum nullus de tali Sacramento securus consisteret, si quidem de materia ipsius securitatem minimè haberet.

106 Est nè de huius Sacramenti Essentia, vt oleum, ac Balsamum sint consecrata?

Respondeo, necessariam esse de ambobus consecrationem, vel sàltem de oleo, quòd si contrarium fuerit, profectò Sacramentum non perficeretur secundùm D. Thomam 3. p. qu. 73. art. 3. Nauarr. c. 22. n. 8. aliosquè per multos sacros DD. quoniam non sanctificaretur actio, si prius non sanctificaretur materia, nam præter aquam in Baptismo, panem, ac vinum in Eucharistia (quia tales substantiæ, ac materiæ à Christo excellentissimo Sacramentorum Authore fuerunt consecratæ, quando suæ excelsæ, ac omnipotentis manus contactu talium materiarum contactu vsus est,) omnes cęteras Sacramentorum materias, oportet prius esse consecratas, vt actionem sanctificent; quandoquidem vniuersale est Philosophorum axioma, quòd nemo dare potest, quod non habet. Vndè si materia sanctitatem ex vi consecrationis non haberet, certè in anima sanctitatem non produceret, & ex consequenti Dei charitatem; nec Sacramentum perficeretur consecratione deficiente; nam deficeret materia.

Hic est adnotandum, quòd Chrisma oportet, vt vnius sit anni, vetus enim est combustioni tribuendum in certa parte Ecclesiæ: vnde puerum vngere Chrismate alterius anni, citra necessitatem, non licet c. si quis de oleo, de Consecr. dist. 4. ac Sylu. verb. oleo inquit: crimen esse vti oleo veteri.

107 Quæ est huius Sacramenti forma?

Respondeo hanc esse. Ego signo te signo Crucis; confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠

cti, ✠

cti, ✠ Amen. Vel verba æquipollentia, in qua forma tria imponuntur: puta. Primùm causa sanctificationis, & ibi in nomine Patris, ✠ &c. Secundùm est ipsum spirituale robur, quod homini per hoc Sacramentum confertur, in ibi; confirmo te Chrismate salutis. Tertiùm est signum, quod pugnatori datur, sicut in pugna corporali; quantum ad hoc dicitur signo te signo Crucis, & sicut Sacerdoti licèt baptizare sub conditione dicendo scilicet; si non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, &c. vel si es baptizatus, ego non te baptizo, &c. ita licet Episcopo chrismare sub conditione, dicendo nimirum. Si tu es confirmatus, ego non te confirmo: si tu non es confirmatus, ego signo te signo Crucis, ac confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Vnde in his duobus Sacramentis, nimirum in Baptismate, & Confirmatione, est simpliciter, & absolutè necessaria Sanctissimæ Trinitatis inuocatio; in his enim fit tantùm fidei professio, in ceteris vero Sacramentis fit tantum ex S. M. Ecclesiæ præcepto, atquè ex antiqua consuetudine, vt supra diximus, de Sacramentis in Communi in nu. 34. in fine.

Quot essentialia requiruntur in hoc Sacramento? 108

Respondeo quinque; primò materia; secundò forma; tertiò ministratio Episcopi, qui non sufficit, vt sit tantum electus, sed debet esse confirmatus, ac consecratus; Confirmatio enim, & Ordinatio Episcopalis est actus ordinis, ac simplex Sacerdos illas minimè potest conferre; quintò, & vltimò, quòd in fronte vngatur cum manus impositione: vnde non sufficit Episcopo confirmatum tangere cum spongia, vel quid simile, sed oportet illum tangere cum pollice manus dexteræ, sic enim Apostoli confirmabant à Spiritu Sancto gubernati, ac directi. Verum tamen non est ita necessarium, vt frons pueri ligetur, & panno aliquo inuoluatur, donec vnctio exiccetur, vel vt lauetur per septem dies, vt quidam existimant, sed solent Episcopi puerorum frontes subito tergere: proinde etiam postea potest lauari, si opus sit. Sunt tamen in tali casu Episcopi consulendi, & loci consuetudinem seruare. Idem est dicendum de cereo, & colapho, nimirum Episcopi non peccarent mortaliter talia omittentes, sicuti quando non ieiuni, vel non in Ecclesia hoc non conferunt Sacramentum, sed in loco quidem honesto, vt dictum est.

109 An possit Episcopus suo Vicario Generali committere, vt alios possit confirmare?

Respondeo, quòd sic; hæc responsio fundatur in illa regula. Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, vt patet de regul. Iuris in 6. Nihilominus melior est pars negatiua, & sic est tenendum; quoniam Episcopus non potest committere ea, quæ sunt Episcopalis ordinis, inferioribus sibi, licet possit ea, quæ sunt iurisdictionis: verum est, quòd possumus hic dicere, ac tenere, vt etiam multi Sacri DD. præsertim Sotus dist. 42. art. 3. docent; quòd summus Pontifex possit simplici Sacerdoti committere potestatem alios confirmandi, seu chrismandi, quamquam enim hoc officium proximè sit peculiare Episcoporum, Apostolorum vicem gerentium, & ad hoc sint officium ordinati, attamen remotè dicere possumus, quòd summus Pontifex ob tantam suam plenariam potestatem, quam in sancta Matre habet Ecclesia, possit simplici Sacerdoti, alios chrismandi, ac confirmandi committere potestatem, vt D. inquit Gregorius, & habetur in c. de Pœnit. 95. dist. vbi Gloss. verb. concedimus, & text. expressius in c. 5. §. 1. de Consuetud. vbi sua temeritate; secus si nostra autho-
801 ritate. Imò hic est nobis dicendum, quòd potest talis simplex Sacerdos per eamdem authoritatem oleum consecrare; quoniam si conceditur forma, etiam conceditur materia: non enim est bonum affirmare, quòd Summus Pontifex posset quidem sua plenaria potestate simplici Sacerdoti authoritatem committere alios chrismandi, ac confirmandi, & non Oleum consecrandi; non enim est minor dignitas alios chrismandi, &c. quàm oleum consecrandi, imò maior dignitas est illa; nam Confirmatio est Sacramentum, olei verò consecratio est solum Sacramentale. Chrisma enim in die cenæ factum non est certè Sacramentum, sed illo perungitur confirmabile subiectum, scilicet homo; vt idem de Sacramentis in communi diximus n. 34.

110 An Episcopus confirmans non subditos suos, incurrat in suspensionem, vel aliam censuram?

Respondeo, quòd licet mortaliter peccaret, tales malitiosè confirmando non suos, tamen in suspensionem minimè incurreret; vel aliam censuram, incurrit tamen in illam, quando eos ordinat, & quando in alia Diœcesi, absq; proprij Episcopi licentia chrismare ausus erit, vt sacri dicunt DD. omnes, maximè Syl-

Syluester citans Petrum de Palude verb. Confess. in fin. Armil. num. 1.

An peccet Episcopus non confirmans subditos suos? 141

Respondeo, quòd tunc mortale committet peccatum, quando circa hoc nimia abundauerit negligentia.

Quibus est hoc Sacramentum conferendum? 142

Respondeo, debet omnibus conferri baptizatis, ac potest fieri omni ætatis tempore. Dicitur (omni ætatis tempore) quoniam aliqui Sacri Doctores volunt, quòd non est hoc Sacramentum pueris, ante septennium conferendum; quæ opinio non est tenenda. Et obseruandum est, (secundùm nostram sententiam) maximum studium, quando timetur diuturna Episcopi absentia, vel quando sunt pueri ipsi propè mortem. Pueri siquidem baptizati vnum habent in anima characterem, quòd est pulcherrimum signum spirituale, at confirmati verò duos habent in anima characteres, & consequenter duo signa nimis insignia, & quis nõ videt melius, imò felicius, ac beatius esse, quòd pueri in ipsorum anima duo habeant talia signa in Paradiso? quæso estote circa hoc diligentes, nè vestra pigritia diuitiæ perdantur cœlestes: Et id quod dictum est de pueris ante septennium: ita dicendum est de Amentibus, & furiosis; nam quamuis Episcopus vngere non debeat tales homines peccatores, qui dum in ætate debita viuebant, vsum rationis rectum habebant, malè vixerunt, nolueruntque suam vitam malam in melius emendare; quandoquidem regula generalis est, quòd nullum est Sacramentum conferendum mortale habentibus peccatum. Nihilominus, comperiens illos sine peccato mortali, vel quia hi tales post rationis vsum bene vixerunt, vel quia perpetuò fuerint amentes, ac furiosi nunquam habentes rationis interualla ad peccatum mortale sufficientia, tales inquàm Episcopus vngere debet; sicut pueros ante septennium; quoniam secundùm veriorem Doctrinam, in hoc Sacramento, vsus rationis propriè non requiritur; nàm Patrinus, vel ipse Chrismans hoc supplet, sicuti supplet in Baptismo baptizans. Propterea confirmandus debet habere pedem dexterum super dexterum Patrini pedem, vt in Pontificali Romano cuilibet patere potest ad significandum ipso confirmando, quòd sicuti ipse Patrinus suus per bonam in præceptis tàm Dei, quàm Ecclesiæ ambulationem, ad dexteram felicitatem desiderat peruenire, il-

lamquè continuo studio intendit habere, sic & ipse: imò sicut pars hominis dextera, est sinistra parte fortior; sic confirmatus respectu non confirmatorum est validior, ac fortior ad profitendam constanter Christi fidem coram illam odio habentibus, ac persequentibus.

113 Numquid non baptizatus potest hoc Sacramentum conferre?

Respondeo, quòd non; quoniam Confirmationis character Baptismalem in anima præsupponit characterem: immò si accederet, nihil reciperet, & post Baptismum iterum est confirmandus.

114 Quare hoc Sacramentum in fronte confertur?

Respondeo, vt manifestè se Christianum ostendat, ac ne Christi Iesu nomen sanctissimum, & venerandum, ob timorem vel verecundiam omittat confiteri.

115 Quot debent esse in hoc Sacramento Patrini?

Respondeo ex Sacro Côc. Tridentino, quòd debet esse vnus, vel vna, si verò duo tenent, vt in Baptismo, dummodò vnus sit masculus, & alter fœmina veram spiritualem contrahunt cognationem, modò ipsi sint confirmati, vt in Baptismo baptizati, secus, illam minimè contrahent spiritualem cognationem. Verum est, quòd poterit apud Sotum in dist. 24. quæst. 2. art. 10. videri oppositum.

116 Qui fuit in Baptismo Patrinus, potest nè esse Patrinus in hoc Sacramento Confirmationis?

Respondeo, quòd sic; ac potest petere debitum, &c. si quis non malitiosè, sed necessario proprium tenet filium, quoniam secundùm veriorem doctrinam, præsertim per supradictum Sotum loco præcitato æqualis gratia attribuitur Confirmationi, qualis Baptismo.

117 An Patrinus sit de huius Sacramenti Essentia?

Respondeo, quòd non; sed tantum ex Sanctæ Matris Ecclesiæ præcepto, sicuti de Baptismo diximus.

118 Inter quos per hoc Confirmationis Sacramentum spiritualis contrahitur cognatio?

Respondeo inter Confirmantem, ac confirmatum, illiusquè Patrem, & Matrem, ac tenentem sicuti in Baptismi Sacramento diximus.

Qua-

Qualis est huius Sacramenti effectus. 119

Respondeo. Gratia, gratum faciens, & confirmans, ac etiam character, modò recipiens sit in gratia, & charitate Dei constitutus; si verò recipiens sit in mortali peccato constitutus, recipit quidem characterem indelebilem in anima; minimè verò recipit gratiam, ac Dei charitatem, nisi priùs per pœnitentiam auferatur peccatum, vt accidit similiter in receptione Sacramenti Baptismatis.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QVid est Pœnitentia? 120

Respondeo, quòd est Sacramentum remissionis peccatorum, quæ post susceptum Baptismum committuntur. Sotus 4. sent. dist. 14. in tex. & q. 1. art. 1.

Quot sunt species Pœnitentiæ? 121

Respondeo tres; sollemnis, publica, ac secreta, seù Sacramentalis.

Quæ dicitur Pœnitentia sollemnis? 122

Respondeo illa, quæ imponitur modo tali, vt specialiter patet apud D. Thomam 3. p. q. 84. dist. 14. tales siquidem penitentes, in capite quadragesimæ se præsentant cum suis præsbiteris Episcopo Ciuitatis ante fores Ecclesiæ, sacco induti, nudis pedibus, faciebus demissis, coma disposita, & talibus in Ecclesiam introductis, Episcopus cum Clero, septem psalmos, qui ad penitentiam spectant, dicit, & post modum eis manus imponit, aquam benedictam aspergit, & cinerem ipsorum capitibus imponit, cilicio eorum colla cooperit, & lachrymabiliter talia colloquitur verba; nimirum. Quòd sicut noster primus parens Adam è deliciarum paradiso est eiectus, sic & ipsi de Ecclesia eijciantur, ac ministris mandat, vt tales ab Ecclesia pellant: Clero ipsos persequente tali sermone. In sudore vultus tui, vesceris pane tuo. In Cœna autem Domini quolibet anno à suis præsbyteris in Ecclesiam reducuntur, ibiquè erunt vsq; ad Sacratissimam Paschatis Octauam, ita tamen quòd non se communicabunt, nec pacem accipient, sicquè quolibet anno fiet, quousquè eis Ecclesiæ aditus erit interdictus; vltima autem reconciliatio Episcopo reseruatur, ad quē sollemnis Pœnitentiæ impositio sulùmodò spectat.

Qui-

123 Quibus potest sollemnis Pœnitentia imponi?
Respondeo omnibus, puta tàm masculis. quàm fœminis, Clericis tamen exceptis, omnibusquè Religiosis, nisi essent prius depositi, nec laicis nobilibus, vt specialiter videre licet apud Arg. dist. c. 1. in capite.

124 Pro quibus peccatis sollemnis Pęnitentia debet imponi?
Respondeo, quòd non debet imponi, nisi pro peccato, quod totam disturbat, ac commouet Ciuitatem. Diuum Thomam vbi supra.

125 Qualis est huius sollemnis Pęnitentiæ effectus?
Respondeo, quòd propter hanc sollemnem pœnitentiam pęnitens efficitur infamis, & si laicus, irregularis ad minores ordines suscipiendos, si Clericus, etiam similis erit ad suscipiendos maiores ordines. tex. c. illud dist. 50. Gloss. c. si quis post 50. dist. Sylu. verb. Pęnit. n. 3. vbi alios ponit huius sollemnis pęnitentiæ effectus.

126 Qualis est Pęnitentia publica?
Respondeo illa, quæ à iudice Ecclesiastico in foro Ecclesiæ imponitur sinè prædicta sollemnitate, vt quando præcipitur laicis sæcularibus in Ecclesiæ ianuis esse sine calceis cum candela in manibus accensa, eò quòd aliquem vì ab Ecclesia ipsa traxerit delinquentem iure non concedente, vel quando imponitur pro blasphemia, Adulterio, &c. vt aliquantulum in Ecclesia humi iacens terram deosculando.

127 Potest nè simplex Sacerdos hanc publicam pœnitentiam pro publico peccato imponere in foro suo Sacramentali.
Respondeo, quòd potest, ac debet imponere, quando scilicet pro peccato suo tota Ciuitas fuerit scandalum passa, vt videre principaliter est apud Sotum 4. sent. dist. 19. q. 2. art. 5.

128 Quid est Pęnitentia secreta Sacramentalis?
Respondeo, quòd est absolutio pęnitentis facta à Sacerdote iurisdictionem habente sub certa verborum forma præscripta: cum debita intentione ex diuina institutione significatiua, atquè effectiua absolutionis animæ à peccatis?

129 A quo fuit hoc Sacramentum institutum?
Respondeo à Christo post suam Sanctissimam Resurrectionem, quando suis dixit discipulis. Ioannis cap. 20. Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur

tur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

Qua de causa, hoc Sacramentum institutum fuit à Christo? 130

Respondeo adhoc, vt homo, qui mortaliter peccando à suo elongatur Creatore, possit hoc diuino Sacramento eidem reconcillari, atquè in eius redire amicitiam. Ambrosius de Pœnitentia, & Consilio in lib. de Doctrina Christiana c.2. 131

Qualis est huius Sacramenti Penitentiæ materia?

Respōdeo, quòd duplex est; videlicet remota, & proxima, proxima sunt penitentis actus; nimirum Contritio, Confessio, & Satisfactio; Remota verò, sunt peccata, quæ est etiā duplex, scilicet necessaria, & voluntaria; materia remota necessaria sunt mortalia peccata cum suis circumstantijs; materia verò voluntaria est peccatum veniale, vel mortale altera confessione confessum, atq; absolutum, ac pro eo satisfacta penitentia; venialia enim peccata legitima sunt, ac sufficiens Confessionis materia, & laudabile est illa confiteri, & contrarium affirmare est hæresis damnata à Conc. Trid. sess. 14. c. 5. can. 7.

Quot sunt huius Sacramenti partes? 132

Respondeo præcipuè ex D. Thoma 3. p. q. 70. art. 1. quòd sunt tres, puta. Contritio, Confessio, & Satisfactio, & sunt partes integrales, nec tota penitentia consistit in singulis partibus, sed in omnibus simul.

Quid est Contritio, & à quo habet principium? 133

Respondeo, quòd contritio est dolor magnus de quolibet peccato proprio actuali mortali commisso, cum proposito confitendi, ac satisfaciendi, atq; abstinendi de futuro; quæ ratione formæ, scilicet Charitatis, à Deo principium habet, sed quò ad substantiam, actus à libero hominis arbitrio.

Quare in Contritione requiritur dolor magnus? 134

Respondeo, quia sicut per peccatum Deus omittitur, qui est, super omnia amabilia, ac desiderabilia amabilis, atquè desiderabilis, ita ad ipsum redeundum, ac suam obtinendam gratiam per pœnitentiam, atquè charitatem, dolor super omnem dolorem de peccato ipso requiritur, quacunquè fuerit intensione intensus, dummodò sit dolor super omnem dolorem; idest super dolorem omnium obiectorum creatorum.

Quare dicitur. De quolibet peccato? 135

Respondeo, quoniam vera penitentia est de omnibus peccatis, vt

vt Medicina, nec peccatum remittitur, nisi homo iustificetur, quod per Contritionem certò fit, quæ directè peccato, vt eius contrario, opponitur, vt est voluntarium erga Deum bonum infinitum, & non materiale Iustitiæ.

136 Quare dicitur Proprio?

Respondeo, quia Contritio est de propria duritie; licet ex Charitate de alieno etiam dolere peccato: non autem est contritio, nisi tamen habita fuerit participatio cum alterius peccato.

137 Quare dicitur Actuali?

Respondeo, quoniam de originali, conteri minimè tenemur, quandoquidem ipsum non est in nobis per propriam voluntatem commissum, sed per alienam contractum; & hinc est, quòd pueris ex parentum voluntate, Baptismatis Sacramento applicato ipsum originale remittitur peccatum; quoniam si per alium ipsum contraximus, ita per alium ab eo liberamur, vt experientia in Ecclesia claret.

138 Quare dicitur Commisso?

Respondeo, quoniam de peccato futuro conteri non tenemur, sed tantum cautionem habere nè iterum in ipsum labamur in posterum.

139 Quare dicitur, cum intentione confitendi?

Respondeo, quoniam licet per Contritionem possit tota pœna tolli, attamen confessio est necessaria. primò, quia nemò certus est de perfecta Contritione. secundò, quia præceptum habemus diuinum, & humanum eam faciendi copia Confessoris habita.

140 Quare dicitur, ac satisfaciendi?

Respondeo, quoniam remissa culpa, quæ æterna ad ipsam correspondebat pœna in inferno, remanet temporalis pœna in hoc sæculo, si volumus, vel in Purgatorij ardentissimis flammis persoluere.

141 Quare dicitur, atquè abstinendi de futuro?

Respondeo, quoniam non sufficit pro diuina gratia obtinenda, ac charitate de commissis dolere peccatis, sed vlterius requiritur, vt ab eis in futurum abstineamus.

142 Quot requiruntur ad veram Contritionem?

Respondeo quatuor; primò, gratiæ, charitatisquè Dei infusio;

sio; secundò, liberi arbitrij motus in fidem; tertiò, motus ad detestandum peccatum, vt est offensa summi boni; quartò, culpæ remissio.

Quot sunt causæ, quæ ad veram Contritionem, ac Pœnitentiam inducunt? 143

Respondeo septem; prima, ex parte Dei omnipotentis; aliæ verò ex parte peccatoris; prima, ex parte Dei omnipotentis est auxilium gratuitum ipsius interius mouentis, siuè spirantis bona; nemò enim per se ipsum ad gratiam potest se præparare sinè exteriore Dei auxilio, tãquam primi motus, vt innuere videtur Apostolus Ephesiorum c. 5. Surge, qui dormis, surge à peccatis, & illuminabit te Christus: sex aliæ, quæ ex parte sunt peccatoris; prima, est peccatorum recognitio; secunda, turpitudo peccati; tertia, vilitas peccatoris; quarta, timor gehennæ; quinta, timor amissionis Patriæ cœlestis; sexta, & vltima, spes veniæ; quæ quidem triplex est: prima veniæ, qua peccata dimittuntur; secunda, gratiæ, qua bona operamur; tertia, cœlestis gloriæ, qua remunerabimur.

Peccator, huius Sacramenti virtute, quomodò, & quando fit ex attrito, contritus? 144

Respondeo, quòd duplex est Attritio, nimirum perfecta vna, imperfecta altera, per quam peccator vì huius Sacramenti fit de attrito, contritus, tres habet conditiones: prima, est habere dolorem de peccato præterito: secunda, propositum abstinendi de futuro, saltem virtuale: tertia est, remouere omnium peccatorum occasiones: ista verò dicitur imperfecta contritio, seù dolor, & hoc, vel quia non habet illum dolorem magnum de peccatis commissis, vel quia propter Inferni pœnas, vel horrendum Dei iudicium mouetur, & non propter eius offensam, per quam esse deberet vera Contritio: illa dicitur Attritio perfecta, per quã peccator virtute huius Sacramenti fit de attrito contritus: imperfecta autem attritio, per quam peccator omninò potest de attrito fieri contritus huius Sacramenti virtute, est quando se dolet præteritis peccatis, non tamen de futuris propositum habet retinendi, vel contra.

Quot sunt Contritionis conditiones? 145

Respondeo duæ, nimirum dolor de peccatis præteritis, & propositum confitendi, & satisfaciendi, atq; abstinendi de futuris.

146 Numquid cuilibet dicenti se dolere de præteritis peccatis, sit impendendum absolutionis beneficium?

Respondeo, quòd sic, dummodò adsit nè dum dolor aliquis de præteritis, sed etiam propositum satisfaciendi, atq; abstinendi de futuris.

147 Quot sunt Contritionis effectus?

Respondeo, quòd multi; sed principaliores quatuor sunt; primùs est delere omnem peccatorum culpam; secundùs, æternalem poenam in temporalem resoluere; tertiùs, poenam illam in temporalem resolutam etiam remittere; quartus, poenam pro peccatis debitam remittere, iuxta maiorem, vel minorem peccatorum plenitudinem.

148 Quæ differentia est, inter Pęnitentiæ Sacramentum, & Sacramentalem Confessionem?

Respondeo, quòd hæc est differentia, quia nimirum, Sacramentum Poenitentiæ tunc dicitur, quando quis poenitens, sua confitetur peccata, & confessarius videns illum esse dignum, ac capacem absolutione suorum peccatorum, ipsum talem absoluit. At Sacramentalis Confessio illa dicitur esse, cum quis sua confitetur peccata, sed confessarius ex aliqua causa ei peccatorum absolutionem differt. Dicitur tunc Confessio Sacramentalis, & non Pęnitentiæ Sacramentum, quoniam peccatorum absolutio defuit, quæ est res Sancta peccatoris animam sanctificans, gratiam, charitatemq; Dei conferens.

149 Quæ differentia est inter poenitere, & poenitentiam agere?

Respondeo, quòd poenitere est dolor interior, sed poenitentiam agere est dolorem internum exterius demonstrare.

150 An peccator debeat per totum vitæ suæ tempus in poenitentia perdurare?

Respondeo, quòd duplex est poenitentia nempè interior, & exterior; interior illa est, quando peccator dolet se de iam commissis peccatis; exterior verò est illa, quæ dolorem illum intrinsecum per actus suos exterius ostendit, quantum ad primam, debet peccator per totum vitæ suæ tempus perdurare, quòd scilicet nunquam ipsi iàm peccata commissa placeant; quantum ad secundam, ei sufficit tantùm ad certum, & determinatum tempus illam habere, ac debere illam diligentissimè perquirere, nimirum in mortis articulo, & quando aliquod vult recipere, vel ministrare Sa-

re Sacramentum, vel magnam habuerit à Spiritu Sancto inspirationem, vt de suis doleat peccatis, & cum ipso Deo summè, infinitèquè bono se reconciliet, atq; ad gratiam, & amicitiam ipsius Dei redeat pristinam.

An peccatum remitti possit absquè Pœnitentia? 151

Respondeo, quòd sic, de potentia Dei absoluta; Deus enim potentiam suam Sacramentis minimè alligauit: secus dicendum de potentia ipsius ordinaria, & hoc est de Fide Catholica tenendum iuxta æternæ veritatis eloquium Matthæi c.3. dicentis. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

An vnum peccatum mortale remitti possit alio non remisso? 152

Respondeo, quòd non; peccata siquidem mortalia cum sint omnia contra Charitatem, saltem implicitè, & indirectè patrata, habent ad inuicem connexionem ex parte Auersionis à Deo, & vnum sinè altero remitti non potest, quoniam impium est, à Deo dimidiam sperare salutem; attamen potest vnum veniale, absquè alio veniali remitti etiam cum mortali peccato coniuncto; & licet apud aliquos oppositum possit videri, maximè apud D. Thomam 3. p. art. 4. mihi tamen supra allata doctrina solidior, & veritati propinquior esse videtur, vt quisquè attente, apud Martinum Nauarrum c. 3. n. 7. &c. de quotidianis dist. 3. n. 11. Durandum sen.4. dist.16.q.2. Angelicum de Ancona, &c. legens videre manifestè poterit; quandoquidem ipsa venialia, cum non sint contra Charitatem patrata, non habent cum mortalibus ad inuicem connexionem, sed omninò diuisa sunt, atquè distincta, nec prò illis abolendis, gratiæ requiritur infusio, vel augmentum, sed solum per actus ipsis contrarios remittuntur. Exempli gratia. Quis comedendo, & bibendo facit actum intemperantiæ, hic talis faciendo deindè actum temperantiæ cum hoc proposito, vt deleatur veniale commissum per actum intemperantiæ, iam acquirit remissionem talis peccati venialis, sic de omni peccato veniali poteris exemplificare: quæ peccatorum venialium remissio, secundùm D. Thomam, causatur vno modo in quantum gratia infunditùr, & hoc modo per Eucharistiam atquè Extremam Vnctionem, & per omnia Sacramenta nouæ legis, quibus confertur gratia, ipsa venialia remittuntur: secundò modò per aliquem motum peccatoris ipsa detestando: sic Gene-

ralis Confessio, pectoris tunsio, oratio Dominicalis, omnia hæc, & alia huiusmodi, quæ Sacramentalia à Sacris Theologis appellantur, venialium remissionem impetratoriè operantur.

153 Quandò Deus vult peccatorem iustificare, ac ipsius peccata remittere, & gratiam suam, ác charitatem præbere, quot gratiæ ante concurrunt?

Respondeo, omissis Theologorum opinionibus, ob breuitatis causam, & nè etiam simplices confundantur, quorum intuitu hoc opus ipse feci; esse tres gratias, quæ hominis peccatoris iustificationem, &c. præcedunt, nimirum. Gratia, Vocans, Cooperans, ac Iustificans: gratia Dei vocans illa est, quæ peccatorem ad pœnitentiam conuocat; cooperans illa est, quæ peccatorem omninò, & infallibiliter facit operari illud opus bonum, ad quod fuit prius vocatus per gratiam vocantem; Iustificans illa est, gratia, quæ peccata remittit, ac gratiam, & charitatem confert.

154 . An Deus istas tres gratias omnibus peccatoribus conferat?

Respondeo, quòd Deus ipse omnibus peccatoribus cuiuscunquè nationis gratiam vocantem præbet; ipse namq; Deus vult omnes homines saluos fieri, nolitq; mortem peccatoris, sed potius eius conuersionem, ac etiam stat ad ostium voluntatis humanæ, & pulsat hac gratia vocante, & si quis, vel omnes illi aperuerint, intrabit gaudenter in illos: sed ò scelus nefandum! ò humanæ cœcitatis incredibilis amentia! Deus est lux sempiterna, & indeficiens, & nolunt illuminari, sed potius diligunt miserabiliter peccatorum tenebras! An non audis tuum creatorem? qui apud suum Euangelistam lamentatur de hac tua crudelissima, ac ingratissima resistentia, dicens. Ierusalem (nimirum ò anima ad tui Creatoris similitudinem creata) quoties volui te congregare, scilicet conuertere, & renuisti? & alibi ait per Matthæum c. 22. multi sunt vocati, puta omnes, quoniam in Sacra Scriptura nomine (multi) omnes intelliguntur homines, at non omnes vocat per gratiam cooperantem, si enim Deus omnes per talem gratiam vocaret, omnes de facto saluarentur, quod quidem non sic se habet: qua de causa Christus vbi supra præcedentibus verbis adiunxit, dicens. Pauci verò electi: proindè nota pie lector, quòd à Deo non omnibus peccatoribus gratia cooperans confertur,

non

non enim omnes ad benè operandum, vt patet experientià, sunt dispositi, ad quod quidem vocati fuerunt per gratiam vocantem; quoniam ad gratiam diuinam habendam, nostri liberi arbitrij dispositio requiritur acceptantis, ac operantis bonum, & sic Deus, qui summè Prouidus est, præuidens aliquos ex nobis, perfectam non habentes operationem (nam perfectum non habemus liberum Arbitrium ad bene operandum vita æterna dignum) illis cooperantem gratiam præbere omittit, & sic quando aliqui ex nobis damnantur: non damnantur in quantum Deus gratiam non præbet cooperantem, si enim ita rem sese haberet intelligeres, in maximum incurreres errorem, ac mortale peccatum. Deus namq; Ioannis primò cap. Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum: sed solum damnantur in quantum ipsi peccatores non sunt cum suis potentijs, viribusquè naturalibus ad benè operandum rectè dispositi, habita gratia vocante. Proindè Deus videns Iudam, ac Petrum esse damnatos (vnum propter traditionem, alium propter negationem) ambos per gratiam vocantem, vocauit, sed non ambos per gratiam cooperantem, sed solùm Petrum: hoc clarum accipe exemplum: habet quis duos amicos. audientem vnum: surdum alium; vocat audientem, quia scit ipsum auditurum, non vocat surdum, quia scit ipsum non auditurum; ac si eum vocaret, vocatio ipsa frustratoria esset. Sicquè Deus vocat Petrum, quoniam scit esse paratum, non vocat Iudam, quia scit ipsum non esse paratum, ac si eum vocaret, vocatio ipsa frustratoria esset. Deo autem frustratorium repugnat.

An Deus has tres gratias diuisas præbeat peccatoribus, nimirum successiuè, an verò in instanti simul? 155

Respondeo in instanti; nam Deus, qui summè prouidus est, peccatorem ipsum prænidens dispositum ad bonum operandum per vocantem gratiam in instanti ipsum tali gratia facit vt cooperetur, ad impij enim iustificationem non dantur duo instantia, ibi namquè tempus non est, nec motus, sed vltimum datur tempus, in quo sit culpa, ac primum instans, in quo est gratia.

Quando Deus vult peccata remittere, gratiam, charitatemquè suam conferre, quid est in peccatore prius, remissio peccatorum: an gratiæ, charitatisquè Dei infusio? 156

Re-

Respondeo si loquamur ex parte recipientis, nimirum peccatoris, prius est peccatorum remissio, quàm gratiæ, charitatisquè infusio; si verò loquamur ex parte Agentis, scilicet Dei peccata remittentis, prius est gratiæ, charitatisquè infusio, quàm peccatorum remissio. Nihilominus dicendum nobis est cum Glossa in cap. magnæ, in verb. dimisit. quòd Iustificatio, Contritio, dilectio, ac remissio omnia essent simul, ac semel, licet alia præcedant alia prioritate naturæ; vt in sole, in quo tria possunt considerari, quæ certè ordinatè concurrunt, nimirum substantia ipsius, radius, & calor; hæc enim omnia simul, & semel ad effectum ordinatè concurrunt, quamquam substantia solis præcedat radium splendescentem prioritate naturæ, nam à substantia solis effluit radius, & non contra: sic discurre de radio respectu Caloris; nam per radium calor, non contra. Nauarr. in dicto Gl. n. 4. de Pœnitentia d. 4.

157 Quando Deus peccatori propter bonum opus patratum peccatum remittit, & gratiam, charitatemq; suam confert: quid est in peccatore prius, bonum opus patratum, an peccatorum remissio, & gratiæ, charitatisquè infusio?

Respondeo, quòd aliqui volunt, quòd bonum opus peccatoris sit prius in genere causæ materialis, & postea Dei gratia, charitatisquè infusio sequitur, quæ Dei gratia, charitatisquè infusio prius est in genere efficientis; nihilominus hìc nobis est dicendum secundùm veram, sanamquè Doctrinam specialiter per Doctorem Subtilem in 4. dist. 14. q. 2. ac Vegam in Tridentinum lib. 6. c. 23. quòd bonum opus à peccatore patratum sit prius, quàm infusio gratiæ, &c. ac peccatorum remissio tàm in genere causæ efficientis, quàm in genere causæ materialis; quoniam Dei gratia, ac peccatorum remissio non procedunt à gratia infusa, sed à libero arbitrio hominis bonum operantis diuino auxilio habito.

Et hinc asserere possumus, quòd ad nostram iustificationem, quatuor ordinatè concurrant, primò motus Dei peccatorem ab bonum operandum mouentis iuxta præallegatum dictum Apostoli, surge, qui dormis, &c. secundò, liberum arbitrium peccatoris motum Dei acceptantis; tertiò operatio bona; quartò, peccatorum remissio, gratiæ, charitatisquè Dei infusio, quę doctrina approbari potest cum illa Sacri Conc. Trid. sess. 6. Can.

6. Can. 5. 6. & 7. Videlicet Can. 5. inquit: Deo excitanti cor nostrum excitari, can. 6. nos disponit dolendo, pœnitendo, diligendo, & Can. 7. præparationem nostram esse quandam dispositionem interiorem hominis.

Illud bonum opus à peccatore patratum, quod infusionem gratiæ præcedit, meretur nè illam peccatorum remissionem, ac Dei gratiæ, & charitatis infusionem? 158

Respondeo primò, quòd disponit ad gratiam, peccatorumq; remissionem; secundò, quòd non meretur illam de condigno, cum non sit opus in gratia patratum, sed solum de congruo: si quidem congruum est diuinæ bonitati succurrenti, atquè ipsum in suam recipienti gratiam; facienti enim, quòd in se est: Deus ipse, qui infinitè misericors est, suam non denegat gratiam, ac charitatem.

An peccator per penitentiam omnes virtutes deperditas propter mortale peccatum, rehabeat? 159

Respondeo, quòd sic; nam si homo propter suum mortale peccatum omnes morales deperdit virtutes: sic à contrariò, per pœnitentiam ipsas omnes rehabet; non enim minorem potentiam habet pœnitentia cum misericordia Dei: quàm peccatum cum eius Iustitia: imò maiorem, cum sit virtus, ac proindè nobilior, illud verò sit vitium, ac ignobilius; etiam audi Psalmum 144. dicentem. Miserationes eius, super omnia opera eius: immò probatur ex D. Thom. 3. p. quæst. 89. art. 4. dicente, quòd cum per gratiam remittuntur peccata, Per pœnitentiam gratia infunditur, ex qua consequenter omnes virtutes consequuntur.

An peccator per penitentiam semper in æqualem redeat gratiam, propter mortale peccatum deperditam? 160

Respondeo, quòd interdum in minorem, interdum in æqualem, interdum verò in maiorem redit gratiam; quoniam in pœnitente minuitur, augeturq; gratia Dei, secundùm doloris quantitatem intensiuam. Vndè peccator, non semper vno modo de suis conteritur peccatis, sed aliquando minori, aliquando æquali, & aliquando maiori, vt manifestissimum, Lucæ cap. 7. habemus exemplum: Dicente Saluatore, de Maria Magdalena, Pharisæo. Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: quasi diceret Pharisæo. Est ei data gratia multa, quoniam con-

contrita est multum, quandoquidem pater meus coelestis reddit vnicuiquè secundum opera eius.

De Confessione.

161 QVot sunt species Confessionis?
Respondeo tres: prima, intrinseca peccatorum accusatio coram Deo, quæ instituta fuit post peccatum nostri primi Parentis Adæ, durante lege Naturæ: secunda, ceremonialis, durante lege scripta, per quam offerebantur sacrificia simul, ac diuisa, prout simul, ac diuisim committebantur peccata: tertia, Sacramentalis, quæ secreta est peccatorum accusatio coram legitimo Sacerdote habente claues Ecclesiæ, vt illis absoluatur pœnitens; quæ quidem fuit post legem gratiæ à Christo mediatore confecta, cum suis dixit discipulis, accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, quæ certè ad finem vsquè perdurabit.

162 Quot sunt Sacramentalis Confessionis condictiones?
Respondeo sexdecim, his contentæ carminibus, videlicet.
Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis;
Atquè frequens, nuda, discreta libens, verecunda.
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.
Prima, condictio est vt sit, simplex: ideſt vt confiteantur peccata, absquè verborum palliatione, atq; obscuritate, vt confessarius possit peccati realitatem scire.
Secunda, vt sit humilis, ideſt cum cognitione subiectionis verbis humilibus, genibusq; flexis, capiteq; aperto.
Tertia, vt sit pura, ideſt sinè admistione impertinentium, confitendo nimirum necessaria, recta intentione, vt scilicet Deo placeat, confitendo ipse pœnitens, quem antea offenderat, peccando.
Quarta, fidelis, ideſt sinè mendacio, dicendo certa pro certis, dubia pro dubijs peccatis.
Quinta, frequens, ideſt, semel in Anno, & quoties conscientia dictat esse vtile si fieret, ad euitanda peccata, in mortis articulo, vel periculo, ex quo mors sequi, vt plurimum solet, vt est bellum,

lium, naufragium maritimum, & vniuersaliter: quoties dubium est, de non habendo idoneum Confessorem, vel qui possit à peccatis, seu casibus reseruatis absoluere, & quoties vult communicari, si est mortalis peccati conscius.

Sexta, vt sit nuda, idest sinè excusatione, & obscuritate, ac equiuocatione verborum, vt in prima condictione diximus.

Septima, vt sit discreta, idest eligendo idoneum Confessorem, verbis honestis vtendo, peccata confitendo simul, vel diuisim, prout conuenit.

Octaua libens, idest sinè metu pęnæ diuinæ Iustitiæ ministerio infligendæ, vel Ecclesiæ, nec alicuius intuitu temporalis, sed solum hoc motiuo, vt Deo summo bono reconcilietur.

Nona, verecunda; idest sine iactantia, nimirum erubescendo in semetipso coram Deo, & Confessore.

Decima, integra; idest, tenetur pœnitens omnia, & singula peccata confiteri, & quæ dubitat esse mortalia, & quæ conscientia dictat esse confitenda, & circumstantias peccatorum in infinitum augendo, seù aggrauantes, & mutantes speciem peccati; puta, si quis simpliciter furatur, peccat contra Iustitiam commutatiuam, & facit peccatum furti magis, vel minus graue, pro vt quantitas rei, quam furatus erit; at si furatur rem Ecclesiæ committit sacrilegium. Item si quis cognoscit simplicem liberam meretricem, committit peccatum fornicationis: si verò cognoscit, & habet coitum cum muliere vxorata, facit adulterium: si cognoscit virginem, facit stuprum; sic si diabolo instigante habebit copulam cum aliquo animali bruto, committit peccatum bestialitatis: si cognoscit mulierem, siuè sit eius vxor, siuè non, per vas præposterum, siuè masculum eiusdem sexus cum ipso, committit nefandum peccatum Sodomię: sic poteris exemplificare per omnia peccata, aduertendo tamen ad circumstantiam, quia hæc aggrauat, & mutat speciem peccati, ac proindè stude animarum saluti. Venialia peccata non tenemur confiteri, quamquam vtillimum, piumquè sit ea confessario propalare, sunt etiam materia sufficiens confessionis; quoniam si quæ anima timens Deum, mortale non habet peccatum, & cupit accipere magnum huius Sacramenti Pœnitentiæ effectum, poterit cum solis venialibus ad confessarium accedere, & illa confitendo admisceat aliquod peccatum mortale, forsan alia confessione confessum, & absolutum,

cur? nimirum; quo animo, qualiquè intentione fecisti? Septima, quomodo? nimirum, naturaliter, an contra naturam, in propria specie, an in aliena? Octaua, quomodo? nimirum, in festo, an tempore ieiuniorum tempore, vel alio?

Quot sunt species harum circumstantiarum? 165

Respondeo tres esse, videlicet, quædam alleuiantes, quædam aggrauantes, & quædam sunt mutantes.

An sint omnes istæ circumstantiæ, ad salutem, necessariò confitendæ? 166

Respondeo. Circumstantiæ alleuiantes peccatum, non sunt necessariò confitendæ, vt quando quædam mulier iuuenta, sola, blanditijs multis, persuasionibus impudicis, donisquè allicitur, vt peccato consentiat; item famem patiens, in necessitate extrema, furatur, hæ circumstantiæ, & his similes, non sunt confitendæ. Sunt nihilominus confitendæ, quando de mortali peccato, veniale faciunt, vel nullum, vt cum mulier per vim cognita fuit, vel in extrema necessitate furatus est aliquis.

Secundò. Aggrauantes solum; idest, quando peccatum intra eamdem speciem augent, vel faciunt ex magno maximum, vt cum quis vni viro, vnum occidit equm: alteri verò duos; hæ circumstantiæ, & his similes necessariò confitendæ non sunt, quamquàm pium sit, ac laudabile eas confiteri semper. Verumtamen est, quòd aliqui volunt, esse necessariò confitendas ad animæ salutem, quod est vt supra in tali casu tenendum secundùm veram, ac communem doctrinam, est autem pœnitenti necessarium, damnificato in integrum satisfacere; vt enim ait D. Augustinus. Non remittitur peccatum, nisi restituatur oblatum.

Tertiò. Mutantes peccatum ad aliud peccati genus, vt quando quis in Ecclesia furatur, vel carnaliter cognoscit consanguineam, vel affinem, vel religiosam, vel spiritualem filiam, puta quam baptizauit, vel cuius confessionem audiuit, quæ circumstantiæ, & his similes semper necessariò sunt ad salutem confitendæ: quandoquidem ipsæ nedum peccatum augent intra eamdem speciem, ac faciunt ex magno maximum, verum etiam illud ad aliud peccati genus vertunt; nimirum furtum in Ecclesia commissum, facit sacrilegium, fornicatio in consanguinea facit incestum, sicut etiam in affine; in virgine stuprum; in religiosa, ac spirituali filia facit sacrilegium, sicut furtum in Ecclesia commissum de quibus supra multas attulimus.

146 Numquid cuilibet dicenti se dolere de præteritis peccatis, sit impendendum absolutionis beneficium?

Respondeo, quòd sic, dummodò adsit nè dum dolor aliquis de præteritis, sed etiam propositum satisfaciendi, atq; abstinendi de futuris.

147 Quot sunt Contritionis effectus?

Respondeo, quòd multi; sed principaliores quatuor sunt; primùs est delere omnem peccatorum culpam; secundùs, æternalem pœnam in temporalem resoluere; tertiùs, pœnam illam in temporalem resolutam etiam remittere; quartus, pœnam pro peccatis debitam remittere, iuxta maiorem, vel minorem peccatorum plenitudinem.

148 Quæ differentia est, inter Pęnitentiæ Sacramentum, & Sacramentalem Confessionem?

Respondeo, quòd hæc est differentia, quia nimirum, Sacramentum Pœnitentiæ tunc dicitur, quando quis pœnitens, sua confitetur peccata, & confessarius videns illum esse dignum, ac capacem absolutione suorum peccatorum, ipsum talem absoluit. At Sacramentalis Confessio illa dicitur esse, cum quis sua confitetur peccata, sed confessarius ex aliqua causa ei peccatorum absolutionem differt. Dicitur tunc Confessio Sacramentalis, & non Pęnitentiæ Sacramentum, quoniam peccatorum absolutio defuit, quæ est res Sancta peccatoris animam sanctificans, gratiam, charitatemq; Dei conferens.

149 Quæ differentia est inter pœnitere, & pœnitentiam agere?

Respondeo, quòd pœnitere est dolor interior, sed pœnitentiam agere est dolorem internum exterius demonstrare.

150 An peccator debeat per totum vitæ suæ tempus in pœnitentia perdurare?

Respondeo, quòd duplex est pœnitentia nempè interior, & exterior; interior illa est, quando peccator dolet se de iam commissis peccatis; exterior verò est illa, quæ dolorem illum intrinsecum per actus suos exterius ostendit, quantum ad primam, debet peccator per totum vitæ suæ tempus perdurare, quòd scilicet nunquam ipsi iàm peccata commissa placeant; quantum ad secundam, ei sufficit tantùm ad certum, & determinatum tempus illam habere, ac debere illam diligentissimè perquirere, nimirum in mortis articulo, & quando aliquod vult recipere, vel ministrare Sa-

re Sacramentum, vel magnam habuerit à Spiritu Sancto inspirationem, vt de suis doleat peccatis, & cum ipso Deo summè, infinitèquè bono se reconciliet, atq; ad gratiam, & amicitiam ipsius Dei redeat pristinam.

An peccatum remitti possit absquè Pœnitentia? 151

Respondeo, quòd sic, de potentia Dei absoluta; Deus enim potentiam suam Sacramentis minimè alligauit: secus dicendum de potentia ipsius ordinaria, & hoc est de Fide Catholica tenendum iuxta æternæ veritatis eloquium Matthæi c. 3. dicentis. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

An vnum peccatum mortale remitti possit alio non remisso? 152

Respondeo, quòd non; peccata siquidem mortalia cum sint omnia contra Charitatem, saltem implicitè, & indirectè patrata, habent ad inuicem connexionem ex parte Auersionis à Deo, & vnum sinè altero remitti non potest, quoniam impium est, à Deo dimidiam sperare salutem; attamen potest vnum veniale, absquè alio veniali remitti etiam cum mortali peccato coniuncto; & licet apud aliquos oppositum possit videri, maximè apud D. Thomam 3. p. art. 4. mihi tamen supra allata doctrina solidior, & veritati propinquior esse videtur, vt quisquè attente, apud Martinum Nauarrum c. 3. n. 7. &c. de quotidianis dist. 3. n. 11. Durandum sen. 4. dist. 16. q. 2. Angelicum de Ancona, &c. legens videre manifestè poterit; quandoquidem ipsa venialia, cum non sint contra Charitatem patrata, non habent cum mortalibus ad inuicem connexionem, sed omninò diuisa sunt, atquè distincta, nec prò illis abolendis, gratiæ requiritur infusio, vel augmentum, sed solum per actus ipsis contrarios remittuntur. Exempli gratia. Quis comedendo, & bibendo facit actum intemperantiæ, hic talis faciendo deindè actum temperantiæ cum hoc proposito, vt deleatur veniale commissum per actum intemperantiæ, iam acquirit remissionem talis peccati venialis, sic de omni peccato veniali poteris exemplificare: quæ peccatorum venialium remissio, secundùm D. Thomam, causatur vno modo in quantum gratia infunditùr, & hoc modo per Eucharistiam atquè Extremam Vnctionem, & per omnia Sacramenta nouæ legis, quibus confertur gratia, ipsa venialia remittuntur: secundò modò per aliquem motum peccatoris ipsa detestando: sic Gene-

ralis Confeſſio, pectoris tunſio, oratio Dominicalis, omnia hæc, & alia huiuſmodi, quæ Sacramentalia à Sacris Theologis appellantur, venialium remiſſionem impetratoriè operantur.

153 Quandò Deus vult peccatorem iuſtificare, ac ipſius peccata remittere, & grátiam ſuam, ác charitatem præbere, quot gratiæ ante concurrunt?

Reſpondeo, omiſſis Theologorum opinionibus, ob breuitatis cauſam, & nè etiam ſimplices confundantur, quorum intuitu hoc opus ipſe feci, eſſe tres gratias, quæ hominis peccatoris iuſtificationem, &c. præcedunt, nimirum. Gratia, Vocans, Cooperans, ac Iuſtificans: gratia Dei vocans illa eſt, quæ peccatorem ad pœnitentiam conuocat; cooperans illa eſt, quæ peccatorem omninò, & infallibiliter facit operari illud opus bonum, ad quod fuit prius vocatus per gratiam vocantem; Iuſtificans illa eſt, gratia, quæ peccata remittit, ac gratiam, & charitatem confert.

154 An Deus iſtas tres gratias omnibus peccatoribus conferat?

Reſpondeo, quòd Deus ipſe omnibus peccatoribus cuiuſcunquè nationis gratiam vocantem præbet; ipſe namq; Deus vult omnes homines ſaluos fieri, nolitq; mortem peccatoris, ſed potius eius conuerſionem, ac etiam ſtat ad oſtium voluntatis humanæ, & pulſat hac gratia vocante, & ſi quis, vel omnes illi aperuerint, intrabit gaudenter in illos: ſed ò ſcelus nefandum! ò humanæ cœcitatis incredibilis amentia! Deus eſt lux ſempiterna, & indeficiens, & nolunt illuminari, ſed potius diligunt miſerabiliter peccatorum tenebras! An non audis tuum creatorem? qui apud ſuum Euangeliſtam lamentatur de hac tua crudeliſſima, ac ingratiſſima reſiſtentia, dicens. Ieruſalem (nimirum ò anima ad tui Creatoris ſimilitudinem creata) quoties volui te congregare, ſcilicet conuertere, & renuiſti? & alibi ait per Matthæum c. 22. multi ſunt vocati, puta omnes, quoniam in Sacra Scriptura nomine (multi) omnes intelliguntur homines, at non omnes vocat per gratiam cooperantem, ſi enim Deus omnes per talem gratiam vocaret, omnes de facto ſaluarentur, quod quidem non ſic ſe habet: qua de cauſa Chriſtus vbi ſupra præcedentibus verbis adiunxit, dicens. Pauci verò electi: proindè nota pie lector, quòd à Deo non omnibus peccatoribus gratia cooperans confertur,

non

non enim omnes ad benè operandum, vt patet experientià, sunt dispositi, ad quod quidem vocati fuerunt per gratiam vocantem; quoniam ad gratiam diuinam habendam, nostri liberi arbitrij dispositio requiritur acceptantis, ac operantis bonum, & sic Deus, qui summè Prouidus est, præuidens aliquos ex nobis, perfectam non habentes operationem (nam perfectum non habemus liberum Arbitrium ad bene operandum vita æterna dignum) illis cooperantem gratiam præbere omittit, & sic quando aliqui ex nobis damnantur: non damnantur in quantum Deus gratiam non præbet cooperantem, si enim ita rem sese haberet intelligeres, in maximum incurreres errorem, ac mortale peccatum. Deus namq; Ioannis primò cap. Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum: sed solum damnantur in quantum ipsi peccatores non sunt cum suis potentijs, viribusquè naturalibus ad benè operandum rectè dispositi, habita gratia vocante. Proindè Deus videns Iudam, ac Petrum esse damnatos (vnum 1
propter traditionem, alium propter negationem) ambos per gratiam vocantem, vocauit, sed non ambos per gratiam cooperantem, sed solùm Petrum: hoc clarum accipe exemplum: habet quis duos amicos audientem vnum: surdum alium; vocat audientem, quia scit ipsum auditurum, non vocat surdum, quia scit ipsum non auditurum; ac si eum vocaret, vocatio ipsa frustratoria esset. Sicquè Deus vocat Petrum, quoniam scit esse paratum, non vocat Iudam, quia scit ipsum non esse paratum, ac si eum vocaret, vocatio ipsa frustratoria esset. Deo autem frustratorium repugnat.

An Deus has tres gratias diuisas præbeat peccatoribus, nimirum successiuè, an verò in instanti simul? 155

Respondeo in instanti; nam Deus, qui summè prouidus est, peccatorem ipsum præuidens dispositum ad bonum operandum per vocantem gratiam in instanti ipsum tali gratia facit vt cooperetur, ad impij enim iustificationem non dantur duo instantia, ibi namquè tempus non est, nec motus, sed vltimum datur tempus, in quo sit culpa, ac primum instans, in quo est gratia.

Quando Deus vult peccata remittere, gratiam, charitatemquè 156
suam conferre, quid est in peccatore prius, remissio peccatorum: an gratiæ, charitatisquè Dei infusio?

Re-

Respondeo si loquamur ex parte recipientis, nimirum peccatoris, prius est peccatorum remissio, quàm gratiæ, charitatisquè infusio; si verò loquamur ex parte Agentis, scilicet Dei peccata remittentis, prius est gratiæ, charitatisquè infusio, quàm peccatorum remissio. Nihilominus dicendum nobis est cum Glossa in cap. magnæ, in verb. dimisit. quòd Iustificatio, Contritio, dilectio, ac remissio omnia essent simul, ac semel, licet alia præcedant alia prioritate naturæ; vt in sole, in quo tria possunt considerari, quæ certè ordinatè concurrunt, nimirum substantia ipsius, radius, & calor; hæc enim omnia simul, & semel ad effectum ordinatè concurrunt, quamquam substantia solis præcedat radium splendescentem prioritate naturæ, nam à substantia solis effluit radius, & non contra: sic discurre de radio respectu Caloris; nam per radium calor, non contra. Nauarr. in dicto Gl. n. 4. de Pœnitentia d. 4.

157 Quando Deus peccatori propter bonum opus patratum peccatum remittit, & gratiam, charitatemq; suam confert: quid est in peccatore prius, bonum opus patratum, an peccatorum remissio, & gratiæ, charitatisquè infusio?

Respondeo, quòd aliqui volunt, quòd bonum opus peccatoris sit prius in genere causæ materialis, & postea Dei gratia, charitatisquè infusio sequitur, quæ Dei gratia, charitatisquè infusio prius est in genere efficientis; nihilominus hìc nobis est dicendum secundùm veram, sanamquè Doctrinam specialiter per Doctorem Subtilem in 4. dist. 14. q. 2. ac Vegam in Tridentinum lib. 6. c. 23. quòd bonum opus à peccatore patratum sit prius, quàm infusio gratiæ, &c. ac peccatorum remissio tàm in genere causæ efficientis, quàm in genere causæ materialis; quoniam Dei gratia, ac peccatorum remissio non procedunt à gratia infusa, sed à libero arbitrio hominis bonum operantis diuino auxilio habito.

Et hinc asserere possumus, quòd ad nostram iustificationem, quatuor ordinatè concurrant, primò motus Dei peccatorem ab bonum operandum mouentis iuxta præallegatum dictum Apostoli, surge, qui dormis, &c. secundò, liberum arbitrium peccatoris motum Dei acceptantis; tertiò operatio bona; quartò, peccatorum remissio, gratiæ, charitatisquè Dei infusio, quę doctrina approbari potest cum illa Sacri Conc. Trid. sess. 6. Can.

6. Can. 5. 6. & 7. Videlicet Can. 5. inquit: Deo excitanti cor nostrum excitari, can. 6. nos disponit dolendo, pœnitendo, diligendo, & Can. 7. præparationem nostram esse quandam dispositionem interiorem hominis.

Illud bonum opus à peccatore patratum, quod infusionem gratiæ præcedit, meretur nè illam peccatorum remissionem, ac Dei gratiæ, & charitatis infusionem? 158

Respondeo primò, quòd disponit ad gratiam, peccatorumq; remissionem; secundò, quòd non meretur illam de condigno, cum non sit opus in gratia patratum, sed solum de congruo: si quidem congruum est diuinæ bonitati succurrenti, atquè ipsum in suam recipienti gratiam; facienti enim, quòd in se est: Deus ipse, qui infinitè misericors est, suam non denegat gratiam, ac charitatem.

An peccator per pęnitentiam omnes virtutes deperditas 159 propter mortale peccatum, rehabeat?

Respondeo, quòd sic; nam si homo propter suum mortale peccatum omnes morales deperdit virtutes: sic à contrariò, per pœnitentiam ipsas omnes rehabet; non enim minorem potentiam habet pœnitentia cum misericordia Dei: quàm peccatum cum eius Iustitia: imò maiorem, cum sit virtus, ac proindè nobilior, illud verò sit vitium, ac ignobilius; etiam audi Psalmum 144. dicentem. Miserationes eius, super omnia opera eius: immò probatur ex D. Thom. 3. p. quæst. 89. art. 4. dicente, quòd cum per gratiam remittuntur peccata, Per pœnitentiam gratia infunditur, ex qua consequenter omnes virtutes consequuntur.

An peccator per pęnitentiam semper in æqualem redeat gra 160 tiam, propter mortale peccatum deperditam?

Respondeo, quòd interdum in minorem, interdum in æqualem, interdum verò in maiorem redit gratiam; quoniam in pœnitente minuitur, augeturq; gratia Dei, secundùm doloris quantitatem intensiuam. Vndè peccator, non semper vno modo de suis conteritur peccatis, sed aliquando minori, aliquando æquali, & aliquando maiori, vt manifestissimum, Lucæ cap. 7. habemus exemplum. Dicente Saluatore, de Maria Magdalena, Phariseo. Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum; quasi diceret Phariseo. Est ei data gratia multa, quoniam

con-

contrita est multum, quandoquidem pater meus coelestis reddit vnicuiquè secundum opera eius.

De Confessione.

161 QVot sunt species Confessionis?

Respondeo tres: prima, intrinseca peccatorum accusatio coram Deo, quæ instituta fuit post peccatum nostri primi Parentis Adæ, durante lege Naturæ: secunda, ceremonialis, durante lege scripta, per quam offerebantur sacrificia simul, ac diuisa, prout simul, ac diuisim committebantur peccata: tertia, Sacramentalis, quæ secreta est peccatorum accusatio coram legitimo Sacerdote habente claues Ecclesiæ, vt illis absoluatur pœnitens; quæ quidem fuit post legem gratiæ à Christo mediatore confecta, cum suis dixit discipulis, accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, quæ certè ad finem vsquè perdurabit.

162 Quot sunt Sacramentalis Confessionis condictiones?

Respondeo sexdecim, his contentæ carminibus, videlicet.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis;
Atquè frequens, nuda, discreta libens, verecunda.
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Prima, condictio est vt sit, simplex: ideſt vt confiteantur peccata, absquè verborum palliatione, atq; obscuritate, vt confessarius possit peccati realitatem scire.

Secunda, vt sit humilis, ideſt cum cognitione subiectionis verbis humilibus, genibusq; flexis, capiteq; aperto.

Tertia, vt sit pura, ideſt sinè admistione impertinentium, confitendo nimirum necessaria, recta intentione, vt scilicet Deo placeat, confitendo ipse pœnitens, quem antea offenderat, peccando.

Quarta, fidelis, ideſt sinè mendacio, dicendo certa pro certis, dubia pro dubijs peccatis.

Quinta, frequens, ideſt, semel in Anno, & quoties conscientia dictat esse vtile si fieret, ad euitanda peccata, in mortis articulo, vel periculo, ex quo mors sequi, vt plurimum solet, vt est bel-

lum,

lum, naufragium maritimum, & vniuerſaliter: quoties dubium eſt, de non habendo idoneum Confeſſorem, vel qui poſſit à peccatis, ſeu caſibus reſeruatis abſoluere, & quoties vult communicari, ſi eſt mortalis peccati conſcius.

Sexta, vt ſit nuda, ideſt ſinè excuſatione, & obſcuritate, ac æquiuocatione verborum, vt in prima conditione diximus.

Septima, vt ſit diſcreta, ideſt eligendo idoneum Confeſſorem, verbis honeſtis vtendo, peccata confitendo ſimul, vel diuiſim, prout conuenit.

Octaua libens, ideſt ſinè metu pœnæ diuinæ Iuſtitiæ miniſterio infligendæ, vel Eccleſiæ, nec alicuius intuitu temporalis, ſed ſolum hoc motiuo, vt Deo ſummo bono reconcilietur.

Nona, verecunda; ideſt ſine iactantia, nimirum erubeſcendo in ſemetipſo coram Deo, & Confeſſore.

Decima, integra; ideſt, tenetur pœnitens omnia, & ſingula peccata confiteri, & quæ dubitat eſſe mortalia, & quæ conſcientia dictat eſſe confitenda, & circumſtantias peccatorum in infinitum augendo, ſeù aggrauantes, & mutantes ſpeciem peccati; puta, ſi quis ſimpliciter furatur, peccat contra Iuſtitiam commutatiuam, & facit peccatum furti magis, vel minus graue, pro vt quantitas rei, quam furatus erit; at ſi furatur rem Eccleſiæ committit ſacrilegium. Item ſi quis cognoſcit ſimplicem liberam meretricem, committit peccatum fornicationis; ſi verò cognoſcit, & habet coitum cum muliere vxorata, facit adulterium: ſi cognoſcit virginem, facit ſtuprum; ſic ſi diabolo inſtigante habebit copulam cum aliquo animali bruto, committit peccatum beſtialitatis: ſi cognoſcit mulierem, ſiuè ſit eius vxor, ſiuè non, per vas præpoſterum, ſiuè maſculum eiuſdem ſexus cum ipſo, committit nefandum peccatum Sodomię: ſic poteris exemplificare per omnia peccata, aduertendo tamen ad circumſtantiam, quia hæc aggrauat, & mutat ſpeciem peccati, ac proindè ſtude animarum ſaluti. Venialia peccata non tenemur confiteri, quamquam vtilimum, piumque ſit ea confeſſario propalare, ſunt etiam materia ſufficiens confeſſionis; quoniam ſi quæ anima timens Deum mortale non habet peccatum, & cupit accipere magnum huius Sacramenti Pœnitentiæ effectum, poterit cum ſolis venialibus ad confeſſarium accedere, & illa confitendo admiſceat aliquod peccatum mortale, forſan alia confeſſione confeſſum, & abſolu-

tum; & doleat, non quòd debeat; sed quia hoc consilium est spirituale: & sic cum gratiam habet sanctificantem (quæ etiam alijs solet nuncupari nominibus, nimirum prima gratia, gratia habitualis, gratia gratum faciens, & si quæ alia habet nomina) accipiet augmentum gratiæ, quæ & secunda gratia à Theologis solet vocari: si verò pœnitens habēs peccatum mortale confiteatur de omnibus peccatis mortalibus, ab vltima confessione patratis, & dolens de peccatis ipsis, gratiam accipiet sanctificantem, &c.

Vndecima secreta; idest vt fiat coram solo Sacerdote, & non per scriptum, aut nuncium, vel testes.

Duodecima, vt sit lachrymabilis: idest cum dolore cordis intrinseco.

Decima tertia accelerata; idest post peccatum commissum, quàm citius pęnitens ipse confiteatur, & quoties vrget necessitas confitendi, id celerrimè fiat, sine pigritia.

Decima quarta, vt sit fortis: idest superans omnem timorem, & pudorem retrahentem ab integra omnium peccatorum commissorum confessione.

Decima quinta, vt sit accusans: idest vt sibi ipsi, & non alijs imputando, nec aliena confitendo peccata, sed propria.

Decima sexta, conditio Sacramentalis Confessionis est. Parere parata; idest vt pœnitens sit paratus ad debitam satisfactionem pro commissis, confessisquè peccatis hic in hoc sæculo, aliàs in Purgatorij flammis ardentissimis temporaliter cruciabitur.

163 An istæ conditiones Confessionis, sint omnes necessariæ simpliciter ad salutem?

Respondeo, quòd non; sed solum quinque: nempè. Integra, verecunda, dolorosa, accusans, & secreta: aliæ verò vndecim non requiruntur ad validitatem, sed potiùs ad eius perfectionem.

164 Quot sunt Confessionis circumstantiæ?

Respondeo octo, videlicet. Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur quomodo, quando. Prima, quis? nimirum vxoratus, an solutus? Secunda, quid? nimirum furtum, an homicidium. Tertia, vbi? nimirum, in quo loco, publico, an secreto? Quarta, per quos? nimirum solus, an sociatus? vel, per se, an per alios? Quinta, quoties? nimirum semel, an pluries peccatũ factum est? Sexta,

 cur?

cur? nimirum; quo animo, qualiquè intentione fecisti? Septima, quomodo? nimirum, naturaliter, an contra naturam, in propria specie, an in aliena? Octaua, quomodo? nimirum, in festo, an tempore ieiuniorum tempore, vel alio?

Quot sunt species harum circumstantiarum? 165

Respondeo tres esse, videlicet, quædam alleuiantes, quædam aggrauantes, & quædam sunt mutantes.

An sint omnes istæ circumstantiæ, ad salutem, necessariò confitendæ? 166

Respondeo. Circumstantiæ alleuiantes peccatum, non sunt necessariò confitendæ, vt quando quædam mulier iuuenta, sola, blanditijs multis, persuasionibus impudicis, donisquè allicitur, vt peccato consentiat; item famem patiens, in necessitate extrema, furatur, hæ circumstantiæ, & his similes, non sunt confitendæ. Sunt nihilominus confitendæ, quando de mortali peccato, veniale faciunt, vel nullum, vt cùm mulier per vìm cognita fuit, vel in extrema necessitate furatus est aliquis.

Secundò. Aggrauantes solum; idest, quando peccatum intra eamdem speciem augent, vel faciunt ex magno maximum, vt cum quis vni viro, vnum occidit equm: alteri verò duos; hæ circumstantiæ, & his similes necessariò confitendæ non sunt, quamquàm pium sit, ac laudabile eas confiteri semper. Verumtamen est, quòd aliqui volunt, esse necessariò confitendas ad animæ salutem, quod est vt supra in tali casu tenendum secundùm veram, ac communem doctrinam, est autem pœnitenti necessarium, damnificato in integrum satisfacere; vt enim ait D. Augustinus. Non remittitur peccatum, nisi restituatur oblatum.

Tertiò. Mutantes peccatum ad aliud peccati genus, vt quando quis in Ecclesia furatur, vel carnaliter cognoscit consanguineam, vel affinem, vel religiosam, vel spiritualem filiam, puta quam baptizauit, vel cuius confessionem audiuit, quæ circumstantiæ, & his similes semper necessariò sunt ad salutem confitendæ: quandoquidem ipsæ nedum peccatum augent intra eamdem speciem, ac faciunt ex magno maximum, verum etiam illud ad aliud peccati genus vertunt; nimirum furtum in Ecclesia commissum, facit sacrilegium, fornicatio in consanguinea facit incestum, sicut etiam in affine; in virgine stuprum; in religiosa, ac spirituali filia facit sacrilegium, sicut furtum in Ecclesia commissum de quibus supra multas attulimus.

167 Circumstantiæ, confidentiæ, puta, peccat quis cum confidentia: nimirum dicendo. Ego volo peccare, quia scio, quòd mihi Deus tale remittet peccatum; tenetur nè hic talis peccator talem circumstantiam confiteri?

Respondeo, quòd multi Sacri DD. aiunt, esse necessariò hanc talem circumstantiam confitendam; & peccatum esset in Spiritum Sanctum, nihilominus hic est contrarium asserendum ex mente aliorum Doctorum, maximè per Caetanum 2.2. q. 21. art. 2. Nauarr. c.6. n.3. quoniam peccare cum confidentia diuina, videtur confidere peccator de misericordia eius; quod certè minus augetur peccatum, sicuti à contrario fit maximum, quando scilicet, de diuina dubitatur misericordia, de tali, vel tali peccato, remissionem peccatorum, & gratiam obtinendi.

168 Circumstantiæ peccatorum in die festo commissorum, an sint necessariò confitendæ?

Respondeo, quòd sunt tantum de consilio confitendæ, non autem de diuino, vel humano præcepto, quoniam dies festus non variat peccatum, nec illud auget essentialiter. Verum est, quòd per Bart. Med. in sum. c.9. §. 1. habetur, quòd diei festi circumstantia peccati, in duobus est casibus confitenda. Primò, quando quis in die Iouis, vel Veneris Sancti fornicatus est. Secundò, quando quis iret ad sua confitenda peccata cum animo, aliud committendi peccatum graue, per tale siquidem peccatum committendum, magna fieret Sacramento iniuria, quæ est sacrilegium.

169 Circumstantiæ scandali, sunt nè necessariò confitendæ?

Respondeo, quòd duplex est scandalum. Primùm, dicitur formale, puta cum quis dicit, vel facit aliquid cum animo inducendi alium ad peccatum, & hæc circumstantia est omninò confitenda. Secundùm, cum opus, suo genere bonum est, aut indifferens, sed secundùm speciem, atquè apparentiam, mala præbetur occasio peccandi mortaliter, & hæc est etiam omninò confitenda. Tertiùm est, cum quis coram alijs peccat mortaliter, absquè vllo animo alios ad peccatum inducendi. Super quòd diuersæ sunt Doctorum opiniones. Attamen hic breuiter est dicendum cum Nauarro in c.6. 19. talem nimirum circumstantiam necessariò confitendam esse, quando verisimiliter, peccando coram alijs, præsumitur, quòd alij mortaliter etiam peccent tali alliciti,

& commoti occasione, licet hoc peccans non intendat; si secus, secus dicendum.

Circumstantiæ loci sacri; puta, in Ecclesia blasphemare, murmurare, & his similia committere mala; sunt ne confitendæ necessariò? 170

Respondeo, quòd non semper, sed in quatuor tantum casibus. Primò, quando in ea furtum committitur, quod sæpè diximus, modò res ablata sit ipsius Ecclesiæ, vel ipsius ministri, vel sæcularium prò Ecclesiæ cultu posita, vt quando pro festo ab ipsis sæcularibus multa præbentur, seù accommodantur bona, vt Ecclesia ornetur; non autem quando Princeps aliquis, vel officialis de sæculari foro, suam ponit in Ecclesia sedem, cum alijs ornamentis ad sedendum, vel à sæcularibus intus commorantibus Ecclesiam, à crumena nummi furantur, vel quid simile de eis notabile tollere; quoniam propter furtum, non contrariatur loci Sacri sanctitati, sed proximi tantum charitati, quod nullum est sacrilegium, contraueniendo: dummodò diuina celebrantibus officia disturbum non venerit magnum; tunc enim aliter dicendum; nimirum, quòd si populis maxima venerit distractio, ac diuina interrumpantur officia, maximè cum missa celebratur, sacrilegium graue committitur, ac proindè necessariò est talis circumstantia confitenda.

Secundò, in sanguinis humani effusione modo sit propter peccatum mortale effusus, non autem quando propter aliquam accidentalem causam funditur, nimirum vt cum ab Ecclesiæ tecto cadens petra aliqua, vel quid simile alicuius caput, vel aliud membrum confringit, ac sanguis è vulnere manat; vel cum quis naturaliter per nasum sanguinem emittit; vel cum quis ab inimico extra Ecclesiam vulneratur; & ad vitam saluandum sanguinis fusione conspersus, intus fugit Ecclesiam, in quibus casibus, nulla erit talis circumstantia necessariò confitenda, quantùm propter talem sanguinis humani fusionem, non redditur polluta Ecclesia, vel modo aliquo suæ contrariatur sanctitati, ac puritati; quoniam non fit talis sanguinis humani effusio propter mortale peccatum intus Ecclesiam commissus, ob quod solum loco contrariatur sacro, vt alibi, deo dante, dicemus. 171

Tertiò, in effusione seminis humani, mortali habita peccato, vel cum propria vxore; quandoquidem coniuges non possint, secun-

secundùm veriorem doctrinam, debitum coniugale, seù matrimoniale intra Ecclesiam exigere, & consumare, etiam ob multum tempus; quoniam maius est preceptum loci sacri sanctitatem illibatam seruare, quam vxori debitum reddere.

Notandum tamen est, quòd nomine loci sacri, non intelliguntur Religiosorum loca, vt Cœnobia, Claustra in quibus non sepeliuntur mortui, Sacristiæ, in quibus missæ non celebrantur, Cellæ, Dormitoria, ac Officinę ipsarum Ecclesiarum, nec earum Agri, ac vineæ, non autem loca sacra, vt est Ecclesia si ibi ædificatur altare: hinc enim sequeretur sacrilegium ratione rei existentis, vt quando quis coiret habendo ad collum agnum cereum benedictum, vel sacras Reliquias, vel quid simile afferendo super corporis membra; res siquidem benedictæ non multiplicant peccatum intrinsecè, vel extensiuè, sicut nec in die festi, vt supra diximus, nisi ob eius contemptum habeatur culpa; vel nisi alicui daretur ad dispensandum eum, vel eam, & ad obligandum, ad copulam; sic enim esset symonia, sicut & eligere, nominare, ac præsentare aliquem ad beneficium Ecclesiasticum, ad habendum cum eius sorore copulam, &c.

Quartò, quando quis Ecclesiasticam frangit Immunitatem, vt cum malfactores ab Ecclesia extrahuntur, extra casus à Iure concessos.

171 An talia peccata mente solùm commissa, sint cùm tali circumstantia confitenda?

Respondeo, quòd si quis intra Ecclesiam existit, & cogitat, occidere, fornicari, furari, & similia facere extra Ecclesiam, non est talis circumstantia confitenda necessariò, vt specialiter ait Sotus 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 4. ac Nauar. c. 6. n. 12. si verò extra Ecclesiam existens, & prædicta mala intus Ecclesiam intendit patrare, semper de salutis necessitate, erit talis circumstantia confitenda, quoniam propter talem suam malam voluntatem, & intentionem Ecclesiæ sanctitati, ac puritati contrariatur, ac si essent realiter intra Ecclesiam verè talia mala commissa, Deus enim respicit cor, non verò manus, vt alibi diximus.

172 Quot sunt casus, in quibus confessio est omninò inualida, ad nihilum valens, & iteranda?

Respondeo secundùm veriorem, ac communiorem doctrinam esse septem; tres ex parte Confessoris, & quatuor ex parte poeni-

poenitentis: trium ex parte Confessoris; Primùs est, quandò ipse Confessor potestatem non habet absoluendi, quia nimirùm est excommunicatus, interdictus, vel suspensus; secundùs, si totaliter est ignarus, cui ignorantiæ non supplet poenitentis scientia, ac doctrina; tertiùs, si non habet intentionem poenitentem à peccatis absoluendi, saltem virtualem, vel quem poenitet mutat Confessorem, non habita absolutione à priore.

Quatuor, ex parte poenitentis; primùs est, si quando ipse poenitens fuit absolutus à peccatis confessis erat aliqua excommunicatione innodatus; à qua prius minimè fuit absolutus; secundùs, si sua malitia certa, non fuit confessus omnia sua peccata mortalia, vel venialia, quæ mortalia putabat esse; tertiùs, si in confessione omnimodè fuerit fictus: puta cùm deest omninò dolor de præteritis peccatis, vel animus abstinendi de futuris; quartus, si non fecerit poenitentiam, sibi à suo confessario impositam, ac ipsius culpabiliter est oblitus, eo quòd vna Poenitentiæ pars deficiat nimirum satisfactio.

Verum tamen est, quòd multi probabiliter tenent oppositum, asserentes, satisfactionem non esse partem essentialem, sed integralem, vt ex Tridentino sess. 14. c. 3. colligunt, ac proindè poenitenti sufficit (per hanc sententiam) habere animum omnia purgandi, ac satisfaciendi in Purgatorio, aut per Indulgentiam.

Si quis Poenitens malitiosè aliquòd mortale peccatum in confessione omisit, postea verò multis confessionibus factis vult tale confiteri peccatum, sufficit nè ipsi eo tempore, peccatum ipsum tantum malitiosè omissum confiteri, an omnes iterare confessiones imperfectè factas? 173

Respondeo primò, quòd toties, quoties sic malitiosè confessus est poenitens mortaliter, ac sacrilegè peccauit: secundò, quòd omnes confessiones sic imperfectè factas debet iterare: tertiò, quòd si confessario confitetur suam scienti conscientiam, cui nimirum ordinariè confitebatur, sufficit ei ad salutem, solum dicere confessario. Pater toties, & toties confessus sum Paternitati tuæ tale relinquendo peccatum ex sola mea propria malitia, ac praua intentione; si verò confitetur confessario, cui nunquam confessus est, vel rarò; tenetur omnes confessiones imperfectè factas iterare, nam talis extraordinarius confessarius ignorat

alia sua peccata in præteritis confessionibus imperfectè factis confessa; ordinarius verò cui iugiter confitetur omnia eius agnoscit delicta; proindè Sacri DD. præsertim Nauarr. volunt pœnitenti sufficere solummodo peccatum malitiosè omissum confiteri.

174 Quis debetur confiteri, & quando hoc confessionis præceptum adimplere tenetur?

Respondeo primò, tenetur confiteri omnis fidelis vtriusquè sexus, mortale habens peccatum, vel veniale putatum, vt mortale: secundò, debet pœnitens hoc adimplere præceptum de Iure diuino, toties, quoties mortis periculum imminet, siuè naturalis, siuè violentæ. De Iure verò Ecclesiastico debet tantum semel in anno confiteri, & si non fecerit viuens ab Ecclesia arceatur, & moriens, ecclesiastica careat sepultura Trid. c. omnis vtriusquè sexus.

175 In qua anni parte, pœnitens debet confiteri prò ecclesiastico præcepto adimplendo?

Respondeo specialiter cum Victoria n. 138. Can. de Pœnitentia 5. p. Soto 4. sent. dist. 18. q. 1. art. 4. quòd quolibet tempore Anni, qui ad Paschatis Octauam terminatur.

176 Qui hoc anno, non fuit confessus, elapso anno, currit nè ipsi præceptum, de confitendo?

Respondeo, quòd multi Sacri DD. asserunt, quòd tali peccatori non currat præceptum confitendi, aliqui verò aiunt, quòd sic, quæ quidem opinio magis communis est specialiter per Ioan. Med. c. de Confess. q. 1. art. 4. Nauarr. c. 21. n. 45. Victor. in Summ. n. 147. imò in dies clarum de hoc habemus exemplum: puta, quòd ipsius Prælatus, quamquàm confessionis præceptum transierit, excommunicationem imponit, vt quàm primum confiteatur.

177 Ille, qui fuit in Paschate confessus, ac etiam communicatus; sed oblitus est alicuius peccati mortalis, postea verò illud in mentem venit, tenetur ne tale peccatum pro tali anno confiteri. An verò aliam expectare quadragesimam?

Respondeo, quòd si illud peccatum fuit ex sua negligentia omissum, quia nimirùm non debitam adhibuit examinationem conscientiæ suæ, tenetur peccatum illud statim confiteri; si verò obliuio ex culpa, ac malitia sua non fuit, ita quòd sufficientem

suæ

ſuæ conſcientiæ fecerit examinationem, poteſt aliam expectare quadrageſimam ad tale confitendum peccatum; ratio eſt, quia: facienti, quod in ſe eſt, nulla eſt culpa, cum ergo talis pœnitens fecerit ſufficientem conſcientiæ ſuæ examinationem, nullam habet culpam, atq; adeò nec præceptum; adhibuit enim totum ſuum poſſe circa Confeſſionis præceptum in Paſchate, vt videre eſt apud Sotum 4. ſent. diſt. 18. q. 1. art. 4. verſ. Ex his aſſertis.

An liceat pœnitenti ſua confiteri peccata, quæ in alijs Con- 178
feſſionibus ſunt confeſſa, & ſi fiat. An talis confeſſio ſit Sacramentum?

Reſpondeo, quòd licet videre apud Subtiliſſimum Doctorem in 4. diſt. 18. ad primam, quòd talis confeſſio ſit bona, ac meritoria animæ facienti, attamen Sacramentum non eſt, nec virtus aliqua clauium, quoniam non poteſt eadem forma replicari ſuper eamdem materiam; impoſſibile eſt enim (ordinariè loquendo) vt eadem forma, pluriès eamdem informet materiam: præterea iudicium ſemel ritè factum, minimè iterum poteſt fieri, ac infringi. Nihilominus oppoſitum eſt hìc nobis fatendum cum communiori ſententia, quòd ſcilicet nedum talis confeſſio ſit pœnitenti meritoria ratione ſubiectionis, ratione confeſſionis, & ratione recordationis offenſæ Dei, verum etiam eſt Sacramentum, clauium virtute: ratio eſt, quia poteſtas clauium, non ſolum fuit à Chriſto Sanctæ M. E. data ad culpæ remiſſionem, ac obliterationem de commiſſis peccatis, verum etiam de ipſorum pœna, & cruciatu, & ſic in Eccleſia ipſa Dei illa pœna, ille cruciatus, poſt primam abſolutionem remanendo, atq; etiam in pęnitente pœnæ reatus, ſequitur, quòd ſi ipſa prima peccatorum abſolutio, pœnitenti ipſi valuit ad culpæ remiſſionem: ſecunda, verò ad remiſſionem pœnarum, & cruciatuum, qui in prima abſolutione remanſerunt, & hoc confirmatur illa bonorum, ac ſpiritualium hominum conſuetudine, qui ſæpè eadem confitentur peccata. At illa Scoti præallegata opinio, nimirum, quòd non poteſt replicari eadem forma ſuper eamdem materiam, poteſt intelligi hoc pacto. Quòd nimirum, in vna confeſſione non debent, nec poſſunt plures abſolutiones præberi, non autem quando diuerſis temporibus diuerſæ fiunt confeſſiones de iàm abſolutis peccatis, vt melius cum Deo ſummo bono reconciliemur, ac proindè poſſunt hæc numerò peccata hac confeſſione confeſſa,

& absoluta, iterum alio tempore confiteri (de consilio) & iterum absolui.

179 An sit bonum, aliquandò generales facere confessiones?

Respondeo, quòd si pœnitens vult sua confiteri peccata, quę certè in alijs confessionibus iàm sunt confessa, & absoluta; quia nimirum scrupulizat, falsò existimando, ac tenendo, esse meliores confessiones generales, quàm particulares, hoc pessimum, & malissimum est obseruare, ac facere; non enim est minor ratio, & vis in vna confessione, quàm in alia, virtute Sacramenti, si verò eas generales confessiones vult facere ad maiorem suam deuotionem; quia licet sciat benè quòd æqualis inqualibet confessione tàm generali, quàm particulari sit virtus, ac efficacia, tamen vult generalem facere confessionem, vt peccata sua alijs confessa confessionibus, humilitatis intuitu, & maiorem erubescentiam coram Deo, & confessario, atq; iterum de ipsis peccatis pœnitentiam, seù satisfactionem à confessario impositam faceret.

Hoc quippè sanctissimum est, vt fiat. Diuus namquè Chrisostomus lib. de Chain, & Abel; inquit, quòd verecundia in peccatis, est portio pœnitentiæ. Est tamen in tali casu pœnitenti dicendum, quòd quando ipse vult generalem facere confessionem, non debet mente determinare, omnia, ac singula peccata confitendi, quæ in alijs confessionibus sunt confessa, sed illa solum, quæ memoriæ occurrunt principalia; quoniam si iterum strictè omnia, ac singula præterita peccata confiteri permittit, quæ in alijs sunt confessa vicibus, potest contingere, quòd non faciat exactam suæ conscientiæ examinationem, quam deberet facere ob longum tempus, & sic mortaliter peccaret, & in hoc hodierna luce multi aberrant: maximè mulieres, distinguere ignorantes, quæso, vt doceas ipsas in talibus casibus.

180 Quot sunt Confessionis effectus?

Respondeo multos esse, sed præcipui sunt octo, vt videre liquet apud Vng. de Confes. vers. 15. Primùs, liberat à culpa. Secundùs, liberat à pœna aliqua, & interdum à tota. Tertiùs, aperit Paradisi ianuam, homo enim per eam subditur clauibus per quas; illa cœlorum porta patet. Quartus, spem tribuit salutis, homo enim per eam humilior redditur, at qui se humiliat exaltabitur: siquidem Dominus, vt ait psalmista: humiles spiritus saluabit. Quintus, est causa facilioris curationis, qui enim sæpè confitetur,

tetur, facilius ad memoriam reducit sua peccata, atq; sic multum iuuatur. Sextus, pacificat conscientiam, & dat sui cognitionem: ibi enim homo sua cognoscit delicta. Septimùs, præseruat à malis, quia non est ita procliuis pœnitens ad iterum in peccata cadendum, vt antea. Octauus, & vltimus, fortificat pœnitentias propter peccata debilitatas.

De Satisfactione.

QVid est Satisfactio? 181
Respondeo, quòd est delictorum compensatio, à delinquentis voluntate profecta arbitrio Sacerdotis, Dei vicem gerentis constituta, atquè à Christi passione, meritum satisfactionis accipiens.

Quot sunt Satisfactionis partes? 182
Respondeo, tres. Prima, Oratio, ad quam omnia alia reuocantur; nimirum, vt pœnitens confiteatur aliquibus temporibus, ac Eucharistiam sumat, & similia. Secunda, Eleemosina, tàm corporalis, quàm spiritualis: corporalis (quæ etiam temporalis dicitur) elemosina est illa qua subleuamus proximi miseriam in suis necessitatibus corporalibus; Spiritualis verò est ea, qua subleuamus animæ miseriam, ac ipsi necessarium cibum illi tribuimus: quod fit per prædicationem, bona documenta, correctionem, &c. Tertia, est Ieiunium, sub quo comprehenditur omnis afflictio corporis, vt disciplina, cilicium, peregrinatio, & id genus.

Quare per ista tria opera, quilibet pœnitens debet satisfacere? 183
Respondeo, quia iustum est, vt quò quis delinquit, eò etiam puniatur: homo siquidem tria bona possidet nimirum animam, corpus, ac rem familiarem, & in vnum quodquè horum ipse homo delinquit, Deumq; summum bonum offendit, & sic pro quolibet istorum puniendus, atquè cruciandus est.

Quale istorum trium operum, Deo est magis satisfactorium, magisquè operanti operatorium? 184
Respondeo, quòd de istis tribus operibus, scilicet oratione, eleemosyna, & ieiunio, multæ sunt Doctorum opiniones, maximè illa D. Thomæ 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2. quę

dicit, quòd eleemosyna, includit in se virtutem orationis, ac ieiunij duplici ratione. Primò, quia Eleemosyna eum constituit, cui datur, debitorem ad orandum, & ieiunandum, & alia bona facienda pro eo, qui illam dedit. Secundò, quia eleemosyna, propter Deum data, est quasi quædam oblatio facta Deo; vnde Philosophus 4. Ethic. inquit, quòd bona opera habent aliquid simile Deo sacratis; oblatio autem ipsi Deo facta vìm habet orationis. Et similiter in quantum bona exteriora ad corporis conseruationem ordinantur, subtractio bonorum exteriorum per eleemosynam, quasi virtute ieiunium continet, quò maceratur corpus. Similiter etiam oratiō virtute continet ieiunium, quia extensio Intellectus ad Deum, debilitatem corporis parit. Vndè eleemosyna completius habet vìm satisfactionis, quàm oratio, & oratio quā ieiunium: propterea dicitur primò. Thim. cap. 4. quòd corporalis exercitatio, ad modicum vtilis; & propter hoc eleemosyna magis indicitur, vt vniuersalis medicina peccati, quàm oratio, vt Lucæ 11. capite habetur.

Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, & Dan. c. 4. peccata tua eleemosynis redime, & Thob. c. 4. Eleemosyna, ab omni peccato liberat, & prima ad Timoth. c. 4. Pietas ad omnia valet. Et eleemosyna plus habet de ratione boni, quàm ieiunium, in quantum immediatius se habet ad charitatem, & in quantum non est singulare bonum facientis, sed commune facienti, ac petenti eleemosyna plus erit satisfactoria, quàm ieiunium; similiter, & quamuis oratio, hominem magis familiarem Deo reddat, quàm eleemosyna, sicuti contemplatiua, plus quàm actiua, tamen intercessorum per eleemosynam multiplicatio, plus valet ad impetrandum peccatorum remissionem, quàm vnius, ac singularis hominis oratio.

Est tamen hìc aduertendum, quòd quilibet plus meretur faciendo illud opus, quod magis suæ naturali inclinationi contrariatur; quàm è contra: sic si quis habet in carne resistentiam in se disciplinando, vel secum ferendo cilitium, & hanc resistentiam non habeat in danda eleemosyna, plus meretur castigando suum corpus disciplina, vel cilitio, quàm dando eleemosynam, licet hæc maiorem habeat propinquitatem charitati Dei, vt diximus.

185 Quæ sunt consideranda à confessario, circa hanc poeniten-

tiam,

tiam, & satisfactionem (pro commissis, confessisquè peccatis) imponendam?

Respondeo quinquè. Primò, qualitas, ac peccatorum grauitas. Secundò, dispositio pœnitentis, vt nimirum nimis contrito, paucam iniungat penitentiam, ac satisfactionem, contritio namquè omnem exteriorem satisfactionem excedit. Tertiò, status penitentis. An sit sui, vel alterius Iuris, nec iniungatur pœnitentia in præiudicium alterius, vt seruo, in præiudicium Domini, vel vxori, in præiudicium viri, vel contra. Quartò, occasio peccati, idest iniungendo satisfactionem, per quam homo, ne dum pro peccatis satisfaciat præteritis, verum etiam futuris. V. G. vt pœnitenti propter carnis peccatum, iniungatur pœnitentia, nè ad amantis domum vadat; sic & de alijs penitentijs futura contrariantibus peccata. Quinta, & vltima, Canones penitentiales, quamquam penitentiæ sint arbitrariæ, & penitentiæ ponendæ sunt secundùm Confessoris prudentiam, ac discretionem.

Quanta penitentia, secundùm penitentiales canones, peccatori imponitur pro quolibet mortali peccato, in hoc sæculo dimisso? 186

Respondeo septem annorum, & aliquando plus secundùm delicti grauitatem, ac personæ delinquentis statum; vnde Sacerdos suam cognoscens filiam spiritualem, nimirum quam baptizauit, vel cuius confessionem audiuit, duodecim peniteat annis, Episcopus verò quindecim, vt in c. Sacerdos, & c. non debet 30. q. 1. pater.

In quibus casibus, à confessario non est iniungenda penitentia pro commissis, ac confessis peccatis, ipsi pœnitenti? 187

Respondeo in duobus. Primò, quando pœnitens nimis est infirmus, in quo tempore solum iudicandus, atquè adiuuandus est Sanctæ M. Ecclesiæ suffragijs. Secundò, quando verè constat, quòd pœnitens per se ipsum satisfecit, vel quòd satisfaciat.

Pro confessis peccatis satisfactio, quando impendenda est à confessario, antè, vel post absolutionem? 188

Respondeo antè absolutionem, maximè quando à confessario ipso imponenda est satisfactio ad Euitanda futura peccata, nempè, vt restituat, vt ieiunet ob remedium concupiscentiæ, ne ludat, ne ad domum accedat amantis, & id genus, & hæc omnia præcipit confessarius ad euitandum penitentem, ne in futurum in mor-

mortale peccatum labatur, ficuti antea. Vnde si quis Confessarius prius à peccatis absolutionem præberet, quàm pro ipsis peccatis satisfactionem imponat: si deindè ipse imponeret satisfactionem pœnitenti, & ipse pœnitens talem nollet recipere satisfactionem, profectò mortale committeret peccatum: non enim pœnitenti sufficit de suis conteri peccatis, verum etiam requiritur, vt pro ipsis satisfactionem accipiat, & adimpleat, maximè cum expresſè à suo confessario iubetur.

189 Potest nè confessarius, pœnitenti satisfactionem imponere pro suis peccatis commissis, & confessis de operibus debitis, vt ieiunare in quadragesima, quatuor temporibus, vigilijs, audire sacrum in diebus festiuis; eleemosynam pauperi elargiri in extrema necessitate, officium diuinum persoluere, seù recitare, ipsum beneficiatum clericum, vel in maioribus ordinibus constitutum?

Respondeo, relictis aliorum placitis, quòd satisfactio debet intelligi de operibus aliàs non debitis; tamen si confessarius ipse de illis vult imponere, potest vtiquè, ac pœnitens satisfacit vtrumq;, maximè quando pœnitens ipse solitus est præceptorum obseruationem obrumpere; imò illam satisfactionem non adimplendo acceptatam, duo committit peccata mortalia, nimirum vnum in quantum S. M. E. præceptum non adimplet, & alterum in quantum non adimplet præceptum Confessoris; quoniam sicut duplex est meritum per duplicem præcepti obseruationem, ita duplex pœna per duplicem inobseruationem ipsorum.

190 Pœnitens, missam audiendo in die festo, potest nè satisfactionem à suo confessario impositam satisfacere?

Respondeo, quòd sic: modo debita missæ auditio, non omittatur; nimirum, quando illa, quæ Sacerdos alta voce profert, audit; scilicet Gloria in excelsis Deo, &c. Orationes, Epistolam, Euangelium, &c. & dum alia in secreto celebrans dicit pœnitens ipse potest recitare, & facere id, quòd sibi de satisfactione placuerit. Verum est, quòd melius est in hoc casu, quòd pęnitens ipse missam auscultet absquè prædicta recitatione, vel adimpletione, & satisfactione; quam missam audiendo pœnitentiã, seù satisfactionem recitare, ac adimplere; nam si ipsi pœnitenti prosunt ea, quæ alta voce à Sacerdote in missa dicuntur, ita ei prosunt ipsius Sacerdotis gesta, & Ceremoniæ, quæ omnia passionis, & mor-

& mortis Domini Nostri Iesu Christi sunt actiones.

Si quis in mortali peccato, penitentiam satisfacit à suo Confessore impositam, adimplet nè confessionem factam, atq; est ipsa penitentia meritoria vitæ æternæ? 191

Respondeo, quòd satisfacit quò ad Pœnitentiæ Sacramentum, & non est necessarium confessionem factam iterare; quò ad effectum verò gratiæ, fictione durante, non valet, valet tamen tali recedente fictione, & hoc non in quantum est peccatoris operatio, sed in quantum est Sacerdotis in Pœnitentiæ Sacramento impositio; quoniam Confessoris vinculum fortius est, quam Dei, sanctæquè Matris Ecclesiæ: quamquam aliqui oppositum asseuerent.

Si Penitens, alijs dicit satisfactionem à suo confessario impositam, an peccet mortaliter? 192

Respondeo, si peccata iam confessa, sunt alijs manifesta, illisq; præcipuè, quibus manifestatur satisfactio, non solum nullum erit peccatum mortale, aut veniale, verum etiam anima talis maximum acquirit meritum, & gloriam; quoniam propter talem satisfactionem manifestatam, ipse pœnitens, venit proximis suis satisfacere de scandalo dato, pro suis peccatis ab illis iam scitis. Nam si confessarius facit opus Iustitiæ, prò publicis peccatis, publicam iniungendo penitentiam, seù satisfactionem, sic & penitens suam alijs manifestando satisfactionem, vt qui ipsum peccantem viderant, videant etiam satisfacientem, vt alibi. Si verò peccata confessa sunt alijs occulta, ac sibi, vel alteri scandalum aduenirer propter manifestationem suæ satisfactionis, semper mortaliter peccabit, quoties hoc in confessionibus faciet. Vnusquisquè enim suum debet conseruare honorem, & famam, iuxta illud. Curam habe de bono nomine. Si verò è contra, venialiter; nihilominus semper est consulendus penitens, quòd scilicet numquam alijs suam enucleet satisfactionem à confessario impositam; quoniam multoties contingere poterit, quòd satisfactionem ipsam sciens in suorum veniat cognitionem, maximè cum fiunt ieiunia solo pane, & aqua; disciplinæ; peregrinationes, & his similia, quæ pro peccatis carnalibus vniuersaliter dari, & imponi solent; vel etiam pro homicidio, blasphemia, similibusquè erroribus, & sic experti, ac sagaces tales scientes, ac videntes facere satisfactiones, facillimè in peccatorum penitentis cognitionem possunt deuenire, & sic

possent

possent scandalum pati, & quidem nostris temporibus multi errant, & minimè aduertunt de hoc grauissimo damno, ac proximorum scandalo, & sicut pęnitenti non licet, vt supra, suam manifestare satisfactionem à suo confessario impositam, multò minus confessario ipsi licet alijs dicere talem, & talem satisfactionem dicendo, tali, & tali pęnitenti, talem, & talem imposui pęnitentiam; quandoquidem grauissimè peccaret, & insuper atrocissimè esset puniendus ab Ecclesia, tanquam fractor sigilli confessionis.

193 Potest nè vnus, pro alio satisfacere prò commissis, confessisq; peccatis?

Respondeo omnis satisfactio, quæ à confessario imponitur per modum satisfactionis pro peccatis præteritis, vnus pro alio, semper satisfacere potest, dummodo vtri sint grati Deo in charitate, nimirum absquè mortali peccato: secus verò est dicendum de sola satisfactione restitutionis, quia satis est, vt debiti fiat solutio, nequè requiritur, vt ambo, vel alter sit in gratia, & charitate; illam verò satisfactionem, quæ à confessario per modum medicinæ imponitur, nimirum pro futuris cauendis peccatis; nullo modo vnus pro alio satisfacere potest, sed per proprium, satisfaciendum est totum; hæc enim satisfactio prębetur pro medicina, at medicina sanitatem ægroto minimè confert, nisi ab eo recipiatur, vt constat experientia.

194 An posit quis de peccatis commissis, diuinæ satisfacere iustitiæ?

Respondeo, si loquamur propriè de qualitate, vt nimirum satisfactio est Iustitiæ pars, nam Iustitia æqualitatem rescipit, & exigit; quantum adhoc, nullo modo Iustitiæ diuinæ potest quis satisfacere, etiam si nullum commisisset peccatum, quandoquidem, vt Philosophus, ait. Deo, parentibus, & magistris, æquiualens reddi non potest. Si verò loquamur de proportionabili qualitate, puta; quando quis facit id, quod facere potest, & hoc modo idem, quod supra, est dicendum, nisi velimus dicere satisfacere Ex acceptantis beneuolentia; si verò quæritur. An ipse diuinæ Iustitiæ satisfacere posit: dicimus, quòd si ipse consideratur secundùm naturalia, seclusa gratia, & charitate Dei, nullo modo, ipsi Deo pro peccato commisso, satisfacere posit, quia quę Deo sine gratia, & charitate præbentur, nullius sunt momenti, cum

sint

ſunt dona ab inimico data: poſſet quidem diuina Iuſtitia ſua omnipotentia, peccata commiſſa remittere propter actum peccatoris, ſed hoc non eſt ſatisfacere, ſed potius à Deo remiſſionem obtinere ſua beneuolentia. Secundò, poſſet ipſe pœnitens conſiderari prout eſt in gratia, & charitate Dei, & ſecundùm hanc conſiderationem ſi ipſe reſpectum habeat ad Chriſti paſſionem, non poteſt diuinæ Iuſtitiæ ad æqualitatem ſatisfacere, quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam; ſi verò ipſe conſideretur in gratia, & charitate, ſed prout ipſa gratia, & charitas ſunt effectus paſſionis Ieſu Chriſti, ſic proprijſſimè ad æqualitatem diuinæ Iuſtitiæ ſatisfacit, ſi tamen ſua merita Chriſti meritis coniungat, qui certè in quantum homo, Deo Patri ad æqualitatem Iuſtitiæ ſatisfecit. 195

Quot ſunt opera hominum?

Reſpondeo hominum opera quadrupliciter appellari; primò, mortua; ſecundò, mortifera; tertiò, viua; quartò, mortificata; primò, vocantur mortua, quia in ſtatu peccati mortalis talia opera facta ſunt, quoniam mortua ſunt, quantum attinet ad gratiam, ac gloriam promerendam. An non audis Apoſtolum totum hoc manifeſtantem prima Cor. c. 13? Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, ac ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Secundò, mortifera, quæ ſunt mortalis peccati opera, vt quando quis fornicatur, blaſphemat, furatur, &c. tertiò, viua, quæ ſunt ipſa opera bona in gratia, & charitate Dei facta, quæ æterna vita ſunt digna; quartò mortificata, quæ ipſa ſunt bona opera in gratia Dei, & charitate facta, quæ ex ſequenti peccato mortali, mortificantur; nam Magiſter ſent. ait. quæſt. 14. Mortificantur acta bona, per conſequens peccatum, vt non ſortiantur mercedem, ſi peccatum non ſuccederet, quæ bona opera obice recedente, & Dei charitate adueniente reuiuiſcunt, atquè efficaciam obtinent perducentem hominem ad vitam æternam; quandoquidem philoſophus primò poſter. ait: ſicut affirmatio, cauſa eſt affirmationis, ſic negatio, negationis: vndè ſi peccatum mortale cum animam infelicem ingreditur actus boni mortificantur, ſic à contrario per pœnitentiam deletum, viuificantur: non enim eſt minor potentia pœnitentiæ cum Miſericordia, quā peccati cum Iuſtitia, immò illa ſuperior, ac potentior, iuxta

illud Psalmi 144. Miserationes eius super omnia opera eius, vt in alio diximus loco: si verò peccator ad mortem vsquè in peccato mortali perseueraret, Deus bona opera sua in charitate, & gratia facta, alicui ex suis præbet amicis in maiori gradu gratiæ, charitatisquè coniuncto; mortale enim peccatum non potest tollere ea, quæ sunt in acceptatione diuina, nisi in ordine ad eum, qui peccauit, & quando in eo manet peccatum.

196 Quot requiruntur in opere bono, vt sit meritorium vitæ æternæ?

Respondeo secundùm D. Thomam tria; nimirum. Status operantis, opera honestatis, & bona intentio. Primò, requiritur status operantis, nimirum, vt faciens opus bonum non sit infidelis, vel paganus, vel hæreticus, sed fidelis, & Christianus in gratia constitutus, & charitate, non autem in mortali peccato; quoniam omne, quod non est in fide elicitum, non est meritorium, sed peccatum mortale, vt sacri inquiunt Doctores, imò requiritur, vt operans opus bonum sit in gratia Dei, & charitate fundatus, quoniam qui Dei gratiam non habet, ac charitatem omne perdit bonum in tali statu factum, vt ex D. Paulo 1. Cor. c. 13. demonstrauimus: imò Prouerb. cap. 15. dicitur à Spiritu Sancto, quòd victimæ impiorum sint abominabiles Deo. Secundò, requiritur opera honestatis, idest, vt res sit de bonorum genere facta; quoniam duplex est genus operationum nimirum genus boni, & genus mali, in genere operationis bonæ omnia continentur opera bona, seù viua, aut mortificata sint: in genere verò malo operationis malæ, omnia continentur opera mala, quæ mortalia, vel venialia dicuntur peccata. Tertiò, requiritur bona intentio; quoniam quidquid agis, prudenter agas, & respice finem; quandoquidem opera hominum quadrupliciter appellantur, diuerso tamen modo, ac diximus supra in præcedenti interrogatione, diximus, nimirum, opera mala, bona, optima, ac media, seù neutralia; Mala opera sunt mortalia, seù venialia peccata, quæ etiam sunt præter voluntatem Dei, licet non contra voluntatem eius, vt sunt mortalia, Bona opera stant in obseruantia omnium præceptorum tàm Dei, quàm Sanctæ M. Ecclesiæ. Optima opera, stant in obseruatione Euangeliorum, & Consilijs diuinis. Media verò opera, seù neutralia sunt operationes politicæ, seù naturales, vt artes liberales: prima opera, quæ mortalia sunt peccata

ex

ex suo genere nunquam ad bonum finem elicita, fiunt opera bona. Exem: gra: quis furatur, cum hac intentione, vt pauperi eleemosynam præbeat, vel falsum affirmat, vt innocentem aliquem à manibus Iustitiæ liberet, vel fornicatur, vt meretricem in vxorem ducat, ac similia operare, & facere mala; quamuis enim prima facie supradicta mala opera, bonæ videantur operationes propter ipsarum finem, vt quis furatur, vt det pauperi eleemosynam, &c. non proindè talia opera mala, bonæ euadunt operationes; Apostolus enim ait, quòd non sunt facienda mala, vt veniant bona; possunt nihilominus Optima opera esse mala propter malum finem, (quandoquidem, vt solet dici in physicis disciplinis, actus specificantur, seù sumunt suam distinctionem à finibus, seù motiuis, seù obiectis formalibus, ac proindè in tali specie erit actus ipse factus, in quo est obiectum, cuius intuitu agens mouetur ad operandum) puta quis dat eleemosynam pauperibus propter vanam gloriam, vel si mulier est, vt illam alliceat ad luxuriam, ac proindè actus ille, quo quis dat pauperi eleemosynam, propter inanem gloriam, vel mulieri egenæ, vt prouocet ad luxuriæ actum, quamquam materialiter, seù entitatiuè sint actus misericordiæ, tamen formaliter ex intentione mala est, & actus vanæ gloriæ, & actus inhonestus prouocans mulierem ad veneream operationem; propterea dici solitum est, [Quidquid agunt homines, intentio iudicat omnes. Bona media, possunt fieri mala, & bona intentione; v.g. quis seminat, vel aliud opus mechanicum exercet, vt sibi, vel alteri subueniret, hoc quidem sanctissimum est opus, quoniam secundùm iustitiam, ac charitatem Dei, fundata est intentio sua: si verò faciat, vt illud acquisitum in malum expenderet, profectò malissimum est opus illud, quoniam sua intentio contra iustitiam, & charitatem Dei, & proximi cadit, Deus namquè in operibus nostris cor respicit, & non manus, vt alibi diximus.

Opera bona, extra gratiam, & charitatem Dei facta, ad quid operanti prosunt? 197

Respondeo ad multa; nam quamuis bona opera ipsa, extra gratiam, & charitatem Dei facta, non prosint operanti pro modum meriti: charitas quandoquidem est principium merendi, tamen ipsi operanti ad multa prosunt, vt videre est præsertim apud Auream Rosam in tract. 3. de quæstionibus impertinenti-

bus; primò, valent ad vitam æternam per modum accidentalis, in hoc sensu: quòd si ipse peccator se pœniteat, ac conteritur, talia patrasse congaudebit, cum in vita erit æterna; secundò, valent per modum dispositionis, quia forsan Deus ipse, qui summè clemens est, per bona opera ipsa, cor facientis illuminat, vt in ipsum tanquam in bonum infinitum conuertatur: tertiò, valent ad tolerabilius futurum iudicium, idest non tollunt pœnam æternam in Inferno ipsi peccatori debitam, aut minuunt ipsius causam; sed quia æternalem pœnam futuram impediunt, dum quis sic bonum operandum, non omittit, si quidem disponunt ad bonum; & consequenter ad multa valent per modum congrui ad temporalem prosperitatem; quartò, valent, quoniam assuefaciunt bonis operibus: sicut enim vnum peccatum, aliud vocat, iuxta illud Psalmi 41. Abyssus, abyssum inuocat; ita vnum bonum, aliud vocat bonum: quintò, valent contra diabolum, diabolus namq; non habet tantam potestatem super peccatorem, quantam haberet, si illa opera non fecisset: sextò, valent ad consultationem in præsenti, quoniam nullus homo, quantumcunquè est in Domino pessimus, quòd de suo opere non gaudeat, maximè de oratione, cui iste effectus oppropriatur propter excellentiam, quàm in se habet, iuxta illud D. Iacobi c. 5. dicentis. Tristatur aliquis ex vobis? oret æquo animo, & psallat.

De Absolutione.

198 QVid est Absolutio?

Respondeo, quòd est sententia definitiua absoluens reum.

199 Quot modis, in confessione, fit peccatorum absolutio?

Respondeo duobus modis; primò, si teneris vinculo aliquo excomunicationis maioris, vel minoris, à quo ego possum te absoluere, absoluo te, ac restituo te Sanctæ Matris Ecclesiæ vnitati, ac fidelium communitati: in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Si verò pœnitens est clericus, in verbis [excommunicationis maioris, vel minoris] adiungantur hæc verba [suspensionis, & interdicti: in quantum ego, &c. Deindè dicatur Misereatur tui, & indulgentiam, absolutionem, &c. & postea. Dominus noster Iesus Christus per suam pijssimam miseri-

cordiam, te absoluat, & ego authoritate ipsius, qua fungor, absoluo te in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti. ✠ Amen.

Deinde. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, atquè intendis facere, & mala, quæ patienter sustines, & sustinebis sint tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.

Secundo modo: dicendum est primò, Misereatur tui, &c. & Indulgentiam, &c.

Deinde. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, qua fungor, absoluo te in primis, ab omni vinculo excomunicationis maioris, & minoris, suspensionis, & interdicti; si pœnitens est Clericus, dicatur. [In quantum possum, ac tu indiges. Deindè absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ &c.

Deinde dicatur. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ Virginis, &c.

In breuibus autem Confessionibus, vt illorum, qui sæpè confitentur, satis est dicere solum. Ego absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, &c.

An in absoluendo, requiratur manuum Sacerdotis impositio? 200

Respondeo, quòd non; Christus enim quando D. Petro, & alijs Apostolis potestatem dedit absoluendi peccata, nullam de impositione manuum fecit mentionem, vt est videre præsertim apud D. Thomam 3. p. q. 84. art. 4.

An in absolutione, requiratur cautio iuramenti? 201

Respondeo, quòd sic; sed in absolutione ab excommunicatione, non autem à peccatis.

Quæ sunt in hac absolutione verba essentialia? 202

Respondeo ex Tridentino sess. 14. c. 3. Ego te absoluo; cętera verò, quæ ibi permittuntur, ac subsequuntur, sunt ad benè esse, ac de consuetudine, quòd si quis confessor omittat particulam Ego; iàm tenet absolutio: dicendo, te absoluo: & ratio est quia particula, Ego includitur in verbo absoluo; si enim absoluo, ego absoluo, & etiam in particula, te, iam continentur particulæ illæ, à peccatis tuis; nam si te absoluo, à tuis absoluo; & si à tuis absol-

ſoluo, certè à tuis peccatis abſoluo; & hoc in caſu neceſſitatis poterit obſeruari; vt cum quis repentè mortaliter vulneratus eſt, vel cum quis alio accidenti violento, vel naturali modicum habet vitæ, ac proindè confeſſarius poteſt ſolum dicere, te abſoluo; & iam eſt abſolutus: ſed cauendum eſt extra caſum neceſſitatis; aliàs enim ſequeretur magnus Eccleſiæ contemptus mutando pro ſuo libito communem eius ritum, ac proindè peccaret talis mortaliter, &c. excuſaretur etiam Sacerdos à peccato mortali, ſi id contingeret extra caſum neceſſitatis ob defectum linguæ, vel memoriæ; quę abſolutionis peccatorum forma ab illis Saluatoris verbis Matt. 18. cap. accepta eſt; quęcunquè ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo.

203 An iſta abſolutio dari poſſit ſub conditione?

Reſpondeo, quòd ſic de conditione impropriè dicta, quæ eſt de pręterito, vel de pręſenti; cum hac enim licet abſoluere in tribus, vel quatuor caſibus, &c. minimè verò de conditione propriè dicta, quæ eſt de futuro.

204 An plures abſolui poſſint vnica abſolutione?

Reſpondeo affirmatiuè; quando in maris procella, tempore peſtis, vel belli inueniuntur, publicè confiteantur, ac ſimul eidem Confeſſori, qui auditis quorumcumquè peccatis, omnes ſimul abſoluat, dicendo. Ego vos abſoluo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. vt Nauarrus inquit præcipuè c.8. n. 13. Angel. Confeſſ. 1. n.28.

205 Eſt nè bonum verbis ipſis; nimirum, abſoluo te à peccatis, iniungere pariter. Et oblitis?

Reſpondeo minimè; quamquam apud aliquos videatur oppoſitum, quando peccata oblita actualiter abſolui nequeunt, ſecundùm veram doctrinam, licet ſint virtualiter abſoluta quouſq; ignorantur.

206 Poteſt nè Confeſſor pœnitentem abſoluere relicta ſatisfactione, vt Chriſtus cum muliere adultera fecit, cui tantum dixit. Vade, noli ampliùs peccare; Ioannis c.8?

Reſpondeo, quòd non, vt ait peritiſſimus Nicolaus de Lyra, quoniam & ſi Chriſtus cum muliere adultera hoc fecit, forſan vidit in ea magnam contritionem; quæ quidem pro pœna illius peccati ſufficiebat; at confeſſarius non poteſt perpendere in confitente, an magnam habeat contritionem, quia non videt cor

ipſius,

ipsius, (cum hoc sit prœsuperiori, sint non reseruatorum pecca- 210
quæ exterius patent ... io impeditiua?

... An debeat confessarius cunata superiori, aliqua sunt adnexa
muni absolutionis, puta; cum ... cus verò; non quoniam tunc
bus, quæ in absolutione peccatorum ita habentem reseruata, non

Respondeo; si pœnitens est propè; potest ipsum absoluere, à
rio non vacat omnia verba illa dicere ... mittere superiorem,
vinculo excomunicationis, &c. & Dominum à peccatis reserua-
stus, &c. debet tunc ipse vti forma breuissima ... riorem, & ab ip-
breuioribus, sed essentialibus; nempè [absoluo te ... ibus absol-
tens moriretur ita absolutus à peccatis, postea mo...
absolui, seù potius declarare, ipsum iàm esse ab excõmun... est sim- 211
absolutum, si qua fortè erat innodatus: secus verò (suppo...
li casu) non posset fieri absolutio à peccatis, si prius absolue-
fuerit ab excõmunicatione, & priusquàm à peccatis absolueretur,
ipse pœnitens moriretur; quamuis enim apud Sacros DD. videa-
tur, quòd excõmunicationis absolutio debeat precedere absolu-
tionem peccatorum, nihilominus in extrema necessitate, scilicet
Mortis, debet illa cedere absolutioni peccatorum, si quidem ho-
mo per absolutionem excomunicationis, non fit de attrito, con-
tritus, virtute clauium, sicuti per absolutionem peccatorum fit;
quoniam excommunicationis absolutio, Sacramentum non est,
sed habilitatio ad Sacramentum; vnde si quis pœnitens, fictè in
excommunicationis absolutione compertus, non saluatur, sicut
per illam peccatorum absolutionem saluatur, quæ est res sanctā,
peccatoris animam sanctificans. Posset tamen in hoc casu Con-
fessarius vnico verbo, pœnitentem ipsum ab omnibus suis absol-
uere necessarijs; dicendo nimirum [absoluo te à Censuris, &
peccatis.

Potest nè Confessarius, prò illo verbo [absoluo] vti alijs ver- 208
bis, nempè relaxo, condono, indulgeo, remitto, & his simi-
libus?

Respondeo duas esse, super hoc Doctorum opiniones; Prima
enim affirmat; maximè super illud verbum remitto: dicens, quòd
multoties Christus hoc vsus est verbo in absoluendo peccatores
à peccatis, vt patet præcipuè Lucæ c. 7. Remissa sunt ei (nimirum
Magdalenæ) peccata multa, &c. & Ioannis cap. 20. Quorum re-
miseritis peccata remittuntur eis.

Secun-

mortale peccatum labatur, ficuti antea. Vnde si quis Confessarius prius à peccatis absolutionem præberet, quàm pro ipsis peccatis satisfactionem imponat: si deindè ipse imponeret satisfactionem pœnitenti, & ipse pœnitens talem nollet recipere satisfactionem, profectò mortale committeret peccatum: non enim pœnitenti sufficit de suis conteri peccatis, verum etiam requiritur, vt pro ipsis satisfactionem accipiat, & adimpleat, maximè cum expresse à suo confessario iubetur.

189 Potest nè confessarius, pœnitenti satisfactionem imponere pro suis peccatis commissis, & confessis de operibus debitis, vt ieiunare in quadragesima, quatuor temporibus, vigilijs, audire sacrum in diebus festiuis; eleemosynam pauperi elargiri in extrema necessitate, officium diuinum persoluere, seù recitare, ipsum beneficiatum clericum, vel in maioribus ordinibus constitutum?

Respondeo, relictis aliorum placitis, quòd satisfactio debet intelligi de operibus aliàs non debitis; tamen si confessarius ipse de illis vult imponere, potest vtiquè, ac pœnitens satisfacit vtrumq;, maximè quando pœnitens ipse solitus est præceptorum obseruationem obrumpere; imò illam satisfactionem non adimplendo acceptatam, duo committit peccata mortalia, nimirum vnum in quantum S. M. E, præceptum non adimplet, & alterum in quantum non adimplet præceptum Confessoris; quoniam ficut duplex est meritum per duplicem præcepti obseruationem, ita duplex pœna per duplicem inobseruationem ipsorum.

190 Pœnitens, missam audiendo in die festo, potest nè satisfactionem à suo confessario impositam satisfacere?

Respondeo, quòd sic: modo debita missæ auditio, non omittatur; nimirum, quando illa, quæ Sacerdos alta voce profert, audit; scilicet Gloria in excelsis Deo, &c. Orationes, Epistolam, Euangelium, &c. & dum alia in secreto celebrans dicit pœnitens ipse potest recitare, & facere id, quòd sibi de satisfactione placuerit. Verum est, quòd melius est in hoc casu, quòd pœnitens ipse missam auscultet absquè prædicta recitatione, vel adimpletione, & satisfactione; quam missam audiendo pœnitentiā, seù satisfactionem recitare, ac adimplere; nam si ipsi pœnitenti prosunt ea, quæ alta voce à Sacerdote in missa dicuntur, ita ei prosunt ipsius Sacerdotis gesta, & Ceremoniæ, quæ omnia passionis, & mor-

& mortis Domini Nostri Iesu Christi sunt actiones.

Si quis in mortali peccato, pęnitentiam satisfacit à suo Confessore impositam, adimplet nè confessionem factam, atq; est ipsa pęnitentia meritoria vitæ æternæ? 191

Respondeo, quòd satisfacit quò ad Pœnitentiæ Sacramẽtum, & non est necessarium confessionem factam iterare; quò ad effectum verò gratiæ, fictione durante, non valet, valet tamen tali recedente fictione, & hoc non in quantum est peccatoris operatio, sed in quantum est Sacerdotis in Pœnitentiæ Sacramento impositio; quoniam Confessoris vinculum fortius est, quam Dei, sanctæquè Matris Ecclesiæ: quamquam aliqui oppositum asseuerent.

Si Pęnitens, alijs dicit satisfactionem à suo confessario impositam, an peccet mortaliter? 192

Respondeo, si peccata iam confessa, sunt alijs manifesta, illisq; præcipuè, quibus manifestatur satisfactio, non solum nullum erit peccatum mortale, aut veniale, verum etiam anima talis maximum acquirit meritum, & gloriam, quoniam propter talem satisfactionem manifestatam, ipse pœnitens, venit proximis suis satisfacere de scandalo dato, pro suis peccatis ab illis iam scitis. Nam si confessarius facit opus Iustitiæ, prò publicis peccatis, publicam iniungendo pęnitentiam, seù satisfactionem, sic & pęnitens suam alijs manifestando satisfactionem, vt qui ipsum peccantem viderant, videant etiam satisfacientem, vt alibi. Si verò peccata confessa sunt alijs occulta, ac sibi, vel alteri scandalum adueniret propter manifestationem suæ satisfactionis, semper mortaliter peccabit, quoties hoc in confessionibus faciet. Vnusquisquè enim suum debet conseruare honorem, & famam, iuxta illud. Curam habe de bono nomine. Si verò è contra, venialiter; nihilominus semper est consulendus pęnitens, quòd scilicet nunquam alijs suam enucleet satisfactionem à confessario impositam; quoniam multoties contingere poterit, quòd satisfactionem ipsam sciens in suorum veniat cognitionem, maximè cum fiunt ieiunia solo pane, & aqua, disciplinæ, peregrinationes, & his similia, quæ pro peccatis carnalibus vniuersaliter dari, & imponi solent; vel etiam pro homicidio, blasphemia, similibusquè erroribus, & sic experti, ac sagaces tales scientes, ac videntes facere satisfactiones, facillimè in peccatorum pęnitentis cognitionem possunt deuenire, & sic

possent

possent scandalum pati, & quidem nostris temporibus multi errant, & minimè aduertunt de hoc grauissimo damno, ac proximorum scandalo, & sicut pęnitenti non licet, vt supra, suam manifestare satisfactionem à suo confessario impositam, multò minus confessario ipsi licet alijs dicere talem, & talem satisfactionem dicendo, tali, & tali pęnitenti, talem, & talem imposui pęnitentiam; quandoquidem grauissimè peccaret, & insuper atrocissimè esset puniendus ab Ecclesia, tanquam fractor sigilli confessionis.

193 Potest nè vnus, pro alio satisfacere prò commissis, confessisq; peccatis?

Respondeo omnis satisfactio, quæ à confessario imponitur per modum satisfactionis pro peccatis præteritis, vnus pro alio, semper satisfacere potest, dummodo vtri sint grati Deo in charitate, nimirum absquè mortali peccato: secus verò est dicendum de sola satisfactione restitutionis, quia satis est, vt debiti fiat solutio, nequè requiritur, vt ambo, vel alter sit in gratia, & charitate; illam verò satisfactionem, quæ à confessario per modum medicinæ imponitur, nimirum pro futuris cauendis peccatis; nullo modo vnus pro alio satisfacere potest, sed per proprium, satisfaciendum est totum; hæc enim satisfactio prębetur pro medicina, at medicina sanitatem ægroto minimè confert, nisi ab eo recipiatur, vt constat experientia.

194 An posit quis de peccatis commissis, diuinæ satisfacere iustitiæ?

Respondeo, si loquamur propriè de qualitate, vt nimirum satisfactio est Iustitiæ pars, nam Iustitia æqualitatem rescipit, & exigit; quantum adhoc, nullo modo Iustitiæ diuinæ potest quis satisfacere, etiam si nullum commisisset peccatum, quandoquidem, vt Philosophus, ait. Deo, parentibus, & magistris, æquiualens reddi non potest. Si verò loquamur de proportionabili qualitate, puta; quando quis facit id, quod facere potest, & hoc modo idem, quod supra, est dicendum, nisi velimus dicere satisfacere Ex acceptantis beneuolentia; si verò quæritur. An ipse diuinæ Iustitiæ satisfacere posit: dicimus, quòd si ipse consideratur secundùm naturalia, seclusa gratia, & charitate Dei, nullo modo, ipsi Deo pro peccato commisso, satisfacere posit, quia quę Deo sine gratia, & charitate præbentur, nullius sunt momenti, cum

sint

ſunt dona ab inimico data: poſſet quidem diuina Iuſtitia ſua omnipotentia, peccata commiſſa remittere propter actum peccatoris, ſed hoc non eſt ſatisfacere, ſed potius à Deo remiſſionem obtinere ſua beneuolentia. Secundò, poſſet ipſe pœnitens conſiderari prout eſt in gratia, & charitate Dei, & ſecundùm hanc conſiderationem ſi ipſe reſpectum habeat ad Chriſti paſſionem, non poteſt diuinæ Iuſtitiæ ad æqualitatem ſatisfacere, quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam; ſi verò ipſe conſideretur in gratia, & charitate, ſed prout ipſa gratia, & charitas ſunt effectus paſſionis Ieſu Chriſti, ſic propriiſſimè ad æqualitatem diuinæ Iuſtitiæ ſatisfacit, ſi tamen ſua merita Chriſti meritis coniungat, qui certè in quantum homo, Deo Patri ad æqualitatem Iuſtitiæ ſatisfecit. 195

Quot ſunt opera hominum?

Reſpondeo hominum opera quadrupliciter appellari; primò, mortua; ſecundò, mortifera; tertiò, viua; quartò, mortificata; primò, vocantur mortua, quia in ſtatu peccati mortalis talia opera facta ſunt, quoniam mortua ſunt, quantum attinet ad gratiam, ac gloriam promerendam. An non audis Apoſtolum totum hoc manifeſtantem prima Cor. c. 13? Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, ac ſi tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Secundò, mortifera, quæ ſunt mortalis peccati opera, vt quando quis fornicatur, blaſphemat, furatur, &c. tertiò, viua, quæ ſunt ipſa opera bona in gratia, & charitate Dei facta, quæ æterna vita ſunt digna; quartò mortificata, quæ ipſa ſunt bona opera in gratia Dei, & charitate facta, quæ ex ſequenti peccato mortali, mortificantur; nam Magiſter ſent. ait. quæſt. 14. Mortificantur acta bona, per conſequens peccatum, vt non ſortiantur mercedem, ſi peccatum non ſuccederet, quæ bona opera obice recedente, & Dei charitate adueniente reuiuiſcunt, atquè efficaciam obtinent perducentem hominem ad vitam æternam; quandoquidem philoſophus primò poſter. ait: ſicut affirmatio, cauſa eſt affirmationis, ſic negatio, negationis: vndè ſi peccatum mortale cum animam infelicem ingreditur actus boni mortificantur, ſic à contrario per pœnitentiam deletum, viuificantur: non enim eſt minor potentia pœnitentiæ cum Miſericordia, quã peccati cum Iuſtitia, immò illa ſuperior, ac potentior, iuxta

illud Psalmi 144. Miserationes eius super omnia opera eius, vt in alio diximus loco: si verò peccator ad mortem vsquè in peccato mortali perseueraret, Deus bona opera sua in charitate, & gratia facta, alicui ex suis præbet amicis in maiori gradu gratiæ, charitatisquè coniuncto; mortale enim peccatum non potest tollere ea, quæ sunt in acceptatione diuina, nisi in ordine ad eum, qui peccauit, & quando in eo manet peccatum.

196 Quot requiruntur in opere bono, vt sit meritorium vitæ æternæ?

Respondeo secundùm D. Thomam tria; nimirum. Status operantis, opera honestatis, & bona intentio. Primò, requiritur status operantis, nimirùm, vt faciens opus bonum non sit infidelis, vel paganus, vel hæreticus, sed fidelis, & Christianus in gratia constitutus, & charitate, non autem in mortali peccato; quoniam omne, quod non est in fide elicitum, non est meritorium, sed peccatum mortale, vt sacri inquiunt Doctores, imò requiritur, vt operans opus bonum sit in gratia Dei, & charitate fundatus, quoniam qui Dei gratiam non habet, ac charitatem omne perdit bonum in tali statu factum, vt ex D. Paulo 1. Cor. c. 13. demonstrauimus: imò Prouerb. cap. 15. dicitur à Spiritu Sancto, quòd victimæ impiorum sint abominabiles Deo. Secundò, requiritur opera honestatis, idest, vt res sit de bonorum genere facta; quoniam duplex est genus operationum nimirum genus boni, & genus mali, in genere operationis bonæ omnia continentur opera bona, seù viua, aut mortificata sint: in genere verò malo operationis malæ, omnia continentur opera mala, quæ mortalia, vel venialia dicuntur peccata. Tertiò, requiritur bona intentio; quoniam quidquid agis, prudenter agas, & respice finem; quandoquidem opera hominum quadrupliciter appellantur, diuerso tamen modo, ac diximus supra in præcedenti interrogatione, diximus, nimirum, opera mala, bona, optima, ac media, seù neutralia; Mala opera sunt mortalia, seù venialia peccata, quæ etiam sunt præter voluntatem Dei, licet non contra voluntatem eius, vt sunt mortalia, Bona opera stant in obseruantia omnium præceptorum tàm Dei, quàm Sanctæ M. Ecclesiæ. Optima opera, stant in obseruatione Euangeliorum, & Consilijs diuinis. Media verò opera, seù neutralia sunt operationes politicæ, seù naturales, vt artes liberales: prima opera, quæ mortalia sunt peccata

ex

ex suo genere nunquam ad bonum finem elicita, fiunt opera bona. Exem: gra: quis furatur cum hac intentione, vt pauperi eleemosynam præbeat, vel falsum affirmat, vt innocentem aliquem à manibus Iustitiæ liberet, vel fornicatur, vt meretricem in vxorem ducat, ac similia operare, & facere mala; quamuis enim prima facie supradicta mala opera, bonæ videantur operationes propter ipsarum finem, vt quis furatur, vt det pauperi eleemosynam, &c. non proindè talia opera mala, bonæ euadunt operationes; *A*postolus enim ait, quòd non sunt facienda mala, vt veniant bona; possunt nihilominus Optima opera esse mala propter malum finem, (quandoquidem, vt solet dici in physicis disciplinis, actus specificantur, seù sumunt suam distinctionem à finibus, seù motiuis, seù obiectis formalibus, ac proindè in tali specie erit actus ipse factus, in quo est obiectum, cuius intuitu agens mouetur ad operandum) puta quis dat eleemosynam pauperibus propter vanam gloriam, vel si mulier est, vt illam alliceat ad luxuriam, ac proindè actus ille, quo quis dat pauperi eleemosynam, propter inanem gloriam, vel mulieri egenæ, vt prouocet ad luxuriæ actum, quamquam materialiter, seù entitatiuè sint actus misericordiæ, tamen formaliter ex intentione mala est, & actus vanę gloriæ, & actus inhonestus prouocans mulierem ad veneream operationem; propterea dici solitum est, [Quidquid agunt homines, intentio iudicat omnes. Bona media, possunt fieri mala, & bona intentione; v.g. quis seminat, vel aliud opus mechanicum exercet, vt sibi, vel alteri subueniret, hoc quidem sanctissimum est opus, quoniam secundùm iustitiam, ac charitatem Dei, fundata est intentio sua; si verò faciat vt illud acquisitum in malum expenderet, profectò malissimum est opus illud, quoniam sua intentio contra iustitiam, & charitatem Dei, & proximi cadit, Deus namquè in operibus nostris cor respicit, & non manus, vt alibi diximus.

Opera bona, extra gratiam, & charitatem Dei facta, ad quid 197
operanti prosunt?

Respondeo ad multa; nam quamuis bona opera ipsa, extra gratiam, & charitatem Dei facta, non prosint operanti per modum meriti: charitas quandoquidem est principium merendi, tamen ipsi operanti ad multa prosunt, vt videre est præsertim apud Auream Rosam in tract. 3. de quæstionibus impertinenti-

bus; primò, valent ad vitam æternam per modum accidentalis; in hoc sensu: quòd si ipse peccator se pœniteat, ac conteritur, talia patrasse congaudebit, cum in vita erit æterna; secundò, valent per modum dispositionis, quia forsan Deus ipse, qui summè clemens est, per bona opera ipsa, cor facientis illuminat, vt in ipsum tanquam in bonum infinitum conuertatur: tertiò, valent ad tolerabilius futurum iudicium, idest non tollunt pœnam æternam in Inferno ipsi peccatori debitam, aut minuunt ipsius causam; sed quia æternalem pœnam futuram impediunt, dum quis sic bonum operandum, non omittit, si quidem disponunt ad bonum, & consequenter ad multa valent per modum congrui ad temporalem prosperitatem; quartò, valent, quoniam assuefaciunt bonis operibus: sicut enim vnum peccatum, aliud vocat, iuxta illud Psalmi 41. Abyssus, abyssum inuocat; ita vnum bonum, aliud vocat bonum: quintò, valent contra diabolum, diabolus namq; non habet tantam potestatem super peccatorem, quantam haberet, si illa opera non fecisset: sextò, valent ad consultationem in præsenti, quoniam nullus homo, quantumcunque est in Domino pessimus, quòd de suo opere non gaudeat, maximè de oratione, cui iste effectus oppropriatur propter excellentiam, quàm in se habet, iuxta illud D. Iacobi c. 5. dicentis. Tristatur aliquis ex vobis? oret æquo animo, & psallat.

De Absolutione.

198 QVid est Absolutio?

Respondeo, quòd est sententia definitiua absoluens reum.

199 Quot modis, in confessione, fit peccatorum absolutio?

Respondeo duobus modis; primò, si teneris vinculo aliquo excomunicationis maioris, vel minoris, à quo ego possum te absoluere, absoluo te, ac restituo te Sanctæ Matris Ecclesiæ vnitati, ac fidelium communitati: in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Si verò pœnitens est clericus, in verbis [excommunicationis maioris, vel minoris] adiungantur hæc verba [suspensionis, & interdicti: in quantum ego, &c. Deindè dicatur Misereatur tui, & indulgentiam, absolutionem, &c. & postea. Dominus noster Iesus Christus per suam pijssimam miseri-

cordiam, te absoluat, & ego authoritate ipsius, qua fungor, absoluo te in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti. ✠ Amen.

Deinde. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, atquè intendis facere, & mala, quæ patienter sustines, & sustinebis sint tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.

Secundo modo: dicendum est primò, Misereatur tui, &c. & Indulgentiam, &c.

Deinde. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, qua fungor, absoluo te in primis, ab omni vinculo excommunicationis maioris, & minoris, suspensionis, & interdicti; si pœnitens est Clericus, dicatur. [In quantum possum, ac tu indiges. Deindè absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ &c.

Deinde dicatur. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ Virginis, &c.

In breuibus autem Confessionibus, vt illorum, qui sæpè confitentur, satis est dicere solum. Ego absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, &c.

An in absoluendo, requiratur manuum Sacerdotis impositio? 200

Respondeo, quòd non; Christus enim quando D. Petro, & alijs Apostolis potestatem dedit absoluendi peccata, nullam de impositione manuum fecit mentionem, vt est videre præsertim apud D. Thomam 3. p. q. 84. art. 4.

An in absolutione, requiratur cautio iuramenti? 201

Respondeo, quòd sic; sed in absolutione ab excommunicatione, non autem à peccatis.

Quæ sunt in hac absolutione verba essentialia? 202

Respondeo ex Tridentino sess. 14. c. 3. Ego te absoluo; cętera verò, quæ ibi permittuntur, ac subsequuntur, sunt ad benè esse, ac de consuetudine, quòd si quis confessor omittat particulam. Ego; iàm tenet absolutio: dicendo, te absoluo: & ratio est quia particula, Ego includitur in verbo absoluo; si enim absoluo, ego absoluo, & etiam in particula, te, iam continentur particulæ illæ, à peccatis tuis; nam si te absoluo, à tuis absoluo; & si à tuis absol-

ſoluo, certè à tuis peccatis abſoluo; & hoc in caſu neceſſitatis poterit obſeruari; vt cum quis repentè mortaliter vulneratus eſt, vel cum quis alio accidenti violento, vel naturali modicum habet vitæ, ac proindè confeſſarius poteſt ſolum dicere, te abſoluo; & iam eſt abſolutus: ſed cauendum eſt extra caſum neceſſitatis; aliàs enim ſequeretur magnus Eccleſiæ contemptus mutando pro ſuo libito communem eius ritum, ac proindè peccaret talis mortaliter, &c. excuſaretur etiam Sacerdos à peccato mortali, ſi id contingeret extra caſum neceſſitatis ob defectum linguæ, vel memoriæ; quę abſolutionis peccatorum forma ab illis Saluatoris verbis Matt. 18. cap. accepta eſt; quęcunquè ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo.

203 An iſta abſolutio dari poſſit ſub conditione?

Reſpondeo, quòd ſic de conditione impropriè dicta, quæ eſt de pręterito, vel de pręſenti; cum hac enim licet abſoluere in tribus, vel quatuor caſibus, &c. minimè verò de conditione propriè dicta, quæ eſt de futuro.

204 An plures abſolui poſſint vnica abſolutione?

Reſpondeo affirmatiuè; quando in maris procella, tempore peſtis, vel belli inueniuntur, publicè confiteantur, ac ſimul eidem Confeſſori, qui auditis quorumcumquè peccatis, omnes ſimul abſoluat, dicendo. Ego vos abſoluo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. vt Nauarrus inquit præcipuè c.8. n. 13. Angel. Confeſſ. 1. n.28.

205 Eſt nè bonum, verbis ipſis; nimirum, abſoluo te à peccatis, iniungere pariter. Et oblitis?

Reſpondeo minimè; quamquam apud aliquos videatur oppoſitum, quando peccata oblita actualiter abſolui nequeunt, ſecundùm veram doctrinam, licet ſint virtualiter abſoluta quouſq; ignorantur.

206 Poteſt nè Confeſſor pœnitentem abſoluere relicta ſatisfactione, vt Chriſtus cum muliere adultera fecit, cui tantum dixit. Vade, noli ampliùs peccare; Ioannis c.8?

Reſpondeo, quòd non, vt ait peritiſſimus Nicolaus de Lyra, quoniam & ſi Chriſtus cum muliere adultera hoc fecit, forſan vidit in ea magnam contritionem; quæ quidem pro pœna illius peccati ſufficiebat; at confeſſarius non poteſt perpendere in confitente, an magnam habeat contritionem, quia non videt cor ipſius,

ipsius, (cum hoc sit proprium solius Dei) sed solum videt ea, quæ exterius patent.

An debeat confessarius cum omni pœnitente vti forma communi absolutionis, puta, cum omnibus illis verbis, & orationibus, quæ in absolutione peccatorum currunt? 207

Respondeo; si pœnitens est propè mortem, ac ideò confessario non vacat omnia verba illa dicere, scilicet si teneris aliquo vinculo excomunicationis, &c. & Dominus noster Iesus Christus, &c. debet tunc ipse vti forma breuissima, verbis nimirum breuioribus, sed essentialibus; nempè [absoluo te] quia si pœnitens moriretur ita absolutus à peccatis, postea mortuus, potest absolui, seù potius declarare, ipsum iàm esse ab excõmunicatione absolutum, si qua fortè erat innodatus: secus verò (supposito tali casu) non posset fieri absolutio à peccatis, si prius absolutus fuerit ab excõmunicatione, & priusquàm à peccatis absolueretur, ipse pœnitens moriretur; quamuis enim apud Sacros DD. videatur, quòd excõmunicationis absolutio debeat precedere absolutionem peccatorũm, nihilominus in extrema necessitate, scilicet Mortis, debet illa cedere absolutioni peccatorum, si quidem homo per absolutionem excomunicationis, non fit de attrito, contritus, virtute clauium, sicuti per absolutionem peccatorum fit, quoniam excommunicationis absolutio, Sacramentum non est, sed habilitatio ad Sacramentum; vnde si quis pœnitens, fictè in excommunicationis absolutione compertus, non saluatur, sicut per illam peccatorum absolutionem saluatur, quæ est res sancta, peccatoris animam sanctificans. Posset tamen in hoc casu Confessarius vnico verbo, pœnitentem ipsum ab omnibus suis absoluere necessarijs; dicendo nimirum [absoluo te à Censuris, & peccatis.

Potest nè Confessarius, prò illo verbo [absoluo] vti alijs verbis, nempè relaxo, condono, indulgeo, remitto, & his similibus? 208

Respondeo duas esse, super hoc Doctorum opiniones; Prima enim affirmat; maximè super illud verbum remitto: dicens, quòd multoties Christus hoc vsus est verbo in absoluendo peccatores à peccatis, vt patet præcipuè Lucæ c. 7. Remissa sunt ei (nimirum Magdalenæ) peccata multa, &c. & Ioannis cap. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.

Secun-

Secunda verò opinio negat; quòd scilicet vllo illorum verborum, licet æquiualenti, vti possit Confessarius, & sic in veritate tenendum est; quoties enim præscribitur certa verborum forma, non potest postea per æquiualens suppleri; attamen absolueret, si diceret. Absoluaris à me: vel Franciscus absoluatur à me; secus verò si diceret. [Deus te absoluat] conferat tibi Deus tuorum peccatorum absolutionem: quoniam peccatorum absolutio, debet esse authoritatiua, cum in tali absolutione exerceatur actus iudicialis, vtpotè authoritatiuus; siquidem confessarius ipse ad remissionem peccatorum, & gratiam concurrit, vt patet ex illis verbis: quorum remiseritis, &c. sed ministerialiter, est enim Dei causæ principalis minister. Deus namquè est causa principalis, cum ipse solus peccata remittat, gratiam producat, ac conferat animæ pœnitentis.

209 Quibus, sit deneganda ista peccatorum absolutio?

Respondeo multis; primò, non dolentibus de præteritis peccatis; secundò, non habentibus firmum propositum abstinendi à futuris; tertiò, nolentibus diuinæ satisfacere Iustitiæ in hoc seculo, vel in Purgatorio; quartò, nolentibus restituere proximo famam, honorem, pecuniam, vel quid notabile ab eo ablatum, cum possit; Quintò, nolentibus propinquam tollere occasionem, vt cum quis nolit abstinere domum amantis eundi; vel nolit ipsam è proprio eijcere domicilio, dummodò graue non vrgeat damnum, nimirum Mortis, vel honoris, vel magnum scandalum proximo, quòd si mortale damnum, siuè spirituale, siuè corporale ipsi pœnitenti, vel alteri venit, atquè creditur, quòd pœnitens ipse non amplius in talem caderet errorem, quia scilicet est maximè contritus, ac domi suæ vtitur omni suo posse, quòd nimirum cum ea nunquam secreto conuersetur, &c. tunc potest absolui; quoniam ad aliud non tenetur cum tanto suo damno, vitæ, honoris, &c. sextò, excommunicatis omnibus, quibus precedere debet absolutio excommunicationum, priusquam dicatur absolutio peccatorum, modò penitens ipse non sit in extrema necessitate constitutus, scilicet mortis, in qua non vacat confessario, tali facta absolutione excommunicationis, proferre peccatorum absolutionem, vt supra diximus; in quo casu confessarius procedat cautè, ac diligentissimè considerando periculum imminens, & prout erit periculum, se accommodet pœnitenti.

An

An peccata reseruata superiori, sint non reseruatorum peccatorum, absolutionis beneficio impeditiua? 210

Respondeo, si peccata reseruata superiori, aliqua sunt adnexa excommunicatione, quòd sic: secus verò; non quoniam tunc Confessor pœnitentem videns peccata habentem reseruata, non aliqua excommunicatione annexa, potest ipsum absoluere, à quibus absoluere potest, & de alijs ad suum mittere superiorem, talem habentem potestatem absoluendi ipsum à peccatis reseruatis. Quamquam melius sit; prius pergere ad superiorem, & ab ipso facultatem obtinere, vt à suo confessario ab omnibus absoluatur, & sic fiat vna peccatorum omnium absolutio.

Quot sunt casus Episcopo reseruati, de quibus non potest simplex confessarius absoluere? 211

Respondeo breuiter ad multa. Episcopi casus, vel peccata reseruata in triplici sunt differentia; quædam sunt à Iure; quędam à consuetudine, & quædam de speciali consuetudine in proprijs Ecclesijs Episcopalibus; de quibus hìc respondere non possumus; quandoquidem Episcopus quilibet in sua Diœcesi casus, atq; peccata reseruat pro se, vt necessarium videbitur ipsi reseruare, peccatorum verò Episcopo de iure, & consuetudine reseruatorum, tres sunt de eis Doctorum opiniones.

Prima enim affirmat, tria de iure, & quatuor de consuetudine. Trium de Iure. Primum est. Excommunicationum, suspensionum, atquè Irregularitatum relaxatio, iuramentorum, ac votorum commutatio; licet enim hæc non sint propriè peccata, attamen Episcopo tanquam peccata reseruata remanent. Secundum, peccatum graue, atquè scandalum, vt Concubinarius, Vsurarius publicus, Dei publicus blasphemator, pro quo publica debetur imponi pœnitentia. Tertium, peccatum incendiariorum ex proposito factum, & consilium ad id præstitum.

Quatuor verò de Consuetudine. Primum, est homicidium voluntarium, & realis membri abscissio. Hìc tamen est notandum, quòd membrum propriè illud dicitur, quod speciale habet in corpore exercitium, vt sunt oculi, qui habent exercitium videndi, Aures, audiendi lingua, loquendi; manus, scribendi; pedes, ambulandi; secus verò digitus pedis, vel manus, quoniam sunt partes membrorum, non verò membra integra: item, & dentes partes sunt oris. Secundum, Falsarij, veritatem tacentes 212

coram legitimo superiore, ordine Iuris interrogante. Scribentes falsum: sed hoc non de falsarijs literarum Apostolicarum; quoniam de talibus papalis extat Excommunicatio; sed de alijs ordinarijs. Tertium, indiuinationes, incantationes, dæmoniorumquè inuocationes. Quartum, Sacrilegium, Ecclesiarumquè rapinæ rerum, homicidia, vulnerationes intus Ecclesiam commissæ.

Secunda opinio, hæc, & alia assignat: puta. Coitus cum brutis; Matrimonium clamdestinum, Matrimonium contra Ecclesiæ interdictum contractum, nefandum, ac sodomia.

Tertia opinio, hæc omnia supradicta, ad quinquè tantum casus reducit. Irregularitatum omissa dispensatione, Votorum, ac iuramentorum relaxatione; Primum, Excommunicatio, specialiter absolutio, pro iniectione violenta non atroci in clericum. Secundum, peccatum incendiorum domorum, ac frugum ex proposito factum: Tertium, pro quo pœnitentia publica est imponenda. Quartum, peccatum clerici, per quod in aliquam incurrit irregularitatem. Quintum, Blasphemia publica.

Præterea; multi Sacri Doctores volunt, quòd peccatum blasphemiæ, & omnia, pro quibus publica est iniungenda pœnitentia, possit quilibet confessarius ab eis absoluere (modò non sint in iudiciali foro inducta) ac pro eis conuenientem imponere satisfactionem: imò etiam illud, quòd irregularitatem habet annexam; irregularitas enim non impedit Sacramentorum susceptionem, sed solùm ordinum, vel exequutionem ipsorum.

Est etiam hìc dicendum, quòd quando quis Episcopus in sua Diœcesi sibi, per schedulam, ac Synodum, peccata reseruat, & casus; peccata ipsa, & casus supradicti in schedula, & in Synodo non contenti, irreseruati permanent; cum enim Episcopus ipse, aliqua, per schedulam, ac synodum, peccata reseruat, & casus è supradictis, intelligitur de alijs in schedula, ac synodo non contentis confessoribus absoluendi concessisse licentiam; imò ab eis etiam in schedula, & synodo contentis confessarius absoluere posset, secundùm Nauar. c. 9. n. 6. quando nimirum probabiliter credit, Episcopo placere: ait enim ipse Nauarrus vbi supra, quòd consensus tacitus superioris scientis, ac tacentis dat Iurisdictionem.

212 An possit Episcopus subditum suum de reseruatis peccatis absol-

absoluere, nullam de eis habentem contritionem, atquè etiam inuitum?

Respondeo, si peccata reseruata habent excommunicationem annexam, vel censuram aliquam, vt interdictum, & suspensionem, tunc posset eum de facto, non autem de Iure, de illa excommunicatione, vel censura absoluere, & relaxare; quoniam tunc Episcopus ipse, non absoluit subditum suum à mortali peccato, & culpa, ob quam fuit excommunicatus, vel interdictus, vel suspensus, sed tantum ab ipsius pœna, quæ ordinariè inuoluntaria est; quam superior potest, quandocunquè ipsi placuerit, relaxare, ac absoluere, etiam absente pœnitente, vt præsertim ait Angelicus Doctor Aquinas 4. d. 18. q. 2. imò absoluere potest ab vna excommunicatione, alia relicta; si tamen pluribus pœnitens sit innodatus, idem D. Thom. vbi supra q. 3. quoniam excommunicationes non habent connexionem ad inuicem, sicuti peccata mortalia. Verùm est, quòd excommunicationis, suspensionis, ac interdicti absolutio, & reuocatio per vìm, aut metum extorta, non valet; quoniam voluntas libera superioris relaxantis, atquè absoluentis necessària est, vt patet in c. de ijs, quæ vì lib. 6.

Si verò peccata sunt simpliciter reseruata, puta, sine aliqua annexa censura, tunc nullo modo subditum ipsum absoluere posset ab eis; quoniam in mortalium peccatorum absolutione necessariò requiritur contritio, vel saltem Attritio: præterea si quis in fraudem animæ suæ, fuit à suo superiore absolutus, sinè contritione, vel attritione, tenetur iterum pœnitens confiteri, & absolui, quamquam necessàrium minimè sit, iterum superiori se præsentare, sed tantum ei sufficit cuicunquè confessario confiteri potestatem habenti absoluendi à casibus simplicibus mortalibus; nam quamuis ipse pœnitens per illam peccatorum reseruatorum absolutionem, à suo superiore obtentam sic imperfectè, ob defectum contritionis gratiam non accipit, & charitatem; nihilominus accepit priuilegium non amplius ad suum se præsentare superiorem; quoniam quotiescunque subditus sua reseruata peccata superiori manifestat, atquè pro suis talibus reseruatis peccatis conuenienter satisfactionem obtinuit, non amplius in sui superioris foro remanet ligatus, sed cuicunquè, &c. modò sit ab ordinario approbatus, & hoc intelligendum est, quandò verè fictè à superiore fuit absolutus; si enim ignoranter, & bona fide

absolutus fuit, quamuis gratiam, & charitatem non accepit per absolutionem illam tamen optimè remanet absolutus, & non tenetur aliam, pro illis absolutionem obtinere; & quando perfecta aduenerit contritio, gratia recipitur, & charitas de peccatis ipsis, fictè absolutus, vt ait S. Doctor 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 4. ad primùm.

213 Si quis decem habet peccata superiori reseruata, vel decem irregularitates, & ad superiorem ipsum accedit pro eis, absolutionem obtinendi ab ipso; in præsentia verò superioris non recordatur omnium peccatorum superiori reseruatorum, vel decem irregularitatum, sed quinquè tantum; habita verò à quinq; peccatis absolutione, vel à quinque censuris dispensatione, omnia in mentem veniunt: vtrum possit absolui, vel dispensari ab inferiori, ab illis oblitis; an verò iterum debeat suo se præsentare superiori?

Respondeo, si peccatorum reseruatorum absolutio, atquè irregularitatum dispensatio fuit data ab illis quinque signanter, & ab omnibus, quos fortè haberet, vel habere dubitaret ad cautelam dicendo in absolutione illa verba (in quantum possum, & tu indiges) non tenetur aliam procurare absolutionem, atq; habilitationem; quoniam per illam generalem absolutionem, atq; habilitationem, puta. [in quantum possum, & tu indiges] omnia comprehenduntur; si verò absolutio à peccatis, vel à censuris dispensatio fuit ab illis quinque tantum, aut plus, aut minus: si postea recordatur sex, vel septem, non tenetur aliud procurare, quia per illa, aut plus, aut minus, sex, & septem comprehenduntur; si verò vult ea confiteri scrupulizando, confiteri potest cuicunquè ordinario confessario; si verò recordetur decem nouem, vel octo, tenetur iterum suo se præsentare superiori pro reliquorum absolutione, vel habitatione quoniam in ipsa prima absolutione, vel habilitatione ad quinque, vel plus, vel minus. decem, vel nouem, aut octo non comprehenduntur, sicuti comprehenduntur sex, vel septem. Similiter est dicendum in hoc casu de illo, qui alicui confessario confiteretur facultatem habenti absoluendi à casibus, ac censuris, in cuius præsentia immemor erat alicuius peccati, vel censuræ reseruatæ: nihilominus ad cautelam se fecit absoluere, vel dispensare; si postea peccatum illud, vel illa censura in mentem venit, non tenetur pro illo peccato, vel pro illa censura,

aliam

aliam obtinere absolutionem, atquè habilitationem ad cautelam obtentam, remanet habens benè absolutus, ac dispensatus, sicuti quando in absolutione dicitur [in quantum possum, & tu indiges, ac si scrupulizetur, poterit confiteri cuicunquè confessario, approbato tamen ab ordinario, sicuti confiteri poterit, quando absoluitur à quinque, vel pluribus, vel paucioribus, & postea recordatur habere sex, vel septem, vt supra diximus.

Notandum est præterea, quòd quando quis confessarius, vel Episcopus à censuris dispensat, vel ab excommunicatione absoluit, non peccat mortaliter, si in mortali peccato dispensat, vel absoluat; quoniam hæc censurarum dispensatio, atquè absolutio, non est Sacramentum, vel res sancta, peccatoris animam sanctificans, vt illa peccatorum absolutio, in qua necessariò requiritur contritio, vel attritio, sed tantùm ad Sacramentum habilitatio est, quod nullum peccatum erit mortale, secundùm Sacros Doctores, in mortali ministrando peccato, omni malo fine secluso, ac proximi scandalo.

Si quis in suo Episcopatu, peccatum committit reseruatum, 214 postea verò in aliam se confert Diœcesim, ac Episcopatum, vbi non est tale peccatum reseruatum, potest nè ipse habens, in illa Diœcesi, seù in illo Episcopatu à simplici confessario ab eo peccato absolui?

Respondeo, si pœnitens domicilium habet, & se solùm confert in aliam Diœcesim, seu alium Episcopatum, vbi nulla est peccati reseruatio, non potest à simplici absolui confessario illius Episcopatus à suo peccato reseruato, nisi prius licentiam habeat à suo Prælato, vel à Prælatò, vbi suum confitetur peccatum; quoniam ille, qui alicubi in casum incidit reseruatum, semper, & vbiquè reseruatus manet ille casus: quoniam si manet in foro conscientiæ, & iam manet in foro delicti. Si verò se, ac domicilium illuc confert saltem per annum, vel maiorem anni partem, tunc potest absolui: quoniam ipse tunc ob suam domicilij translationem, factus est verè subditus legibus, vbi suum posuit domicilium, & confessarius debet cum eo tunc procedere, sicut cum alijs diœcesanis procedit: nempè si peccatum non est in tali diœcesi reseruatum, pœnitentem ipsum absoluat: si verò est reseruatum, mittat ipsum pœnitentem ad superiorem, vel proficiscatur ipse ad obtinendam superiorum licentiam absoluendi à tali peccato

reser-

reſeruato; quoniam ſicut in foro conſcientiæ, etiam quis ſortitur in foro delicti, debet illi naturali ratione cedere, ſcilicet qui habet commodum, debet habere incommodum, & qui habet incommodum, debet habere commodum. Similiter habendus eſt Confeſſarius cum peregrino, ſicuti habendus eſt cum diœceſanis, & cum quo ſuum ibi traxerit domicilium, & quamuis apud Paludanum 4. ſent. diſt. 17. videatur, quòd qui habet licentiam peregrinandi à ſuo Prælato, poſſit à ſuis peccatis reſeruatis abſolui, vbicumquè confiteretur, abſquè alia licentia, ait ipſe Paludanus, quòd per illam Prælati licentiam longinquè peregrinanti, omnia intelliguntur conceſſa, quæ in foro animæ conſiderantur: hoc non eſt ſecundùm veram doctrinam tenendum ſpecialiter per Nauar. c. placuit. de Pœnitent. diſt. 6. n. 63. ſed, vt ſupra diximus, confeſſarius ipſe procedere debet cum illo, qui nullum domicilium habet, vt vagabundus, &c. nam qui nullum domicilium habet, illud vbicunq; acquirit, vbicunq; reperitur.

215 An aliquis ex regularibus Sacerdos, abſquè ſui prælati, ſcilicet, Prioris, Abbatis, &c. licentia faciens ſe ab Epiſcopo ad Confeſſiones approbare, ſint tales Confeſſiones taliter factæ, validæ: an non?

Reſpondeo, quòd ſi tantùm de ſæcularibus audit peccata, & abſoluit, benè audita, atquè abſoluta ſunt, ſed tantum mortaliter peccat faciendo ſe approbare ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, abſquè ſui Prælati licentia, ſi verò audit, & abſoluit peccata fratrum Religionis, tales confeſſiones, ac abſolutiones, ſunt inualidæ; quoniam regularis Sacerdos, non poteſt per illam Epiſcopi licentiam, qua ſæcularium audit confeſſiones, eorumq; peccata abſoluit, confeſſiones fratrum ſuæ Religionis audire, ac etiam abſoluere, ſicuti non poſſet per ſolam licentiam ſui Prælati regularis, qua poteſt fratrum confeſſiones audire, & abſoluere, ſæcularium audire confeſſiones, ac etiam abſoluere, ſed præter illam ſui prælati licentiam requiritur Ordinarij approbantis licentia, ſic etiam in caſu noſtro regularis Sacerdos, ad hoc, vt audiat etiam ſuorum confratrum confeſſiones, & abſoluat (quemadmodum ſæcularium audit confeſſiones, ac illos abſoluit) requiritur ſui proprij Prælati licentia, vt experientia docet.

216 Si quis, in aliquo Epiſcopatu, pro audiendis confeſſionibus, approbatus eſt: num poſſit ſemper, & per totam Diœceſim,

cesim, confitentium peccata audire, & absoluere?

Respondeo: si Episcopi licentia fuit concessa limitate: nempè quòd non possit audire, & absoluere peccata, nisi in tali Ecclesia (secluso semper casu necessitatis, quia in extrema necessitate mortis, semper, & vbiquè ipse Sacerdos quicunquè sit, potest audire, & absoluere quæcunquè peccata, &c.) in tali ciuitate, & hoc tantum per annum, vel per sex menses; non potest in alia Ecclesia, in alia Ciuitate, vel extra annum, vel extra sex menses pœnitentium confessiones audire, eosq; à suis absoluere peccatis, si aliam non habet de nouo ab Episcopo licentiam; quandoquidem potestas ab Episcopo concessa audiendi, & absoluendi pœnitentium peccata, tamdiù durat, quamdiù conceditur, & quamquam Tridentinum dicat, quòd semel approbatus, non amplius debet approbari, non intelligitur, quòd omninò Episcopus, non possit confessario licentiam concedere confitendi, ac etiam limitandi, & determinandi in tali Ecclesia, vel tali Ciuitate, oppido, &c. & quòd si Episcopus dat hanc licentiam, pro semper, & pro vbiquè, non possit illam reuocare. Esto Episcopus (vniuersaliter loquendo) in sua Diœcesi debeat obseruare, nè confessarij sæpè sæpius debeant confitendi licentiam quærere, cum aliquo suo incommodo, & populorum disturbo; sed illis (consilium est) amplam det licentiam. Immò illa Sacri Conc. Trid. verba (nimirum. Semel approbatus, non amplius debet se approbare) intelligi possunt de Parochis; parochus namquè semel ad animarum curam approbatus, atquè à Summo Pontifice bulla obtenta, tanquam Episcopus, per totam suam Parochiam, absoluendi à peccatis, authoritatem habet, præter casus in Diœcesi reseruatos; imò non solum in Parochia propria, verum etiam vbicunquè Parochianus, suos inuenerit subditos, se volentes ipsi confiteri: quæ authoritas in alijs simplicibus confessoribus minimè inuenitur; siquidem potestas, quam simplex habet confessor ad confitendum, quæ est delegata, odiabilis est, atquè restringibilis, sed illa quam habet parochus, quæ ordinaria est, vt illa Episcopi, fauorabilis, atquè ampliabilis est.

Fit ab Episcopo limitata licentia confessionis, nempè in tali Ecclesia, in tali Ciuitate, &c. quia Episcopi, non semper Sacerdotum doctrinam ad confessiones audiendas respiciunt admittendorum, sed multoties ad sæcularium gesta, ac negotia; vnde

po-

potest accidere, quòd in aliquà Ciuitate, vel Ecclesiæ Parochialis conuicinio minora, ac simplicia gesta, ac negotia operentur, quæ quilibet Confessor simplex discernere potest, ac pœnitentibus talia habentibus prouidere, proindè Episcopi tales instanter admoneant simplices confessarios.

217 Si quis confessor absoluit, quem absoluere minimè poterat, quid esset in tali casu dicendum?

Respondeo, quòd diuersæ sunt super hoc, Doctorum opiniones; tamen hic breuiter me expediam; vel enim pœnitens fuit ab eo indignè absolutus à censuris, vel à peccatis: si fuit à censuris, quærat authoritatem habere, vt pœnitentem à censuris absoluat, ipsaquè obtenta facultate ipsum pœnitentem etiam absentem absoluere potest: quandoquidem. Absenti, & ignoranti censurarum absolutio fieri potest; si verò ipse pœnitens à tali confessario non à censuris, sed à peccatis fuit indignè absolutus, ipse confessarius, si talem pœnitentem poterit inuenire ad se illum aduocet, (certus existens, quòd illum admonendo, prudenter suum adimpleat ministerium, præciso semper omni scandalo, & graui ipsius confessoris periculo) ac illi modestè, ac leniter dicat. Fili mi in Christo Iesu dilecte in auscultatione tuæ confessionis inanimaduertenter magnum errorem commisi, quæso vt iterum mecum confitearis; vel saltem, vt des mihi facultatem te edocendi veritatem rei; qua obtenta illi dicat: mi dilecte mihi videtur, quòd quando tu mihi confessus es tale peccatum, tunc non benè audiui ipsum, siuè cetera peccata tua; si enim ipsum benè intellexissem, vtiquè te minimè absoluissem propter talem, ac talem rationem. Si pœnitens tale acceptat peccatum, debet ipsum tunc absoluere, si posset commodè, ac si de tali peccato haberet contritionem, vel attritionem, & si alia haberet mortalia peccata confitendi, confiteatur, vel firmum habeat propositum talia confitendi commoditate accedente meliori; quòd si talis contritionem, vel saltem attritionem non haberet, absolui minimè potest; siquidem regula est generalis. Quòd omnis impœnitens, indignus est suorum peccatorum absolutione: si verò confessarius talem pœnitentem absoluere (aliquo obstante) non posset, ipsum moneat, vt iterum alteri confiteatur confessario, à tali peccato mortali malè absoluto absoluere potenti: in quo casu, penitens ipse, confessoris consilium acceptare debet, alioquin in se ipsum con-

fesso-

fessoris culpam transferret, quòd si confessor existimaret, quòd peccatum illegitimè absolutum, negaretur à tali pœnitente, atquè graue damnum, vel scandalum ipsi, vel pœnitenti eueniret, agat pœnitentiam ipse confessor sui iam peccati commissi prouenientis ex mala, ac inualida absolutione, & pœnitentem Domino commendet, vt per actus contritionis, ac confessiones alias faciendas iustificaretur; quoniam aliud non tenetur facere cum tanto sui honoris, ac famæ detrimento. Propterea, confessores non sint somnolentes in audiendis confessionibus, sed studeant totis viribus animarum saluti.

Si quis confessarius, non habet potestatem absoluendi à casibus reseruatis, & ab eis absoluit, in quam pœnam incurrit? 218

Respondeo, quòd incurrit in excommunicationem maiorem, Summo Pontifici rèseruatam, quæ olim tantùm erat contra presumentes à casibus absoluere papalibus, hodie verò ex Summorum Pontificum modernis bullis, tàm à casibus papalibus, quàm Episcopalibus, in maiorem incurrunt excommunicationem, Sūmo Pontifici reseruatam absoluere præsumentes: dicitur. Præsumentes; quoniam si quis ex ignorantia probabili absolueret, puta à mortali excusante peccato, non incurreret in talem excomunicationem, quia nullus quò ad Deum in excomunicationem incurrit, nisi pro mortali peccato; quamquàm quò ad Ecclesiam, hic modus absoluendi sit ab ipsa Ecclesia puniendus: quandoquidem confessarius hoc vtens absoluendi modo, verus est excommunicatus. Ecclesia namquè quod est exterius iudicat, non autem, quod interius, quod sœpè diximus.

Si quis confessarius scit de certo, aliquem pœnitentem mortale habere peccatum, de quo non est confessus. An possit ipsum absoluere? 219

Respondeo, quòd debet primò confessarius ipse poenitentem in genere interrogare: nimirum. An peccatum sit carnale, dicendo ei: si fortasse nusquam cum muliere aliqua carnaliter habuerit amicitiam, ac etiam ei dicat, quòd si aliquod peccatum in confessione ex propria malitia omisit, non solùm Dei gratiam non recipit, ac charitatem, verùm etiam maiorem pro anima sua damnationem acquirit æternam, si his adhibitis à prudenti confessario verbis, pœnitens ipse peccatum non confitetur v. g. carnale, potest tunc ipsum pœnitentem confessor absoluere; Sacra-

mentalis enim confessio est actus Iustitiæ, & Iudex iudicare debet secundùm approbata, & allegata: immò confessor ipse peccatum, extra confessionem, sciens, illud peccatum scit, vt particularis persona, sed quando ab eo absoluit peccato: absoluit, vt persona communis, & vniuersalis, & alioqui pœnitens ipse peccatum illud omittit confiteri ex aliqua causa, quæ ipsi pœnitenti licet, vt cum iudicat, certè, quòd si tale suum confiteretur peccatum, graue damnum, & scandalum in suam, vel proximi personam redundaret, proponendo intra se ipsum alia commoditate, tale confiteri peccatum.

220 An possit Confessarius, contra suam opinionem, pœnitentem absoluere? puta aliquis negotiator accedit ad confitendum, cum casu de venditione, vel emptione (super quem casum duæ sunt DD. opiniones probabiles ambæ, scilicet illa ex parte Confessoris ait, quòd non licet vendere, ac emere; illa verò ex parte pœnitentis dicit, quòd sic.) An, inquam, possit talem pœnitentem in sua tali persistente opinione absoluere?

Respondeo, quòd grauis extat de hoc casu controuersia inter Doctores: nihilominus hìc breuiter est dicendum, quòd quando ambæ opiniones sunt probabiles, ac proprios habent assertores, confessor ipse, pœnitentem ipsum, absoluere debet; quoniam talis pœnitens in gratia Dei est, & charitate, & alioqui confessor habet probabilitatem, quòd nimirum ipse pœnitens sit in gratia, & charitate Dei; scit enim ipsius pœnitentis opinionem probabilē esse; nihilominus in tali casu hortandus pœnitens, vt abstineat, si commodè hoc ab ipso confessario fieri potest.

221 Quid à Confessario erit faciendum, si in fine confessionis pœnitentem comperit esse hæreticum, nigromantem, strigum, vel quid simile, vel alium talibus scire esse erroribus innodatum?

Respondeo, quòd quando Confessarius in aliquo prædictorum casu, pœnitentem talibus comperit esse erroribus innodatum, debet laborare, vt ipsum pœnitentem ab ipso pessimo reuocet errore, & si resipiscat, minimè talis, à talibus erroribus innodatus, est absoluendus, sed ad Papam, vel ad Episcopum mittendus est, vel confessarius ipse charitatis vinculo nixus, pro tali casu, ac graui pœnitentis errore, ad aliquem ipsorum duorum Prælatorum accedat, ad obtinendam licentiam illum absoluendi; si verò non resipiscit talis pœnitens, est dimittendus infelix in sua

dam-

damnatione: est nihilominus hoc factum à confessario denunciandum Prælato, maximè quando periculum est, vt multi in talem se conuertant errorem: at hoc debet Prælato denunciare verbis generalibus, & communibus; dicendo illi. Bone Pastor N. vigila super tuum gregem, quandoquidem inter tuas oues adsunt (& dicat tacitis verbis) lupi rapaces, scilicet hæretici. Proindè hoc est faciendum tali prudentia, quòd non frangatur sigillum confessionis, nè ob dictam manifestationem in peccatoris cognitionem deueniatur: si verò ei dicit se alium scire talibus esse erroribus innodatum, similiter dimittendus est, quoúsquè pœnitens ipse, vel confessarius de ipsiusmet pœnitentis licentia ad superiorem vadat ad denunciandum pro se: filius potest si vult facta patris superiori denunciare, licet non teneatur semper, sed in quibusdam casibus, puta; dum vellet prodere patriam, Principem interimere, affectare Tyrannidem, & quando hæresia in patre eius est talis, vt sit periculum peruersionis multorum: hæc doctrina est comunis multorum Doctorum specialiter Alexand. 3. p. q. 33. art. 2. imò nequè hæreticum Vltramontanum, tenetur quis denunciare, cum quo solum Vltramontes conuersatus est, secus si in Italia, vel Hyspania secundùm Nauarrum c. 9. n. 8.

Si quis Confessarius pro aliquo ægroto vocaretur ad illius cōfessionem audiendam, & cum illuc perueniret, talis ægrotus minimè posset sua confiteri peccata, sed solùm exterius signa contritionis ostendere. An posset confessarius talem absoluere ægrotum? 222

Respondeo, quòd duæ sunt, super hoc Doctorum opiniones.

Prima enim affirmat, quòd non posset confessarius ipsum ægrotum absoluere, dicens: quòd signa contritionis ad Pœnitentiæ Sacramentum non sufficiunt, sed necessaria simpliciter est peccatorum confessio, vel saltem alicuius peccati, est tamen in tali casu illi dicendum. Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. & Sacratissimum Eucharistiæ præbendum Sacramentum, quòd si talis ægrotus non fuisset, & ob defectum Sacramentalis confessionis damnaretur, seriò ob virtutem tanti Sacramenti Eucharistiæ saluaretur cum etiam per tale, ac tantum Sacramentum fiat homo de attrito, contritus, vt in Ecclesia patet experientia.

Secunda opinio affirmat, quòd posset, atquè deberet absoluere; quoniam, licet peccatorum confessio in Sacramento Pœni-

tentiæ ſit neceſsaria, non autem ſimpliciter, ſed dum quis hanc facere poſſit: imò contingere poteſt, quòd ob aliquam cauſam, non poſſit ægrotus ipſe communicari, & ſi poſſit: nulli eſt per Tridentinum ſeſs. 13. can. vlt. Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum donandum, mortali ſuppoſito peccato, abſquè prævia confeſſione: & quamuis prima opinio ſit probabilis, attamen deberet in tali caſu confeſſarius ſecundam tenere opinionem; ſic enim hodiè obſeruare videtur Sancta Mater Eccleſia, & D. Anton. 3.p. c. de Infirmit. tit. 2. affirmat, quòd etiam deberet abſoluere, etiam ſi nullum ægrotus oſtendiſſet Contritionis ſignũ, modò ſit viuus, ac perſona, de qua conſtat, quòd benè in vita ſpiritus viuebat, & conſequenter, quòd ſæpè confitebatur; non enim credibile eſt, quòd ſi talis ægrotus confiteri poterat, non confitebatur, ſicuti dum eſſet ſanus, confitebatur. Eſt autem hìc confeſſario dicendum, omne ſcrupulum à ſe tollendo mortale, eum cum conditione in tali caſu abſoluere: puta, dicendo ſi ſufficienter confeſſus es mihi, ego te abſoluo; ſi non ſufficienter confeſſus es mihi, ego non te abſoluo.

223 Si quis confeſſor pœnitentem comperit peccata non habentem mortalia, ſed venialia tantum: poteſt nè ei liberè peccatorũm abſolutionem præbere, ſicut quandò vtrumquè confiteretur?

Reſpondeo, quod ſic; quoniam peccata venialia ſunt vera materia ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ, vt alibi diximus: tamen confeſſor debet in abſolutione intelligere, ab omnibus abſoluere peccatis, nimirum, tàm à venialibus, quàm à mortalibus, ſi fortè pœnitens ipſe haberet mortalia non cognita ab ipſo (delicta enim quis intelligit?) quoniam ſi confeſſor ipſe tantùm intendit à venialibus abſoluere peccatis, poteſt eſſe, quòd inter venialia aliquòd eſſet mortale, quòd inabſolutum ipſum redderet pœnitentem. Nihilominus confeſſarius poteſt cum multis pœnitentibus, ab eo omnẽ ſcrupulum tollendo mortalem, conditionali peccatorum vti abſolutione, vt de ægroto ſupra diximus nullum potente confiteri peccatum; puta quis pœnitens ei confitetur, & quia in Dei, ac Sanctæ M. Eccleſiæ præceptis benè viuens, dubitatur, an peccata haberet? tunc poteſt ipſe confeſſor ipſum pœnitentem conditionaliter abſoluere: hoc modo. [Si peccata habes, ego te abſoluo: ſi peccata non habes, ego non te abſoluo.

Nihil-

Nihilominus secretè dicendo talem absolutionem confessarius, scilicet si peccata non habes, &c. nè glorietur inaniter ipse pœnitens, tanquam peccatum non habēs. Similiter faciat confessor, cum puero, & qualicunquè persona, quæ ob defectum rationis, & iudicij, perfectam facere nequeunt confessionem: dicendo, nimirum in absolutione. [Si vsum habes rationis, si sufficienter confessus es mihi, ego te absoluo. Debet itaquè confessarius cum talibus personis conditionali vti peccatorum forma in absoluendo. Esse enim potest, quòd quando eas absoluit, vsum non habeant rationis perfectum, quem deberent habere, & sic peccaret mortaliter ipse confessor in dubio, audiendo peccata, eaquè absoluendo; nam sicut in homine, perfectus requiritur rationis vsus ad mortale committendum peccatum: ita ab eo, vt euellatur tale peccatum, & gratia, & charitas Dei infundatur virtute Sacramenti, perfectus pariter requiritur vsus rationis.

Dùm Confessor pœnitentem absoluit, est nè bonum, vt ei dicat: dic quinque Pater noster, totidemquè Aue Maria, vel vnam Salue Regina, aut quid simile? 224

Respondeo, quòd aliqui affirmant; nihilominus hic contrarium est nobis asserendum secundùm veriorem doctrinam; si enim pœnitens ipse lætari videtur per quinque illos Pater noster, totidemquè Aue Maria, vel quid simile: multò maiori ratione lætatur, atquè adiuuatur, suorum peccatorum absolutionem audiendo, & quodammodò de sua certificatur salute, quam per tale percipit Sacramentum. Et si quis fortè diceret, quòd pœnitēs, nihil de his, quæ confessor dicit, sciat; quia nimirum linguam haud intelligit latinam, maximè si rusticus, vel mulier extiterit. Respondetur, quòd si pœnitens non intelligit formam absolutionis suorum peccatorum, intelligit nihilominus Confessorem absoluentem, ac super ipsum orantem; ac proindè hodiernis temporibus in Ecclesia Sancta Dei nōn est persona, licet rudens, quæ de Absolutionis peccatorum forma multa non percipiat verba; sunt enim intellectui facillima; maximè illa orationis, quæ incipit. Passio Domini nostri Iesu Christi, ac merita Mariæ Virginis, &c. Est nihilominus laudabile, vt confessarius pœnitenti tali absolutionis tempore dicat. Fili, dic ter Iesus.

Di

De Ministro Pœnitentiæ.

225 QVis est huius Sacramenti Pœnitentiæ minister?
Respondeo, quòd est proprius Sacerdos.

226 Quis est proprius Sacerdos?

Respondeo Papa, est proprius Sacerdos per totum mundum, si totus mundus esset Christianus; Episcopus, in sua Diœcesi; Parochus, in sua Parochia, Delegati ab istis, ad audiendas confessiones, sicuti proprij Sacerdotes, licet Parocho non potenti in sua Parochia alios approbare Sacerdotes ad audiendas confessiones, si longa non fuerit in ea consuetudo ad approbandum.

227 Quot sunt casus, in quibus non tenetur pœnitens proprio confiteri Sacerdoti?

Respondeo multi; primus, est necessitas mortis; in articulo enim mortis quilibet Sacerdos fit proprius, atquè ab omnibus peccatis, & censuris absoluere potest: sicut Papa: si pœnitens conualescat, ac tunc aliqua erat censura innodatus, tenetur superiori quàm primum se præsentare, alioquin in eamdem relabetur censuram; hoc priuilegium non habet necessitas communionis, ac missæ; tunc enim proprium non habenti Sacerdotem Contritio, ac bona voluntas habendi sufficit. Secundus, facultas eligendi confessorem à Iure, vel Iubileo, vel confessario concessa. Tertiùs, libertas, vel quia nulli est subditus, vt Papa, vel quia est vagus, seu vagabundus, vel quia solum peccata confiteretur venialia, vel mortalia alia confessione confessa, & absoluta, & per ipsa adimpleta penitentia, seù satisfactione; peccata enim mortalia quantumcunquè grauissima sint, attamen confessa, & absoluta, venialia dicuntur, atquè à quocunquè non approbato Sacerdote absolui possunt: sicuti venialia naturalia. Quartus, licentia explicita, vel implicita. Quintus, quando proprius Sacerdos est probabiliter confessionum reuelator, vel ad peccatum fragilis, ac etiam pronus, vel si peccatum ipsum sit de quo quis confiteri debet. Sextus, consuetudo habendi animarum curam, præscripta operatur; vel habens homini curam: posset earum audire confessiones, eisquè licentiam præbere, alteri confitendi, secùs est dicendum de consuetudine, confessorem eligendi, quæ præscribi non potest.

228 Quot, & quę sunt conditiones, quas habere debet confessarius?

Re-

Respondeo quinque, nimirum: Potestas: Scientia: Prudentia: Bonitas, & Sigillum.

Quæ, & quotuplex potestas, in confessario requiritur? 229

Respondeo duplex; vna ordinis, idest quòd sit Sacerdos legitimè ordinatus. Altera Iurisditionis, idest quòd penitens sit ei subditus; quoniam nemò ligare, & absoluere potest aliquem, qui non est ipsi subditus.

Quotuplex est Iurisditio? 230

Respondeo duplex; nempè ordinaria, qualis est illa Papæ, Episcopi, Parochi, vel delegata, qualis est illa Religiosorum, atquè eorum, qui deputati sunt ad audiendas confessiones à prædictis puta à Papa, vel ab Episcopo; non autem à Parocho; Parochus enim alios in sua Parochia ad confessiones audiendas approbare non potest; si longa non fuerit in Parochia approbandi consuetudo, vt diximus.

Quæ differentia est inter Iurisditionem ordinariam, & delegatam? 231

Respondeo, qui habet ordinariam potestatem, potest subditis licentiam præbere alteri confitendi, ac etiam alios deputare Sacerdotes ad audiendas suorum subditorum confessiones, quòd certè facere non potest Iurisditio delegata.

Deputati à superiore ad audiendas confessiones, an possint à casibus absoluere reseruatis? 232

Respondeo, quòd non, nisi expræssè eis concedatur ab illis facultas absoluendi. Præterea quibus licentia, ac facultas conceditur absoluendi à reseruatis peccatis, non intelligitur concessa licentia, & facultas absoluendi à Censuris; quoniam Censuræ dispensantur, & non absoluuntur. Vndè specialis requiritur pro eis absoluendi, ac dispensandi authoritas. Nihilominus potest Prælatus, ab omnibus absoluendi, ac dispensandi authoritatem vnico verbo concedere: videlicet, dicendo. Concedo tibi totam meam authoritatem, quæ in foro spectat conscientiæ; in quo tempore nulla est apud Sacros Doctores dubitatio: quòd de omnibus absoluere, ac relaxare non possit, quoniam per illud verbum [totam meam concedo authoritatem] omnia illa, quæ in foro conscientiæ spectant, intelliguntur concessa per illam regulam. Quidquid agunt homines, intentio iudicat omnes, vt alibi diximus.

Quæ

233 Quæ scientia est in confessario necessaria?

Respondeo, talis debet esse confessoris necessaria, vt sit sufficiens ad discernendum inter mortale, ac veniale peccatum, ac etiam qualis sit inter hæc differentia, item inter maiorem, ac minorem excommunicationem, & inter dubia contractuum, quæ vt plurimum hominibus accidere solent.

234 Quæ prudentia in ipso confessario est necessaria?

Respondeo talis: puta, vt sit prudens in recipiendo pęnitentem, seruando reprehensiones pro fine confessionis, vt permittat, pęnitentem prius sua dicere peccata, quorum memoriam habet, postea interrogando, quæ fortè omisit, non sit nimis molestus in inuestigando exactè numerum peccatorum; caueat nè poenitentem peccata doceat, quæ fortasse nescit, (& vtinam in dies nō inuenirentur tales ignari, & sine spiritu ambulantes in confessione) cognita specie peccati ex circumstantijs, poterit interrogare de modo, quo commissum fuit, & vtatur verbis honestissimis, vocabulisquè morigeratis, & sit prudens postremò ad inducendum poenitentem, cum verbis dulcibus ad veram contritionem, iniungendo pro qualitate peccatorum poenitentiam proportionatam, ac etiam pro peccatis futuris prębeat salutare medicamentum, puta, imponendo, vt faciat hoc, scilicet, vt fugiat occasiones peccati, vt cum caro consurgit aduersum spiritum, disciplinetur, ieiunet, &c. quæ profectò præ omnibus adiuuant ipsum poenitentem.

235 Quæ Bonitas in confessario est necessaria?

Respondeo, quòd non sit in mortali peccato existens, vel cum proposito mortaliter peccandi, paratus, interdictus, suspensus, ac excommunicatus, alioquin mortaliter peccaret, ac pro Censuris irregularis fieret, cuius dispensatio ad summum pertinet Pontificem, si fuerit interdictum, suspensio, ac excommunicatio publica; si verò secreta ad Episcopum, si confessor de sæcularibus fuerit Sacerdos: si verò de claustralibus, puta, qui in aliqua approbata religione professus est, ad suum Generalem, ad suum Prouincialem, quoniam tales Religionum Prælati habent super subditos suos dispensandi à censuris, ac relaxandi potestatem, qualem Episcopi habent in suis Dioecesibus, vt in priuilegijs patet.

236 Quod sigillum in confessario requiritur?

Re-

Respondeo, quòd nunquam ipsi confessario licet, aliquod peccatum, vel circumstantiam ipsius in confessione auditam reuelare, etiam si totius immineret vniuersalis orbis ruina, & hoc seruandum est de Iure diuino, naturali, atquè Ecclesiastico.

Confessarius, tenetur ad hoc sigillum confessionis, etiam non sequuta absolutione, vt quia pœnitens non vult restituere, vel resipiscere, vel abstinere à peccato, vel habet aliquem casum, vel censuram Ecclesiasticam, etiam in casibus, quibus pœnitenti de Iure debet absolutionis beneficium denegari? 237

Respondeo, quòd sic; & si reuelet debet atrociter puniri, vt fractor sigilli tanti confessionis Sacramenti; quandoquidem Sacramentalis est confessio, licet informis.

Si quis confessarius duos, vel tres, vel etiam plures confiteretur homines, de confessionali eleuatus, alteri dicat. In isto homine, nullum inueni mortale peccatum, an sit reuelator, seù fractor sigilli Confessionis? 238

Respondeo, quòd sic; quoniam tunc confessarius ipse venit propter suum tale dictum ostendere, alios à se confessos mortalia habere peccata, licet non explicitè dicat hoc. Vnde Confessarij attenti esse deberent, ac diligentes in loquendo in Ciuitatibus, Oppidis, &c. vbi confitentur. Nam si aliquis ipsorum in aliqua Ciuitate, Oppido, &c. ab omnibus populis pro confessario tenebatur, atquè ad eum populorum multi pro ipsorum confessione audienda currunt, aliquo tempore dicens; in hac Ciuitate, in hoc oppido, &c. peccatum Sodomorum valdè suam posuit sedem, videte mirum magnum auditores; quòd vir, viro se coniungat contra naturam! ò Ciuitas, vel oppidum infame tale in te nefandum regnans peccatum; multæ mulierculæ pro virginibus habentur, quæ (ò scelus inauditum!) virgines non sunt; talia peccata, ac infamias dicendo peccaret grauiter, ac debet, & potest puniri, tanquam verus fractor sigilli confessionis, saltem in foro conscientiæ, si non in foro iudicij: quoniam propter tale suum dictum scandalizarentur audientes, dicentes esse verũ, quod dicitur; quoniam ipse de omnibus nobis confessiones audit, & scit omnia scelera nostra, & in hoc hodierna luce multi aberrant confessarij, non aduertentes miseri de hoc graui peccato, ac proximorum scandalo. Verum est, quòd si forte confessor sibi peccatum in Confessione Ecclesiæ patefactum, reuelauerit vltra de-

positionem, aliasquè poenas ipsi imponendas, vt in c. omnis, vtriusquè sexus de Poenitentia, ac remissione patet, credere ei nō debetur; tum quia testimonium vnius nullius sit momenti, &, alioqui Iura inquiunt. Testimonium est, cum in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Matt. c. 18.

139 Quæ sunt ea, quæ sub hoc præceptum sigilli confessionis cadunt?

Respondeo omnia, ac singula peccata, quæ ibi recitantur Sacramentaliter, etiam non peccata, vt consultationes, omniaquè illa, per quæ deueniri possit in cognitionem poenitentis, etiam debita, deposita, tradita, in quibus est aliquod peccatum commissum, vel aliqua confessionis requiritur consultatio, vel mixta sunt intra confessionem.

240 Quanto tempore confessario durat hæc occultatio sigilli confessionis?

Respondeo etiam post mortem poenitentis, prout simili detractione dicitur: puta, quòd qui detrahit personæ mortuæ, etiam peccat mortaliter, atquè ad restitutionem famæ illius tenetur. Ratio est, quia præceptum de conseruando hoc confessionis sigillo, proximiquè fama, negatiuum est, ac proindè obligat semper, & ad semper, nimirum, quòd nunquam illi liceat contrauenire, vt apud D. Thomam q. 2. art. 2. in corpore patet specialiter, quòd quidem ita non est in naturali sigillo; quandoquidem sigillum naturale, tamdiù tenetur occultare, quamdiu animæ damnum notabile non resultat, vt quando quis scit ab amico, quòd Petrus, &c. ab eo occisus fuit, de qua Petri, &c. occisione, interrogatus postea à suo Iudice, ordine Iuris, non debet tunc falsum iurare: dicendo nihil scire, sed omnia iudici interroganti propalare debet, ne iustitia imperfecta remaneat, filiusquè iniquitatis in suis iniquitatibus perseueraret, quòd quidem est magnam propter hoc, Deo summo iudici facere iniuriam. Vndè adhoc pręceptum obseruandum, nè dum quis non debet in fraudem iurare Iustitiæ ad euitandum peccatum proximi, verùm etiam ad euitandum peccatum proprium, etiam si statim ipsi mortis corporalis periculū imminet, vt ait Angelicus Doctor Aquinas. Quoniā animę bonum, est excellentius bono corporis, quòd sępè diximus: propterea hoc totum spiritus supernus volens ostendere, dixit Eccl. c. 44. Non contradicas verbo veritatis, vllo modo.

De

QVid est Eucharistia? 241

Respondeo, quòd est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi veraciter, ac realiter contenti sub speciebus panis, & vini, post consecrationem factam à Sacerdote sub certis verbis cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina veraciter significans, ac realiter corpus, & Christi sanguinem sub illis speciebus realiter contenta. Scotus 4. sent. d. 8. Conc. Trid. sess. 13. c. 1. & can. 1.

Et D. Thomas 3. p. q. 75. faciens quæstionem. An secundùm veritatem sit corpus Christi in hoc Sacramento? inquit, quòd verum corpus, & sanguis Christi sit in hoc Sacramento, & sensu minimè percipi potest, sed sola fide: ipse autem S. Doctor veritati innititur diuinæ, vnde super illud Lucæ. [Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur] inquit Cyrillus Alexandrinus. Non dubites. An verum sit? sed potiùs suscipe verba Saluatoris in fide; cum enim sit veritas, non mentitur. Berengarius autem, qui dicebat corpus, & sanguinem Christi non esse in hoc augustissimo Sacramento, nisi sicut in signo, postea correctus est, suum reuocando errorem, ac fidei Orthodoxæ veritatem infallibilem confitendo.

Hoc Sacramentum, vndè dicitur Eucharistia? 242

Respondeo per I. q. 1. c. multi: ab eum, quod significat bonum, & charis, gratia; quasi bona gratia; vt enim specialiter, ait Trident. locis præcitatis: in hoc Sacramento continetur realissimè Christus, qui certè est fons omnis gratiæ.

Quale est proprium nomen huius Sacramenti Eucharistiæ? 243

Respondeo secundùm D. Thomam loc. precitato art. 4. quòd in quantum, respectu præteriti, prout est memoratiuum dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium; dicitur sacrificium; in quantum verò respectu præsentis, prout est vnitatis Ecclesiasticæ aggregatiuum, vocatur communio; quoniam per ipsum ad inuicem vnimur, sed in quantum habet significationem respectu futuri; in quantum scilicet est præfiguratiuum fruitionis Dei summi boni, qui est in patria, dicitur viaticum, & secundùm hoc dicitur etiam Eucharistia, idest bona gratia, quia gratia Dei (ait Apostolus) vita æterna.

244 Quando inſtitutum fuit hoc Sacramentum?

Reſpondeo in vltima Cœna Chriſti Domini, quando ſcilicet, ſuis diſcipulis hoc tradidit Sacramentum, dicens. Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, vt etiam patet (præter Euangeliſtarum teſtimonia) in prima Cor. c. 11.

245 An Chriſtus, in die Cœnæ, ſuum corpus tradidit diſcipulis ſuis paſſibile, vel impaſſibile?

Reſpondeo ſecundùm D. Thomam, quòd tunc tale corpus dedit, quale habuit, ſed tunc habuit corpus paſsibile; igitur eis paſſibile corpus tradidit, tamen tunc impaſsibile corpus illis datur contentum ſub ſpeciebus Sacramenti, quod quidem in ſe erat paſſibile; nam ſpecies pani, ac vini ſunt illæ, quæ in hoc Sacramento videntur, ac tanguntur; non autem ipſum Chriſti Corpus ſanctiſſimum tangitur, patitur, & videtur.

246 An Chriſtus, prius ſuum corpus tradidit diſcipulis, & poſtea ipſum conſecrauit, dum ſupra loc. cit. apud Corinthios dicatur. Accipite, & manducate hoc eſt Corpus meum?

Reſpondeo, quòd tres ſunt de hac quæſtione Doctorum opiniones; quarum prima eſt, D. Thomæ dicentis, quòd Chriſtus Ieſus intrinſecè authoritatiuè conſecrauit corpus ſuum, deditquè diſcipulis ſuis, & poſtmodùm formam protulit, ad oſtendendum nobis, quòd ſic debemus conſecrare.

Secunda opinio affirmat, quòd Chriſtus non ex illis verbis. [Hoc eſt Corpus meum] conſecrauit, ſed alijs nobis minimè notis.

Tertia opinio affirmat, & hæc eſt veritatis germana doctrina: puta, quòd Chriſtus non intrinſecè, nec cum alijs verbis, ſuum corpus conſecrauit, ſed cum illis, nempè. [Hoc eſt Corpus meum.] & non poſtquàm ſuis tradidit diſcipulis, ſed antea, ſicut hodie in Sancta M. Eccleſia obſeruatur; quoniam Euangeliſtæ, non ſemper Chriſti res, eo ordine, quo geſtæ fuerunt, ſed multoties factę prius, ſcribentur poſteriùs, & quæ poſteriùs, prius, vt in multis locis Sacræ Scripturæ quiſquè, præter etiam euangelia, colligere poterit.

247 An Chriſtus ſuum dederit corpus Iudæ, ſicuti, & alijs diſcipulis?

Reſpondeo ſecundũ D. Hylarium in Matthæum, quòd non; attamen dicendum eſt cum D. Dionyſio lib. de cœleſti Hierarchia,

chia, quòd æqualiter dedit omnibus; idẽ etiam affirmat magnus Pater Chrisostomus in Matthæum; ipse enim fuit nobis exemplũ Iustitiæ, proindè non debuit peccatorem occultum depellere.

An Christus communicauit se, quando suos communicauit discipulos? 248

Respondeo secundùm D. Thomam 3. p. q.48. art. 1. quòd licet quidam dicant, quòd non, nihilominus dicendum est, quòd prius ipse sumpsit, & deindè suis tradidit discipulis sumendum; vndè in quodam hymno dicitur. Res sedeat in cœna, turba cinctus duodena se tenet in manibus, se cibat ipse cibus: idem habetur de Consecr. dist. 2. 1. Nec Moyses. 249

Cur Christus se communicauit, sicut communicauit suos discipulos, cum non fuerit in eo augmentata gratia per talem communionem?

Respondeo triplici ex causa. Prima, propter exemplum aliorum, vt ipse ait. Quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Secunda, vt suum corpus, quod tunc passibile erat, atquè mortale, impassibile, atquè immortale sub Sacramenti speciebus reciperet. Tertia, vt illam reciperet inexplicabilem dulcedinem omnem in se delectamentum habentem, ac etiam pingue nutrimentum, quod in ipsa continebatur carne, & sanguine Christi Iesu. Vndè sciendum est, quòd species Sacramentales nutriunt, atquè inebriant iuxta illud Apostoli 1. Cor. c. 11. dicentis. Alius quidem esurit, alius ebrius est; vbi Gloss. inquit, quòd aliqui sumentes inebriabantur, quòd certè contingere non posset, si Sacramentales species nō spiritualiter nutrirẽt, vt alibi erit dicendũ.

Quare Christus, hoc Sacramentum, vsq; ad vltimam Cœnam distulit instituere? 250

Respondeo secundùm D. Thomam 3. p. q. 77. art. 5. quòd tripliciter. Primò, quia Christus ipse in hoc Sacramento continebatur, & proindè quando in propria discessurus erat, in Sacramentali specie, se ipsum reliquit. Secundò, quia sinè fide Passionis Christi, nunquàm potuit esse salus, ac ideò oportuit, eo tempore cœnæ apud homines esse repræsentatiuum dominicæ passionis, cuius in veteri testamento erat agnus paschalis, cui successit in nouo testamento, Eucharistia; idcircò conueniens valdè fuit, vt celebrato priori testamento, nouum institueretur. Tertiò, quia ea, quæ vltimò maximè ab amicis recedentibus dicuntur, ma-

magis memoriæ commendantur, & quia nulla maior obligatio ista inuenitur: proindè cum discessurus erat, instituit hoc Sacramentum, vt nimirum in maiore haberetur veneratione.

251 An Eucharistia, sit vnum de Sacramentis Ecclesiæ?

Respondeo, quòd sic; vt videre est principaliter apud D. Thomam, vbi supra q.77. art. 1. quoniam ordinatur ad subueniendum homini in vita spirituali, quæ conformatur vitæ corporali, ad quã requiritur generatio, per quã homo vitã accipit, atq; augmentum, quo homo ipse conseruatur in vita, ita etiam in spirituali vita oportuit esse Baptismũ, qui est spirituale augmentum; ac etiam oportuit esse Eucharistiam, quæ est spirituale alimentum.

252 An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium?

Respondeo, quòd duplex est de hoc Sanctissimæ Eucharistiæ sumptione præceptum, puta, diuinum, & humanum; diuinum, colligitur ex illo præcipuè Ioannis c. 6. [Nisi manducaueritis carnem filij hominis, ac biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, intellige gloriam æternam; humanum verò colligitur ex Conc. Trid. in c. omnis vtriusquè sexus, nempè quòd omnes dicretionis vsum habentes, teneantur semel in anno confiteri, atquè in Paschate Resurrectionis communicari: quantum ad primum, licet sit diuinum præceptum, tamen non est ad salutem simpliciter necessarium, vt est Sacramentum Baptismi, absq; quo nullus hominum saluari potest, nisi illud recipiat, siuè in re, siuè in voto; at sine Sacramento Eucharistiæ contrarium experimur, dummodò non adsit contemptus expressus, vel interpretatiuus, qualis est, cum quis per negligentiam Eucharistiæ Sacramentum non accipit: non est hoc Sacramentum simpliciter ad salutem; quoniam multi pueri, qui quotidiè sinè tali Sacramento ex hac vita baptizati decedunt, saluantur, multi etiam in villis, ac etiam in maris itinere moriuntur cum sola confessione certè saluantur: quantum ad secundum, nimirum, in quantum est præceptum humanum, nec etiam peccarent, quando nimirum proprij Parochi, vel Prælati pœnitentibus consilium adest; vide lector dubitans, hoc præceptum non obligare, Diuum Thomam vbi supra art. 3.

253 Quæ est huius Sacramenti materia?

Respondeo, quòd duplex est huius Sacramenti materia, nempè vna, quò ad corpus, altera verò, quò ad sanguinem; materia,

quò

quò ad corpus est panis triticeus, ac azymus, licet si panis esset fermentatus, verùm esset Sacramentum; quamquam sic faciendo Sacerdotes latini mortaliter peccàrent in consecrando, sicut è conuerso Græci latino more consecrantes etiam mortaliter peccarent; vnusquisquè enim sic faciendo suum ritum peruerteret. Consecrant latini Sacerdotes in azymis, (vt ait magnus Gregorius in registro) quia Dominus sinè vlla commistione suscepit carnem, & hęc consuetudo est rationabilior, quia imitatur Christum in azymis consecrantem; Græci autem conficiunt in fermentato in detestationem hæresis Nazarenorum, qui legalia Euangelio miscebant; quò ad sanguinem, materia est vinum vitis modica per mixtum aqua, maximè si vinum sit debile, proindè tanta debet esse quantitas aquæ in vinum proiecta, quòd vini substantia non corrumpatur, sed remaneat forma vini; quòd si contrarium fieret, certò Sacramentum non conficeretur; quæ quidem modicæ aquæ appositio, iam vino, non est de necessitate Sacramenti huius, sed solùm præceptum S. M. Ecclesiæ, ad significandum, quòd etiam de Christi sacratissimo latere, aqua cum sanguine manauit, iuxta illud Ioannis c. 19. [exiuit sanguis, & aqua.

An cum pane siliginis, ordei, speltæ, lentis, & id genus, possit 254
confici hoc Sacramentum?

Respondeo, quòd in pane siliginis, atquè speltæ, multi Sacri DD. volunt, quòd confici posset, specialiter D. Thomas 3. p. q. 74. art. 3. in pane verò ceterorum fructuum, puta ordei, &c. omnes vnanimi consensu, negant: nec in lagano, foganza, vel torta ex farina debita facta ex aqua naturali, quibus zacharum, oleum, oua, vel alia similia miscentur; quoniam necessarium est, vt panis sit triticeus cum sola aqua naturali factus, non autem cum vino, vel aqua ex herbis limbecata, in furno, vel sub cineribus concoctus, nec sufficit, quòd sit in sartagine coctus, vel alio non consueto instrumento. Similiter dicendum est de vino: debet esse vinum vitis, non pomorum, aliorumquè fructuum, non verò acetum, mustum coctum, nam quamuis hæc fuerint è vite expressa, tamen non retinent formam substantialem vini, sed aliam habēt, vt quisquè poterit considerare, ac proindè non possunt esse materia apta, & digna huius Sacramenti, cum non habeant formam vini. Potest tamen ex musto è racemis expresso consecrari, quia

quia iam habetur vini species, quamquam (præter casum necessitatis) sic faciendo, mortaliter peccaret Sacerdos in consecratione. Vndè ipsi Sacerdotes adhibeant maximam diligentiam, & ministri prudentes, & non inepti, vt semper clarum habeant vinum, mundumquè calicem, vt meretur, tàm altissimum, ac diuinissimum Sacramentum, esto necessitas non vrgeat, aliter procedendi.

255 Cur potius panis, ac vinum, sunt huius Sacramenti materia, quàm caro, vel alia res?

Respondeo principaliter per D. Thomam loc. supra cit. art. 1. quòd panis, & vinum sunt materia conueniens huius Sacramenti. Primò, quantum ad vsum Sacramenti, quæ est manducatio, quia ipsis homines communius reficiuntur, & assumuntur in hoc Sacramento ad vsum spiritualis manducationis. Secundò, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis à corpore est separatus, ac ita in hoc Sacramento seorsim sumitur, panis, vt Sacramentum corporis, & vinum, vt Sacramentum sanguinis. Tertiò, quantum ad effectum, quia valet ad animæ tuitionem, ac etiam corporis, idcircò corpus Christi sanctissimum sub specie panis pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini, pro salute animæ offertur.

256 An requiratur aliqua determinata quantitas panis, ac vini ad materiam huius Sacramenti, vltra quam, Sacerdos non posset consecrare?

Respondeo per eumdem D. Thomam loco præcitato art. 2. quòd quidam dixerunt (vt Alexander de Ales, in 4. sententiarum, quòd Sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, & vini, nimirum totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quòd est in dolio; sed hoc non videtur esse verùm, quoniam in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicuti materia ferre est, ferrum, sed vt sit aptum sectioni; finis autem huius Sacramenti est vsus fidelium: vnde oportet, quòd quantitas materiæ huius Sacramenti determinetur per comparationem, ad vsum fidelium, qui nunc occurrunt, alioquin Sacerdos paucos habens Parochianos, non posset consecrare multas hostias. Vnde relinquitur, quòd materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium absolutè; numerus autem fidelium est in-

deter-

determinatus; vndè non poteſt dici, quòd quantitas materiæ huius Sacramenti ſit determinata.

An Sacerdos poſſit vnam partem hoſtiæ conſecrare ſine alia, hoſtia integra remanente? 257

Reſpondeo per Richardum 4. ſent. diſt. 10. quòd ſic: dummodò terminet partem, quam vult conſecrare; quoniam ſi vellet cõſecrare dimidiam, vel tertiam partem indeterminatè, nihil conſecraret. Verùm quidem eſt, quòd dum ipſe Sacerdos vult hoſtiam conſecratam ſumere, debet etiam illam partem non conſecratam ſumere, nè in diuiſione aliqua pars hoſtiæ conſecrata remaneat cum non conſecrata.

An ſi Sacerdos coram ſe viginti hoſtias habens, & non intendens conſecrare, niſi decem, & otto, eas conſecret? 258

Reſpondeo, quòd non; ſi autem terminet verba conſecrationis ad illas decem, & otto, quas vellet conſecrare, ita vt illæ remaneant ſignatæ, profectò erunt conſecratæ: at ſi non determinet particulas, illas ſignando, quidem nulla, erit conſecrata ignoratur enim materia conſecrabilis, per formam conſecrationis.

An habens viginti hoſtias, credens eſſe decem, & octo ante ſe, intendens conſecrare quidquid eſt ante ſe, conſecret? 259

Reſpondeo, quòd omnes viginti erunt conſecratæ, quandoquidem materia conſecrabilis per verba eſt iam determinata, cum ipſe Sacerdos habeat intentionem conſecrandi, quid quid eſt ante ſe.

An habens plures hoſtias, quas ante intendebat conſecrare, at in verborum prolatione non aduertit, niſi de illa, quam in manibus habet, an inquam omnes illas hoſtias conſecret? 260

Reſpondeo, quòd ſic: propter illam priorem intentionem, quæ virtualiter remanet.

An multi Sacerdotes poſſint vnam, & eamdem hoſtiam conſecrare? 261

Reſpondeo, quòd ſic, vt ſpecialiter eſt videre apud D. Thomam 3. p. q. 77. art. 2. dummodò intentio illorum multorum Sacerdotum referatur ad vnum inſtans morale conſecrationis, ſicuti noui ordinati cum Epiſcopo concelebrant; quandoquidem omnes agunt in perſona Chriſti, & multi ſunt vnum in Chriſto.

Quæ eſt forma huius Sacramenti?

Reſpondeo, quòd circa ſacratiſſimum Chriſti corpus, hæc eſt 262

O for-

forma, nempè: [Hoc est corpus meum,] forma verò consecrationis sanguinis hæc est, nimirum. [Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum] Et quamquam particula, enim, vtrobiquè omittatur (scilicet tàm in forma corporis, quàm in forma sanguinis) ac proindè ex hoc, consecrans, mortale committeret peccatum, non propterea Sacramenti perfectionem impediret; quandoquidem particula illa, enim, omissa, non est de essentia huius Sacramenti, cum non fuerit imposita à Christo in forma talis Sacramenti, sed à D. Petro Apostolorum principe.

263 An sint duo Sacramenta, cum sint duæ materiæ, totidemquè formæ?

Respondeo solùm esse vnum Sacramentum, quòd ex illis materiebus, & formis perficitur. Quinimmò, quilibet Christianus firmiter credere debet, quòd totus Iesus Christus, secundùm animam, corpus, ac Diuinitatem, est sub vtraquè specie consecratus, ac contentus, ac proindè ipse totum Iesum Christum sumit sub specie panis, sicuti Sacerdos celebrans Missam, vtramquè sumendo speciem; quamuis enim virtute Sacramenti, sub specie panis, sit tantum corpus Christi, & sub specie vini sit tantùm ipsius sanguis, tamen propter naturalem concomitantiam sub singula specie totus continetur Christus; quoniam hæc in Sacramento separata minimè sunt; vt suo Angelico more procedere solet S. Doctor Aquinas: totum hoc ostendit eruditissimis verbis in sequentia, quæ in die Corporis Christi dicitur; nimirum. [Caro, cibus, sanguis, potus; manet tamen Christus totus, sub vtraquè specie.] Et Conc. Trid. sess. 13. c. 3. Nec credendum est, quòd Sacerdos celebrans Missam, sub vtraq; specie Eucharistiam sumendo, plus ad salutem gratiam recipiat, quàm laicus, ipsam solùm in panis specie sumendo; quamuis enim Christus Iesus in suprema illa cœna hoc augustissimum Eucharistiæ Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & sic suis tradiderit Apostolis: fatendum nihilominus est etiam sub vna specie tantum, totum Christum esse integrè; & sumens sub vna specie verum sumit Sacramentum, & consequenter, quod ad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria defraudatur hoc Sacramentum sub vna panis specie sumenti.

Immò aduerte, quòd quamuis Iesus Christus integrè, ac realissimè in hoc augustissimo Eucharistiæ Sacramento sit, semper tamen ad Patris sui Omnipotentis dexteram assidet in cœlis, vt rectè totum hoc ostendit Concilium Tridentinum loco præcitato cap. 1. hiscè verbis. [Principio docet S. Synodus, & apertè, ac simpliciter profitetur in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis, & vini consecrationem Dominum nostrum, verum Deum, atquè hominem verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, vt ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, iuxta modum existendi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam, & si verbis exprimere vix possumus, possibilem ✠ tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Hæc ait Concilium, quibus clarè definit id, quòd initio aduertimus.

Quare in forma consecrationis corporis Christi, non fit mentio 264
de persona ministri, sicut in alijs Sacramentis?

Respondeo, quia forma huius Sacramenti differt à formis aliorum Sacramentorum, quæ differentia ex duplici exoritur capite. Primò, quia formæ aliorum Sacramentorum important vsum materiæ, nimirum baptizationem, vel consignationem, sed in forma huius Sacramenti, importatur sola consecratio materiæ, quæ in transubstantiatione consistit; cum dicitur [Hoc est corpus meum; vel, Hic est calix sanguinis, &c. Secundò, quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona ministri, siuè per modum exercentis actum, vt cum dicitur [Ego te baptizo. [Ego te absoluo; siuè per modum impetrantis, sicut in Sacramento Ordinis dicitur: accipere potestatem. &c. siuè per modum deprecantis, vt in extrema Vnctione, vt cum dicitur: Per istam Sanctam Vnctionem, ac nostram intercessionem, &c. sed forma huius Sacramenti profertur, quasi ex persona ipsius Christi loquentis, nimirum, Sacerdos in consecratione inducit se persona Christi, ac in persona ipsius dicit. [Hoc est corpus meum. [Hic est calix sanguinis, &c. ad significandum, quòd ipse Sacerdos in hoc Sacramento est minister, seù instrumentum ministeriale, Christus verò est causa principalis.

265 An si Sacerdos, prius consecraret calicem, quàm hostiam, conficeret Sacramentum?

Respondeo, quòd quamuis graue committeret Sacrilegium, non obseruando debitum consecrandi ritum, attamen consecraret, verumquè conficeret Sacramentum; quandoquidem consecratio vini non debet necessariò locum cedere consecrationi panis, sicuti consecratio panis haud debet expectare vini consecrationem, vndè confestim, ac est consecrata hostia, adoratur quamuis vinum non adhuc sit consecratum, vt patet.

266 An possit Sacerdos, in casu necessitatis, vinum consecrare absquè hostia, vel hostiam sinè vino?

Respondeo, quòd quamuis Sacerdos in tali casu iam consecraret, siuè hostiam sinè vino, vel vinum sinè hostia; Nihilominus hoc non posset facere absquè graui, ac mortali peccato; quandoquidem esset huius Sacratissimi Sacramenti iniurius, nisi ambas materias consecraret, ambasquè species Sacramentales sumeret. Vndè Sacri DD. volunt, quòd nec Summus Pontifex possit in hoc dispensare, idest Sacerdotem, hostiam absquè vino, vel contra consecrare: quoniam hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, quantæ est Baptismus; nec etiam potest dispensare, vt carente vino, in aqua consecretur; siquidem vinum vitis est de Essentia huius Sacramẽti, sicut panis triticeus, cum Christus Dominus in suprema illa cœna talibus materiebus instituerit hoc tantum Sacramentum.

267 Si Corpus Christi est in hoc Sacramento per verba consecrationis panis, videtur, quòd non debeat denuò incipere esse per verba consecrationis vini?

Respondeo, quòd Corpus Christi non est sub specie vini ex vi Sacramenti, sed ex reali, ac naturali concomitantia, ac proindè per consecrationem vini non fit ibi corpus Christi, per se, sed concomitanter.

268 An facta consecratione, sit in Eucharistia aliqua panis, ac vini substantia?

Respondeo, quòd per vim verborum consecrationis, in instanti, panis, ac vini substantia in verum, ac realissimum corpus Christi, ac sanguinem transubstantiatur, & solummodò ibi mirabili modo remanent accidentia, absquè subiecto, vt sunt sapor, color, rotunditas, & c. hoc totum fit in instanti, & non successi-

uè. Primò, quia substantia corporis Christi, ad quam terminantur consecrationis verba, non suscipit magis, & minus. Secundò, quia in hac mirabili conuersione non est aliquod obiectum, quod successiuè preparetur. Tertiò, quia virtute Dei illimitata, ac infinita agitur. Si quis petierit, an illa substantia panis, & vini annihiletur per consecrationem? Respondetur secundùm Diuum Thomam 3. p. q. 75. art. 3. quòd non, quia Deus non est causa tendendi in non esse, vt Diuus inquit Augustinus lib. 83. substantia igitur ipsarum per consecrationem conuertitur in verùm corpus Christi, vt supra testatum est, licet per consecrationem hæc sit falsa: substantia est aliquid, id tamen, in quod substantia panis est conuersa, est aliquid, ideo non est annihilata.

An aqua, & vinum, transeant, vel transubstantientur in verùm 269
sanguinem Iesu Christi?

Respondeo, quòd aliqui affirmant, quòd aqua conuertatur in aquam, vel in humorem aquaticum corporis Christi, & vinū, in sanguinem; nihilominus est nobis contrarium tenendum secundùm veriorem doctrinam, nempè, quòd aqua conuertatur in vinum, & vinum conuertatur in sanguinem Iesu Christi.

Quomodo, tāta panis, ac vini copia potest conuerti in corpus, 270
ac sanguinem Christi, cum materia semper maneat, ac formæ sibi inuicem succedant?

Respondeo secundùm D. Thomam 3. p. q. 75. art. 4. quòd licet nullum agens naturale possit agere, nisi ad immutationem formæ, Deus verò, qui est infinitus, eius actio se extendit ad totam naturam Entis, vt scilicet tota substantia eius conuertatur in totam substantiam illius, & hoc agitur virtute diuina in hoc Sacramento; nam tota substantia panis in totam substantiam corporis Christi conuertitur: vndè hæc conuersio non est formalis, sed substantialis.

Cur post consecrationem remanent accidentia panis, ac 271
vini?

Respondeo per eumdem D. Thomam loco præcitato artic. 5. quòd per Diuinam Prouidentiam hoc rationabiliter fit. Primò, quia horribile est hominibus comedere carnem hominis, atquè sanguinem bibere; ideò proponuntur nobis caro, & sanguis sub speciebus illorum, quæ frequenter cedunt in vsum hominis, puta, panis, ac vini. Secundò, ne hoc Sacramentum ab infidelibus ir-

ride-

rideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. Tertiò, vt dum inuisibiliter eius corpus sumimus, & sanguinem, proficiamus in merito fidei diuinæ.

272 Videtur, quòd non contineatur totus Iesus Christus in hoc Sacramento, quia panis conuertitur in carnem, & vinum in sanguinem, sed in Christo præter hæc, erant ossa, & nerui, ac anima, & diuinitas coniuncta.

Respondeo per supradictum D. Thomam 3. p. q. 76. artic. 1. quòd aliquod est in hoc Sacramento dupliciter: vno modo quasi ex vi Sacramenti; & ita hîc ex virtute verborum est totum corpus, cum dicatur [Hoc est corpus meum, &c. Aliò modo ex naturali concomitantia, & sic, posito corpore, ac sanguine, ibi est anima; & cum Diuinitas assumpserit humanitatem, à qua nunquam separata est, ideò est etiam ibi diuinitas, & cum in corpore contineantur nerui, & ossa, proindè etiam ibi sunt nerui, & ossa.

273 An sub qualibet parte panis, ac vini sit totus Christus?

Respondeo per Diuum Thomam 3. p. q. 77. artic. 3. quòd sic, sicut sub qualibet parte Aeris, est tota natura Aeris, & sub qualibet parte panis, ac vini, est tota natura panis, ac vini, cum natura substantiæ tota sit sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur.

274 An hostia integra existente, sub qualibet eius parte sit totus Christus?

Respondeo per eumdem D. Thom. loco præcit. quòd quidam aiunt, quòd non, sed solum cum frangitur hostia, & dant exemplum de Imagine, quæ apparet in speculo, quæ vna, seu tota apparet in ipso speculo integro: sed fracto, singulæ partes ipsius speculi singulas partes ipsius imaginis diuisim repræsentant; quod quidem non est verum, quia indifferenter, siuè dimensiones sint actu diuisæ, sicut Aer diuiditur, vel panis secatur; siuè etiam sint actu indiuisæ, diuisibiles verò potentia, sub qualibet parte est totus Christus, nec est omninò simile de speculo fracto exemplum, propter diuersas reflexiones ad diuersas partes speculi: at in hoc Sacramento non est, nisi vna consecratio, propter quam Christi corpus est in hoc Sacramentaliter.

Dices, quoniam illæ partes possint in infinitum diuidi, sequitur, quòd infinities esset in hoc Sacramento Christus, quod repugnat & naturæ, & gratiæ.

Re-

Respondeo per D. Thomam, quòd numerus sequitur diuisionē, atque adeò quamdiù quantitas manet indiuisa actu; nec etiam substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus proprijs; nec Corpus Christi sub dimensionibus panis; & per consequens, nec infinities, sed toties, in quot particulas diuiditur.

Si corpus maioris quantitatis non posset contineri sub mensura minoris quantitatis; quomodo Christi corpus Sacratissimum, quod est magnum, contineri potest sub mensura hostię, & cuiuslibet particulæ eius, quæ sunt paruæ? 275

Respondeo per eundem Diuum Thomam, quòd cum accidentia maneant post consecrationem, patet, quòd dimensiones panis, ac vini non conuertantur in dimensiones corporis, & sanguinis Christi, sed substantia in substantiam, & sic tota substantia corporis est in hoc Sacramento ex vi Sacramenti; non autem dimēsiones eius: vndè etiam liquidò constat, quòd corpus Christi in hoc Sacramento est per modum substantiæ, & non per modum quantitatis; quoniam propria totalitas substantiæ continetur indifferenter in parua, ac magna quantitate, sicuti tota aeris natura, in paruo, vel magno aere, ac tota hominis natura in paruo, vel magno homine: vndè & tota substātia corporis Christi, ac sanguinis continetur in hoc Sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota panis, ac vini substantia.

Corpus Ghristi sanctissimum, si totum esset sub qualibet particula; sequeretur, quòd nulla distantia esset inter oculos, ac pedes, sic & de singulis partibus? 276

Respondeo per Diuum Thomam, quòd determinata partium distantia in corpore organico fundatur super quantitatem dimēsiuam; ipsa autem speciei natura præcedit quantitatem dimensiuam, & quia panis substantiæ conuersio directè terminatur ad corpus Christi, seù ipsius substantiam, secundùm cuius modum propriè, & directè est in hoc Sacramento talis substantia partium, est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundùm hanc distantiam comparatur ad hoc Sacramentum, sed secundum modum suæ substantiæ, & comparatur ad hoc Sacramentum, non sub ratione quantitatis dimensiuæ, sed solùm ratione suæ substantiæ; idcircò non oportet, quòd de sua natura,

ra, ipsius sit quantitas positionem habens.

277 An corpus Christi sacratissimum sit in hoc Sacramento, vt in loco?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; quia locus, & locatum oportet, vt sint æqualia ex 4. lib. Physic. sed locus, vbi est hoc Sacramentum, multò est minor, quàm corpus Christi Sanctissimi, & sic non est ibi localiter; nec diffinitiuè, quia sic non esset alibi, neque circumscriptiuè, quia non est secundùm propriam commensurationem quantitatis propriæ.

278 An corpus Christi sacratissimum repleat locum specierum panis, cum non sit vacuus, & substantia panis non sit ibi?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd ille locus non est vacuus, nec propriè est repletus substantia corporis Christi, quæ non est ibi localiter, vt diximus in præcedente dubio; sed est repletus speciebus Sacramentalibus, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculosè, vt miraculosè subsistunt per substantiæ modum.

279 An corpus Christi sit in hoc Sacramento mobiliter?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd impossibile est, idem esse motum, & quietum, quia sic contradictoria simul verificarentur de eodem, sed corpus Christi sanctissimi in cœlo quietum residet; ergo non mobiliter in hoc Sacramento, & Christus ipse in hoc augustissimo Sacramento, non mouetur per se, secundùm locum ad motum huius Sacramenti, sed solùm per accidens, nimirum, quatenus mouentur species Sacramentatæ.

280 An Christus sanctissimus desinat esse, cum desinit esse Sacramentum?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; nisi sicut Deus desinit esse in aliqua creatura corruptibili, per hoc creatura ipsa corruptibilis desinit esse, & quemadmodùm Deus desinit esse creaturæ deficientis Dominus.

281 An quando manducatur hoc Sacramentum, minuatur Christus?

Respondeo per eumdem D. Thomam in speculo de Sacramento Altaris, quòd non: sed sicut Sol non deficit vniuerso mundo suum lumen communicando, sic nec Christus ipse sanctissimus, Ecclesiam suam pascendo. Exemplum esse poterit de candela, in qua millies, ac millies, &c. tantus ignis sumi potest; quan-

quantus in ea est, nec per hoc lumen eius minuitur, sed potius augmentatur, & Christus, quia se comedentes, in se quodammodò conuertit, ac in ipsum (modo cœlesti, ac mirabili in abyssali diuinæ charitatis fonte reperto) mutantur, non minuitur, sed potiùs augmentatur.

An hunc comedendo panem, comedamus purum Deum, vel purum hominem, vel vtrumquè? 282

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non purum Deum; quoniam impossibilis, ac incorporeus est, nec etiam puri hominis carnem comedimus, quæ nil posset perficere, sed quia Deus carnem sibi vniuit, caro eius, ac deificata existit; non quia in Dei naturam transierit, sed secundùm quamdam igniti ferri similitudinem, quod & ferrum manet, & etiam ignis actum ostendit, sic caro Christi ratione vnionis hypostaticæ est vera verbi Dei caro; quandoquidem illam suizauit, hoc est, fecit suam ratione personalitatis suæ diuinæ.

An Sacramentales species corrumpi possint? 283

Respondeo, quòd sic. Sensu enim percipimus hostias consecratas diù conseruatas, putreferi, ac corrumpi.

An illarum specierum corruptio sit miraculosa, vel naturalis? 284

Respondeo, quòd est naturalis (præsupposito quamquam miraculo in consecratione facto; puta, quòd species illæ retineant esse sinè subiecto, quod prius habebant in subiecto) sicuti miraculosè quis illuminatus, naturaliter videt, quandòquidem visio est naturalis oculo, licet quo ad modum recipiendi iterum illam, fuerit supernaturalis, ac miraculosa.

An speciebus Sacramentalibus corruptis, ibi corpus Christi sanctissimum desinat esse? 285

Respondeo, quòd corpus Christi sanctissimum, eiusquè sanguis in hoc Sacramento succedunt substantiæ panis, ac vini. Si ergò talis immutatio fiat ex accidentium parte, quæ non suffecisset ad corruptionem panis, ac vini: propter talem immutationem corpus Christi non desinit esse in hoc Sacramento, siuè immutatio fiat ex parte qualitatis: puta, cum modicum immutatur color, aut sapor panis, & vini; siuè ex parte quantitatis, vt cum diuiditur panis, ac vinum in tales partes, quod adhuc in eis panis, aut vini natura saluari possit. Si verò tanta fiat immutatio, quòd panis, aut vinum corrupta fuissent, corpus, ac sanguis Christi

sanctissimi sub hoc Sacramento non remanet, & hoc tàm ex parte qualitatum, vt cum mutatur color, & sapor, aliæquè panis, & vini qualitates, quod nullo modo natura panis, aut vini compati possit; siuè etiam ex parte quantitatis si puluirizetur panis, vel vinum in tàm minutissimas partes diuideretur, vt iàm panis, vel vini species non remaneant.

286 An ex ipsis speciebus Sacramentalibus aliquid generari possit?

Respondeo, quòd sic; sicut videtur ad sensum; quinimmò vt Peripateticorum princeps lib. 1. de Generatione ait; quòd corruptio vnius, est generatio alterius; & hoc intellige in sensu concomitanti: propterea opus est, vt Sacramentalibus speciebus corruptis, aliquid de nouo generetur, si quidem non omninò disparent, nec in nihilum redigantur, sed manifestum est, quòd aliquid sensibile eis succedat, vt vermis, vel quid simile.

287 Quomodò ex talibus speciebus potest aliquid generari, cum nulla sit ibi materia?

Respondeo, quòd miraculosè datur quantitati dimensiuæ panis, & vini, quòd fiat primùm subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ, ac proindè ex consequēti datur ei omne, quod ad materiam pertinet; idcircò quidquid posset generari ex materia panis, si ibi esset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiua panis, ac vini.

288 Illi vermes, qui in hoc Sacramento inueniuntur, quid de ipsis fieri debet?

Respondeo, quòd si Sacerdos, vel minister alius nauseam non habet, atquè sumere potest, sumere debet, vel comburere, ipsorumquè cineres in sacrario ponantur propter tanti Sacramenti reuerentiam?

289 Quis est huius Sacramenti minister?

Respondeo solus Sacerdos ritè ordinatus; dicitur, ritè ordinatus, quia si quis Sacerdos in sua ordinatione in aliquo de essentialibus deficit, aut ille, quem Episcopum esse credebat, fictus erat Episcopus, vel non fecit actum illum, per quem Sacerdotalis imprimitur character in anima, atquè ordo confertur, nullo modo ipse ordinatus remanet; vt Sacri Doctores, Canonesquè omnes asseuerant.

290 Sacerdos celebrans Missam, quot conditiones seruare debet?

Re-

Respondeo quatuor; his quatuor literis contentis; nempè, A. B. C. D; A, alta voce; B, breuis, nè molestus sit audientibus; C, clara, idest, quòd intelligatur, benè legendo; D, deuota, vt nimirum Sacerdotis deuotione populi missam auscultantes, inflammentur ad contemplandum humiliter hoc augustissimum Sacramentum, quod profectò quotidiè recolitur in memoria passionis Iesu Christi, &c.

In qua hora debentur Missæ celebrari? 291

Respondeo, quòd debentur celebrari secundùm Syluestrum verb. Missæ 1. q.6. post Auroram, exceptis quibusdam diebus, & illis, qui priuilegium habent.

An liceat Sacerdoti extra Missam consecrare, vt in casu aliquo necessitatis, idest, vel ad communicandum infirmum, vel se ipsum mortis periculo repentino imminente, si alia non esset hostia consecrata? 292

Respondeo, quòd licet apud aliquos videri, quòd nimirum fieri possit etiam in fermentato, atquè sine sollemnitatibus secretis, & hoc maximè, quando in mortali esset peccato, nulloquè modò confiteri posset, & hoc, vel quia Sacerdotem non habet, vel quia perdidit loquelam; nihilominus contrarium est nobis tenēdum secundùm veriorem doctrinam, magisquè comunem præcipuè per Vict. n.73. Palud. hic dist.9. & meritò quidem; quoniam sic expræssum habetur in C. comperimus de Consecr. dist. 4. atq; reprobat. Nauar. c.21. n.53. in fine ibi non celebrare, &c.

An Sacerdos possit dare hostiam non consecratam peccatori ad euitandum, nè in peccato mortali hostiam sumat consecratam, & sacrilegè peccet? 293

Respondeo, quòd nullo modo hoc fieri potest, nec debet, aut ex quacunquè causa permitti; quoniam quantum in se est, facit idolatrare illos, qui credentes esse verè hostiam consecratam, adorant illam, tum ipse sumens, tum circumstantes.

An Sacerdos, possit dare partem suæ hostiæ populo? 294

Respondeo, quòd sic; vt videre est principaliter apud D. Thomam 4. sent. dist. 12. q. 2. ar. 2. quæstiuncula 2. quando nimirum aliam non habet hostiam consecratam.

An Sacerdos possit hoc Sacramentum dare illis, qui sunt statim per mortem violentam morituri per ministrum iustitiæ? 295

Respondeo (Sacrorum Doctorum opinionibus relictis) quòd

 posset,

posset, ac deberet dare etiam si non sint ieiuni per duas horas ante ipsorum necem, vel etiam vnam, quoniam tantum temporis sufficit, vt in illis Sacramentales species corrumpantur, ac proindè est hoc Sacramentum talibus vt viaticum, sicuti illis, qui sunt in mortis articulo naturaliter constituti.

296 An Sacerdos hoc Sacramentum debeat præbere pueris?

Respondeo, quòd sic; quando nimirum discernere sciunt inter panem Sacramentalem, & panem quo quotidiè vescimur, atquè desiderium ostendunt hoc sacratissimum Sacramentum sumendi propter maiorem suorum salutem, ac gloriam æternalem.

297 An Sacerdos debeat statim pueros ipsos ad communionem admittere, puta, facta prima confessione, vel secunda, vel quando incipiunt confiteri?

Respondeo, quòd non; nisi vno, vel duobus annis prius incipiant confiteri, vt magis reuerenter, magisquè deuotè adhoc Sacramentum accedant, & sumant.

298 Quid est à Sacerdote faciendum, si in celebratione Missæ hostiam comperit non esse ex farina debita factam, vel esse corruptam?

Respondeo adhoc multipliciter; sicuti multipliciter Sacerdoti occurrere potest. Primò, si Sacerdos dum celebrat missam, ante consecrationem aduertit hostiam esse corruptam, vel non ex farina debita factam; omittat illam, & aliam accipiat, & consecret, incipiendo à consecratione corporis Christi, & missam prosequatur; si autem facta consecratione, atquè hostiæ eleuatione, alia posita eam consecret, incipiendo iterum à verbis consecrationis, & si illam priorem non sumpserit, facta prius corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumptione, illam etiam sumat, vel in sacrario ponat, quousquè materia soluatur; si verò sumpta fuit, sumat nihilominus eam, quam consecrauit, quandoquidem maius præceptum est in Ecclesia sancta Dei de Sacramenti perfectione, quàm quis, vt se communicet, sit ieiunus.

Secundò, si compareat ante consecrationem, hostiam esse fractam, consecret illam Sacerdos, (dummodò immineret euidens scandalum circumstantibus) quoniam in Eucharistiæ Sacramento, vnitas, & figura non sunt de ipsius essentia. Vndè sicut Sacerdos plures potest hostias consecrare, atquè sumere, ita & vnam fractam.

Ter-

Tertiò, si Sacerdos post vini consecrationem ipsam, videret in calice non esse positum vinum, sed aquam tantum, iterum intus calicem ponat, atquè à verbis consecrationis incipiat; si verò aduertit post corporis Christi sumptionem, ac etiam aquæ, afferatur alia hostia, iterum consecranda, ac etiam in calice vinum ponat, vt mos est, & vtrumquè consecret, & sumat in fine, quamuis aliam hostiam consecratam, atquè aquam prius sumpsisset, vt seruetur ordo consecrandi; si verò in calice solum vinum absquè aqua videret, vltra procedere debet, nullam apponendo aquam; quandoquidem ipsa aquæ appositio non est absolutè necessaria huic Sacramento, sed solum ex præcepto S. M. E. vt alibi diximus.

Quartò, si vinum in calice congelatum reperitur priusquam Sacerdos ipsum sumat, elaborare debet, vt illud liquefaciat, & si congelatum sumeret, profectò verum Christi sacratissimum sumeret sanguinem; idem enim est secundùm rem; at non est simile dicendum de aqua congelata, vtpotè ad Baptismum non apta; quoniam aqua sic non dicitur, sed gelu; vinum verò quantumcumquè congelatum sit, semper est vinum, ad hoc Sacramentum certè necessarium.

Quintò, si reperiatur in calice musca, vel aranea, vel venenum; si hoc deprehendatur ante consecrationem vino effuso, ac loto calice, aliud apponendum erit, si verò post consecrationem, & animal intus calicem existens erit non venenosum, & posset, cum sit paruulum absquè nausea sumi, sumatur, aut diligentissimè lauetur, & comburatur, & ablutio cum cineribus in sacrarium mittantur, vel piscinam, vbi ponuntur aquæ, quæ mediatè, vel immediatè species Sacramenti contigerunt; si autem ibi deprehensum sit venenum, nec pro se erit sumendum, nec alijs dandum, nè calix vertatur in mortem, ponendum erit in vase mundo, & inter sacras reliquias, nec comburendum erit, sicuti & hostiæ consecratæ comburuntur; tunc autem nouum vinum erit apponendum intus calicem, ac à Sacerdote consecrandum, incipiendo à verbis consecrationis sanguinis, ac si hostia sumpta fuerit, aut corrupta, alia erit afferenda, vt consecretur cum vino, nè Sacramentum imperfectum remaneat, & casu, quo nullo modo vinum inueniri possit, relictis verbis consecrationis prosequatur Missam.

Sexto,

Sextò, si sanguis sic per terram stillauerit, radetur si super tabulam, ita, vt stet liquoris species, lingua lambatur, ac tabula radetur; si super altare, sorbeat, modo quo potest, Sacerdos stillas; si super linteum Altaris, vel ad aliud stillauerit, lauet Sacerdos per tres vices linteamina, posito subtus calice: aqua iuxta altare reposita, si eam videlicet nollet propter nauseam sumere in potu, & quædam partes linteaminum, vbi ciciderunt stillæ, comburantur, & cineres iuxta altare reponantur, sed hoc non est necessarium, &c.

Sed benè decet, & necessarium est, quòd panis, vel vini species quousquè perseuerant, & sumi non possunt, non comburantur, quoniam in eis est Christus, vndè conseruentur; si corpus inter sacras reliquias. Si sanguis, in panno, vel stupa, in quibus imbibitus est, ac proindè ad siccitatem, vsquè seruentur, & postremò comburantur.

Septimò, si quis propter Ebreitatem, vel voracitatem Eucharistiam euomerit, vomitus erit comburendus, & iuxta altare ponendus, at si in vomitu species Sacramenti remanent incorruptæ, seruandæ sunt reuerenter, ac ea, quæ ipsæ tetigerunt, comburenda; quandoquidem manentibus speciebus, etiã in illis remanet Christi corpus; ac sanguis cum Anima, Corpore, ac Diuinitate vnitis.

Octauò, si minister non benè corpus Christi sacratissimum custodiuit, & mus, vel aliquod aliud animal ipsum comedit; si possibile erit, capiatur mus, vel illud aliud animal interficiatur studiosè, & comedatur, si potest fieri; aliter adhuc inueniantur integræ species Sacramenti in tali animali, erunt (si non possunt sumi) conseruandæ cum ipso, quousquè durabunt, & resolutis speciebus animal illud comburatur, & cinis iuxta altare ponatur.

Notandum est hìc; quòd quando mus, vel aliud animal corpus Christi sacratissimum manducat, minimè manducat illud, Sacramentaliter, si quidem non est aptum vti eo, quod reperitur in speciebus Sacramenti, sed per accidens dicitur corpus Christi manducare, sicut manducare dicitur ille, qui hostiam sumit consecratam, nesciens eam esse consecratam.

Nonò, si Sacerdos sanguinem sumendo, aliqua particula in calice remaneat, digito illam ad calicis labium adducat, nec vinum apponatur ad illam sumendam cum ipso vino; quoniam citius

tius descenderet in ventrem vinum, quàm particula, & sic ipse non sumeret illam particulam, ieiunus. Hinc si contingat particulam aliquam hostiæ Sacerdotis palato adhærere, non est bonum, prius vinum accipere ad remouendum eam, sed debet lingua eam euellere, & deorsum mittere, & deindè sumere vinum: at si sumat ablutionem, elaborare debet, vt auulsam è palato illam particulam simul cum ablutione ad stomachum mittat, quandoquidem hoc sæpissimè communicantibus accidit, ac proindè non est indecens, cum omnia hæc sint, seù faciant vnam moraliter actionem; quamquàm optimum sit sola lingua (vt diximus) illam è palato euellendo ad stomachum mittere: hoc totum relinquitur prudentiæ Sacerdotis.

Vbi aduerte, quòd aliter est sentiendum de particula in corporali comperta, quandò Sacerdos iàm calicem reposuit: talis inquam erit seruanda in crastinum, vel alteri disposito fideli tradenda.

Si Sacerdos recordetur, se non esse ieiunum, vel esse excommunicatũ, vel suspensum, vel interdictum, si denunciatus erit tàm ante consecrationem, quàm post, debet omittere Missam; quoniã de hoc nemò scãdalizabitur, sed potiùs ædificabitur, cum omnes eum nouerint esse excommunicatum, &c. Si verò secretè esset excommunicatus, &c. vel non ieiunus, aut ante, vel post consecrationem; si ante, & sacrum omittere potest, salua fama sua, omittat prosequi Missam; si verò ex hoc læderetur sua fama, de peccato suo doleat ex intimo cordis, & missam prosequatur.

Vndecimò, si moriatur Sacerdos, vel grauiter infirmaretur, ità quòd missam non posset perficere: multa sunt in hoc casu cõsideranda, videlicet, vel ipse post missæ consecrationem deficit, vel ante, vel in consecratione; si post missæ consecrationem deficit, ab alio Sacerdote ipsa missa compleri debet, incipiendo ab indè à quo mortuus, vel infirmus defecit; si verò alius Sacerdos nequeat inueniri, quia nimirum est locus Pagi, vbi non est, nisi vnus Sacerdos ipse mortuus, vel infirmus, Diaconus non potest terminare missam, sed reuerenter hostiam consecratam in custodia, vel corporali vsquè ad sequentem diem seruare debet, in quo forsan noua incipietur missa ab alio Sacerdote. At si talis Diaconus non inueniretur ibi, alius de Pago illo magis dignus hoc totum reuerentissimè adimpleat. Si verò ante consecrationem, præter-

termittatur missa, & non prosequatur; quoniam absolutè, & simpliciter necessarium non est, vt alius suppleat, sicuti consecratione facta, at si suppleri voluerit in hoc casu, posset dupliciter. Primò, incipiendo à principio Missam, quoniam iàm dicta, fuerunt dicta ad populi instructionem, quia parum refert, bis repetere, vel minus. Si autem Canonem incępit, ne adstantes iudicent in apprętiationem Canonis, incipiat à quo defecerat; atquè si ignoratur in particulari à principio Canonis.

Si verò in consecratione defecit, ita vt omnia verba protulerit minimè, profectò omnia consecrationis verba sunt repetenda ab alio Sacerdote; quoniam opus est, vt vnus omnia verba proferat; aliter si vnus aliqua, alius alia diceret, ipsorum verba nullum conficerent Sacramentum; si quidem in Sacramentis vnus, debet facere totum, qui certè facit, ac ministrat in persona Christi, qui est vnus.

Verùm est, quòd aliqui Sacri DD. volunt, esse seruandam hostiam illam, & aliam esse apponendam ad consecrandam, incipiendo ab illis verbis: [Qui pridiè, quam pateretur, &c.] & post sumptionem secundæ hostiæ ab ipso Sacerdote consecratæ, etiam debere sumere illam priorem; si autem in hostiæ consecratione deficit, & non sanguinis, dicunt isti, Sacerdotem debere incipere à verbis antecedentibus consecrationem sanguinis, atquè in fine vtrumquè sumere.

Si in prolatione formæ sanguinis deficit, tota erit ipsa forma repetenda; si verò deficit consecratione facta, alius minister non impeditus suppleat.

Duodecimò, si defectus post Missam reperiatur, non erit necessarium ipsam reincipere missam; quoniam missa intelligitur iàm determinata.

299 Si Sacerdos in mortali celebrat peccato, quot peccata mortalia committit?

Respondeo duo; vnum in quantum facit actum, ad quem peculiariter est ordinatus, alium verò in quantum sacratissimum corpus Christi in mortali recipit peccato, & si alium communicat, etiam peccat mortaliter, & hoc, vel quia ipse ad gratiam, & charitatem concurrit, sicuti quando baptizat, vel absoluit, vel quia authorem gratiæ, & charitatis in mortali peccato alteri porrigit, nisi tamen extrema immineret necessitas, vt videre est apud

apud Innocentium III. quoniam in extrema necessitate quilibet Sacerdos, potest communicare in mortali peccato existens, modò sit peccatum occultum, & ab Ecclesia toleratum, non autem contra; in quo casu etiam accipiens peccaret mortaliter; vt ait S. Doctor 3.p.q.82.art.10.

Missæ per bonum, ac per malum ministrum celebratæ, ipsarum qualis gratior, exaudibilior, & facienti magis meritoria sit? 300

Respondeo triplici modo. Primus, ex parte Ecclesiæ. Secundus, ex parte sacrificij. Tertius, ex parte ministri, seù deuotione celebrantis; quò ad primum, omnes orationes, quæ in nomine Ecclesiæ dicuntur, semper sunt eiusdem meriti, ac fructus, tàm per bonos, quàm per malos ministros recitatæ, ac dictæ fuerint, & hoc non quia sunt peccatorum opera, peccatoribusquè applicantur, sed quia sunt Sanctæ M. Ecclesiæ ministri, cuius vicem gerunt; quò ad secundum, idest quatenus Sacramentorum effectus, non nomine Ecclesiæ, vel eius ministri impetratur, sed ex merito Passionis Christi, & media forma Sacramenti, quantum ad hoc Sacramentorum effectus, non datur melior, vel peior, maior, vel minor, sed semper est idem; quò ad tertium ministri bonitas, ac sanctitas multum pœnitenti prodest; quoniam potest prodesse tale Sacramentum, vt pœnitens Sacramentum illud recipiens à tali bono ministro, benè vtatur gratia, & charitate Dei per Sacramentum obtenta, ac etiam vt perseuerat in iustitia, & vitæ sanctitate.

Quid est pœnitenti meliùs, ob filialem amorem adhoc Sacramentum accedere, an propter timorem, & amorem reuerentialem abstineri ab eo? 301

Respondeo, quòd est melius, ob filialem amorem accedere; quoniam magis videtur per Sacros Doctores, Zachei actus meritorius apud Deum, qui ob filialem amorem ipsum Dominum Iesum Christum, in suam excepit Domum, quando ei dixit Zachee festinans, descende, &c. quàm Centurionis actus, qui timore reuerentiaq; ipsum recipere recusabat, dicens. [Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, &c. verum nihilominus est, quòd vtriquè actus sunt in facientibus heroici, vt cuilibet Euangelij verba legenti, patebit.

Quid melius est pœnitenti, communicare se in die dominico, An in die feriato? 302

Reſpondeo, quòd melius eſt in die dominico; attamen eſſe poteſt, vt interdum, quis habeat maiorem deuotionem in die feriato, quàm in die dominico.

303 An cibus, vel potus præaſſumptus, impediat communicationem?

Reſpondeo quòd quamuis Chriſtus in vltima cœna ſua ſuos comunicauit diſcipulos poſt eſum agni, nihilominus hodiè non poteſt quis fidelis ex præcepto S. M. Eccleſiæ poſt mediam noctem cibum, potumuè ſumens tàm magnum, quàm paruum, comunicari, tùm propter tanti Sacramenti honorem, & reuerentiam, quàm propter ſignificationem, vt detur intelligi, quòd Chriſtus, qui charitas eſt, & cibus ſpiritualis, prius debet in cordibus noſtris fundari; tum etiam propter periculum vomitus: excipiuntur tamen infirmi, qui poſt cibum, & potũ, poſſunt comunicari, ne ſine comunione decedant, quia neceſſitas, non habet legem: vndè dicitur de Conſecr. diſt. 2. Presbiter ſtatim infirmum comunicet, nè ſine comunione moriatur.

304 An reliquiæ remanentes in ore, ſi tranſglutiantur, impediant ſumptionem Sacramenti?

Reſpondeo, quòd non; quia non trahuntur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ.

305 An quando os abluitur aqua, vel vino, & aliquid tranſglutitur, impediat comunicare?

Reſpondeo, quòd tales reliquiæ, dummodò non traijciantur in magna quantitate, ſed per mixtæ cum ſaliua, quæ vitari non poſſunt, non impediunt.

306 An poſt cibum ſumptum, antè mediam noctem oporteat dormire, antequam quis comunicet ſe?

Reſpondeo, quò ad præceptum S. M. Eccleſiæ non refert. Vtrum dormiat, vel non, & an cibus ſit digeſtus, vel nè; ſed refert quantum ad perturbationem mentis, quàm patiuntur homines propter ſomnolentiam, vel indigeſtionem; ex quibus ſi mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad huius tanti Sacramenti ſumptionem.

307 Quantum debet ſtare communicatus, ieiunus, poſt ſumptionem Corporis Chriſti?

Reſpondeo, pro vt habetur de Confeſſ. diſt. 2. ſi mane dominica portio editur, vſquè ad ſextam ieiunat, qui iàm ſumpſerit, & ſi

ter-

tertia, vel quarta acceperit, ieiunet vsq; ad vesperum, quod tamen per contrariam consuetudinem, abrogatum est; debet attamen esse aliqua mora, inter sumptionem huius Sacramenti, ac reliquos cibos: vndè & in Missa oratio gratiarum actionis, post communionem dicitur, vt comunicantes etiam suas dicant orationes priuatas.

Quot modis hoc Sacramentum sumitur? 308

Respondeo quatuor modis, nam quidam hoc sumunt materialiter, vt sunt infideles non credentes in hoc Sacramento esse corpus Domini nostri Iesu Christi cum anima, & diuinitate: quidam Sacramentaliter, vt fideles in mortali existentes peccato. Quidam spiritualiter, idest, qui voto, ac bona voluntate hunc panem cœlestem viua fide edentes, quæ per dilectionem operatur, eius fructum, ac vtilitatem huiusmodi sentiunt: quidam hoc Sacramentum sumunt Sacramentaliter, & spiritualiter simul, & hi sunt illi, qui prius purgata ipsorum conscientia, ad hoc sacrosanctum Sacramentum sumendum accedunt.

Quæ impediunt in perceptione huius Sacramenti? 309

Respondeo peccatum mortale, pollutio nocturna, quam quis præcepit, & causauit hac via peccatum mortale: non ieiunus, ita quòd à media nocte, vel circa illam; nullum cibum, nullumquè potum sumpserit, nec magnum, nec paruum, vt alibi diximus. Actualis defectus rationis, vel dispositionis; in articulo verò mortis, tales sunt comunicandi, modò non sit illis periculum vomitus, vel quid simile.

Quæ præparatio requiritur ad dignè hoc Sacramentum sumendum? 310

Respondeo ex Sacro Conc. Trid. sess. 13. c. 7. sic habetur, Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem, esse necessariam, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absquè præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit, celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modò non desit illis copia confessoris: quòd si, necessitate vrgente, Sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quàm primum confiteatur: hæc Concilium.

Et sicuti dictum est de Sacerdote, ita dicendum est hic de qua-

licunquè Christiano; quando videlicet omninò non posset communionem euitare, absquè grauissimo damno vitæ, famæ, honoris, &c. vt quando quædam mulier à suo Parocho ad peccandum sollicitatur, atquè ad alium non posset se præsentare Sacerdotem ad confitendum, ac sibi communionis præceptum currit, vt in Paschate, quod omninò haud posset euitare periculum famæ, honoris, &c. in hoc casu posset se communicare, & alium expectare Sacerdotem ad confitendum sua peccata, ipsam ad peccandum minimè sollicitantem; quandoquidem præceptum Confessionis, ante Eucharistiæ sumptionem, diuinum est, atquè etiam humanum; sed præceptum de famæ, vitæ, & honoris conseruatione, diuinum est, ac naturale, quod profectò excellit præcepto diuino, & humano præcepto.

311 Quot effectus sunt huius Sacramenti?

Respondeo, quàmplurimos esse Augustissimi huius Sacramẽti effectus, & primus est panis, ac vini conuersio in corpus, & sanguinem Iesu Christi. Secundus est, animæ coniunctio ad Christũ, peccatorumq; mortalium oblitorum remissio; si tamen in confitendo debita diligentia fuerit adhibita. Tertius, peccatorum venialium remissio. Quartus, pro vt Sacramentum satisfactorium est, pœnas, & cruciatus peccatorum remittit, atquè prodest nè dum sumentibus, verum etiam ijs, pro quibus offertur, dummodò in gratia, & charitate Dei sint; tàm pro viuis, quàm pro defunctis, & plus illis qui in maiori gradu gratiæ, ac Dei charitatis sunt propinquiores.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

312 QVid est Extrema Vnctio?

Respondeo, quòd est Sacramentum, quo presbyter vngit oleo consecrato, certas corporis partes infirmi, probabiliter morientis, certa verborum forma, cum debita intentione proferendo.

313 Quotuplex est Vnctio?

Respondeo duplex, nempè, exterior, & interior; exterior, est materialis, & visibilis interior verò est spiritualis, atquè inuisibilis; exterior, visibilis in corpore; interior, inuisibilis in anima: de prima ait D. Iacobus cap. 5. si aliquis ex vobis infirmatur, vocet pres-

presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini; de secunda ait D. Ioannes Apoc. cap. 2. vnctio, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.

A quo, & quando fuit institutum hoc Sacramentum? 314

Respondeo, quòd fuit institutum à Christo, sicut & alia Sacramenta, quando suos discipulos misit ad prædicandũ regnum Dei, atquè infirmos sanandum, vt Lucæ c. 9. patet, & Iacobi loco precitato, præcipuè fuit manifestatum.

Quæ est huius Sacramenti materia? 315

Respondeo esse oleum oliuæ ab Episcopo consecratum; nam hæc potestas consecrandi oleum ad Episcopum spectat, sicut & chrisma: verum tamen, quod multi Sacri DD. præcipuè Angelus de Extrem. Vnctione, volunt, quòd simplex Sacerdos, possit illud benedicere, & consecrare, si Summus Pontifex, iubet ipsum Sacerdotem benedicere, & consecrare, vt idem dictum est de Chrismate in Sacramento Confirmationis.

An sufficiat, vt oleum huius Sacramenti sit amygdalarum, li- 316
ni, nucis, vel similium?

Respondeo, quòd non; sed debet esse oleum simplex oliuarum, nec potest fieri in oleo rosarum, vel aliorum florum, si taliter fuerit condensatum, ac simplicis olei omiserit materiam idoneam ad actuale Sacramentum: pariter non sufficit tale oleum; secus verò dicendum, si non fuerit sic immutatum.

An de Essentia huius Sacramenti sit, vt oleum sit consecra- 317
tum?

Respondeo, quòd aliqui affirmant, quòd oleum consecratum in hoc Sacramento est solum de necessitate præcepti Ecclesiæ, vt ex prædictis D. Iacobi verbis patet; dicentes. Si aliquis ex vobis infirmatur vocet presbyteros Ecclesiæ, vngentes oleo, sinè additione, de consecrato, vel non consecrato; nihilominus contrarium est tenendum secundum veriorem doctrinam specialiter per Trid. sess. 14. c. 1. nempè, quòd tale oleum oporteat, vt sit omninò consecratum, vt in Confirmatione Chrisma: quæ ratio ibi habetur.

Quæ est huius Sacramenti forma. 318

Respondeo esse hanc. Per istam Sanctam Vnctionem, & pijssimam suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum, &c.

Si

319 Si quis Sacerdos hanc formam mutaret: an conficeret Sacramentum?

Respondeo, quòd si propter illa verba, quæ dicit, non mutatur sensus deprecatiuus, in indicatiuum: vtiquè Sacramentum conficeret, quamquam sic faciendo, peccaret mortaliter; quandoquidem S. M. Ecclesiæ ritum non obseruat. Est quidem Sacramentum sic infirmum perungendo, quia hæc Extremæ Vnctionis forma, non est à Christo data, sicuti in Baptismo, ac Pœnitentia, sed à S. M. E. quòd si à Christo data fuisset, non solum ipse Sacerdos non poterat talem formam variare, ac Sacramentum conficere, verum etiam ipsa Sancta M. Ecclesia; quoniam ea, quæ de Iure diuino sunt instituta non potest ipsa S. M. E. mutare, ac diminuire, sed tantum declarare, ita esse intelligendum hoc, & hoc.

320 Si Sacerdos, non deprecatiuo modo, formam Extremæ Vnctionis pronunciaret, sed auctoritatiuo, idest non dicendo. Per istam Sanctam Vnctionem, &c. sed vngo, hos oculos, has aures, &c. an conficeret Sacramentum?

Respondeo, quòd aliqui affirmant, sed melius est oppositum tenere secundum cōmuniorem, ac veriorē doctrinam, præsertim D. Thomæ in Add. q.29. art.8. quandoquidem hoc Sacramentum infirmorum est, qui infirmi, aliorum indigent deprecatione: vt ex verbis D. Iacobi patet. Orent pro eo; at indicare, non est orare, vt patet.

321 An infirmitas in hoc Sacramento, sit de ipsius essentia?

Respondeo, quòd sic, specialiter per Sotum 4. sent. dist. 24. art. 2. concl. 1. & non sufficit quæcunquè infirmitas, sed illa, quæ reputabitur ad mortem; quoniam hoc Sacramentum debet dari probabiliter periclitantibus, & non è contra.

322 Quare in hoc Sacramento talis requiritur infirmitas, ad mortem probabiliter tendens?

Respondeo, quoniam sanis, vel leuiter infirmis, alia sunt conferenda Sacramenta, ac præcisè Pœnitentia danda petentibus.

323 Quibus est hoc Sacramentum conferendum?

Respondeo, quòd hoc Sacramentum dari non debet, nisi Adultis, & infirmis in articulo mortis constitutis: modo articulus mortis sit ex naturali infirmitate euentus non autem ex casu infortunij etiam futuri, & sic non datur mox occidendis, vel ad

bellum

bellum pergentibus, aut aliquod exercitium facientibus, ex quo euidenter mortis periculum immineret; licet detur ijs, qui pro senectute deficere solent absquè actuali infirmitate, imò phreneticis, ac amentibus, si ante petierint, aliàs non, maximè quandò creditur, quòd irreuerentiam huic Sacramento exhibeant, etiam si petierint, vel petant. Debet etiam illis dari, qui ex infirmitate vsum rationis amiserunt, quamuis actualiter non petant, dummodò sint tales personæ, de quibus constat, quòd benè vixerint, ac si tunc haberent vsum rationis certè peterent Extremā Vnctionem. Debet etiam dari illis, de quibus dubitatur. An sint mortui, tamen sub condictione: puta, si tu non es mortuus. [Per istam sanctam Vnctionem, indulgeat tibi Deus, &c. si verò ante vnctionem peractam, moritur, non vlterius procedendum. Potest etiam iterum in eadem dari infirmitate, si infirmus sit in mortis articulo, & post modum releuaretur, ac per aliquos dies iterum sit in mortis articulo constitutus, iterum vngi potest, maximè autem, quando infirmitas est diuturna, vt paralysis, ac febris hectica, &c.

Sciendum tamen est ministro, quòd non intendat per vltimam Vnctionem Sacramentum conficere, sed in prima; sicut in Baptismo, non per trinas aquæ immersiones, baptizare; quoniam in his duobus Sacramentis, prima actio habetur pro vltima modò sic intendat minister, aliàs enim esset oppositum.

Quare hoc Sacramentum datur Adultis, & non pueris? 324

Respondeo, quòd non datur pueris; quoniam ipsi non habent spiritualem infirmitatem constructam ex peccato mortali, nec etiam perfectissimam dispositionem, quam deberent habere in hoc Sacramento, cum sint rationis expertes.

In quibus partibus corporis vngendus est infirmus? 325

Respondeo: primo, in oculis: secundo, in auribus: tertio, in naribus: quartò, in ore: quintò, in manibus: sextò, in pedibus: septimò, in renibus: vnguntur tales corporis partes, quoniam ipsi sunt principaliores partes ad peccatum vergentes. Præterea est notandum, quòd pedes, aut renes vngere, non est necessarium. Certò renes in infirmis sunt omittendi; nec manuum vnctio quibusdam videtur necessaria; saltem quò ad validitatem videtur sufficere vnam manum, vnum oculum vngere, itidemquè de reliquis membris ad hanc vnctionem destinatis: sequendus est tamen

319 Si quis Sacerdos hanc formam mutaret: an conficeret Sacramentum?

Respondeo, quòd si propter illa verba, quæ dicit, non mutatur sensus deprecatiuus, in indicatiuum: vtiquè Sacramentum conficeret, quamquam sic faciendo, peccaret mortaliter; quandoquidem S. M. Ecclesiæ ritum non obseruat. Est quidem Sacramentum sic infirmum perungendo, quia hæc Extremæ Vnctionis forma, non est à Christo data, sicuti in Baptismo, ac Pœnitentia, sed à S. M. E. quòd si à Christo data fuisset, non solum ipse Sacerdos non poterat talem formam variare, ac Sacramentum conficere, verum etiam ipsa Sancta M. Ecclesia; quoniam ea, quæ de Iure diuino sunt instituta non potest ipsa S. M. E. mutare, ac diminuire, sed tantum declarare, ita esse intelligendum hoc, & hoc.

320 Si Sacerdos, non deprecatiuo modo, formam Extremæ Vnctionis pronunciaret, sed auctoritatiuo, idest non dicendo. Per istam Sanctam Vnctionem, &c. sed vngo, hos oculos, has aures, &c. an conficeret Sacramentum?

Respondeo, quòd aliqui affirmant, sed melius est oppositum tenere secundum cõmuniorem, ac veriorẽ doctrinam, præsertim D. Thomæ in Add. q. 29. art. 8. quandoquidem hoc Sacramentum infirmorum est, qui infirmi, aliorum indigent deprecatione: vt ex verbis D. Iacobi patet. Orent pro eo; at indicare, non est orare, vt patet.

321 An infirmitas in hoc Sacramento, sit de ipsius essentia?

Respondeo, quòd sic, specialiter per Sotum 4. sent. dist. 24. art. 2. concl. 1. & non sufficit quæcunquè infirmitas, sed illa, quæ reputabitur ad mortem; quoniam hoc Sacramentum debet dari probabiliter periclitantibus, & non è contra.

322 Quare in hoc Sacramento talis requiritur infirmitas, ad mortem probabiliter tendens?

Respondeo, quoniam sanis, vel leuiter infirmis, alia sunt conferenda Sacramenta, ac præcisè Pœnitentia danda petentibus.

323 Quibus est hoc Sacramentum conferendum?

Respondeo, quòd hoc Sacramentum dari non debet, nisi Adultis, & infirmis in articulo mortis constitutis: modo articulus mortis sit ex naturali infirmitate euentus· non autem ex casu infortunij etiam futuri, & sic non datur mox occidendis, vel ad

bellum

bellum pergentibus, aut aliquod exercitium facientibus, ex quo euidenter mortis periculum immineret; licet detur ijs, qui pro senectute deficere solent absquè actuali infirmitate, imò phreneticis, ac amentibus, si ante petierint, aliàs non, maximè quandò creditur, quòd irreuerentiam huic Sacramento exhibeant, etiam si petierint, vel petant. Debet etiam illis dari, qui ex infirmitate vsum rationis amiserunt, quamuis actualiter non petant, dummodò sint tales personæ, de quibus constat, quòd benè vixerint, ac si tunc haberent vsum rationis certè peterent Extremã Vnctionem. Debet etiam dari illis, de quibus dubitatur. An sint mortui, tamen sub condictione: puta, si tu non es mortuus. [Per istam sanctam Vnctionem, indulgeat tibi Deus, &c. si verò ante vnctionem peractam, moritur, non vlterius procedendum. Potest etiam iterum in eadem dari infirmitate, si infirmus sit in mortis articulo, & post modum releuaretur, ac per aliquos dies iterum sit in mortis articulo constitutus, iterum vngi potest, maximè autem, quando infirmitas est diuturna, vt paralysis, ac febris hectica, &c.

Sciendum tamen est ministro, quòd non intendat per vltimam Vnctionem Sacramentum conficere, sed in prima; sicut in Baptismo, non per trinas aquæ immersiones, baptizare; quoniam in his duobus Sacramentis, prima actio habetur pro vltima modò sic intendat minister, aliàs enim esset oppositum.

Quare hoc Sacramentum datur Adultis, & non pueris? 324

Respondeo, quòd non datur pueris; quoniam ipsi non habent spiritualem infirmitatem constructam ex peccato mortali, nec etiam perfectissimam dispositionem, quam deberent habere in hoc Sacramento, cum sint rationis expertes.

In quibus partibus corporis vngendus est infirmus? 325

Respondeo: primo, in oculis: secundo, in auribus: tertio, in naribus: quartò, in ore: quintò, in manibus: sextò, in pedibus: septimò, in renibus: vnguntur tales corporis partes, quoniam ipsi sunt principaliores partes ad peccatum vergentes. Præterea est notandum, quòd pedes, aut renes vngere, non est necessarium. Certò renes in infirmis sunt omittendi; nec manuum vnctio quibusdam videtur necessaria; saltem quò ad validitatem videtur sufficere vnam manum, vnum oculum vngere, itidemquè de reliquis membris ad hanc vnctionem destinatis: sequendus est tamen

men à ministro vsus receptus in Ciuitate. Notandum insuper est, quòd Sacerdotes non sunt in palma manus vngendi, sed in superiori parte; Mutulati verò in partibus proximis; at cœci in oculorum partibus vicinis sunt vngendi, ob concupiscentiam, & ad singulas vnctiones, stupa noua est adhibenda, & postea comburenda in loco deputato.

326 Quis est huius Sacramenti minister?

Respondeo, quòd solus Parochus; quoniam hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, quantæ est Baptismus, ac Pœnitentia. Vndè si quis infirmus ipsum habere non potest; sufficit ei bona voluntas habendi.

Alius verò simplex Sacerdos administrare possit ex proprij Parochi licentia, vel sub spe rati habitionis; quoniam Nauarrus in c. 9. n. 6. inquit, quòd consensus tacitus superioris tacentis, atquè consentientis dat iurisdictionem. Si verò non proprij Parochi faceret licentia, vel sub spe rati habitionis tenet vtiquè Sacramentum; quoniam non requiritur proprius Parochus de essentia Sacramenti; quoniam essentiale Sacramenti est, vt minister sit Sacerdos, quamquam talis mortaliter peccaret, non autem in excommunicationem incurreret, vel in censurã aliquam incurreret in tali casu religiosus ille, qui in aliqua approbata Religione professus est, si prius faceret, quàm à Parocho expressam obtinuerit licentiam, vt principaliter est videre in Clem. 1. de Priuilegijs.

Verùm est, quod multi volunt (maximè Archidiac. & Ioan. in c. si presbyter 26. q. 6. Innoc. atquè Hostiensis in c. omnis de Pœnitentia, & remissione. Decretorum lib. 1. tit. 15. quos refert, & sequitur Angelus verb. Excommunicatio casu 12. n. 3. Caetanus verb. Excommunicatio c. 64. Armill. eodem verbo casu 49.) quòd non solum in excomunicationem non incurreret talis Sacerdos claustralis, vel censuram aliam, hoc præbendo Sacramentum, parocho absente, verum etiam quòd ipsum teneretur ministrare necessitate vrgente, vt quando talis religiosus certò sciret talem Parochum omninò consentire, atquè ei placere, vel sub spe rati habitionis, sicuti per regulam Nauarri de sęculari Sacerdote, vel quando infirmus omninò non potest confiteri, & communicari quandoquidem diximus supra (cum egimus de Sacramentis in comuni) quòd non solum Baptismus, ac Pœnitentia faciunt hominem ex attrito, contritum; verum etiam omnia

nia

nia alia Sacramenta, talem habent effectum, quoniam dum ipsa gratiam, & charitatem non conferunt ex opere operantis, vt conferre solebant Sacramenta veteris legis, sed ex opere operato à Christo; propterea non est maior ratio, & vis in vno, quàm in alio Sacramento, vt ibidem diximus; igitur si per talem rationem, ac doctrinam, omnia Sacramenta nouæ legis, talem habent effectũ, nimirum hominem de attrito faciendi contritum, esse potest, quòd aliquis infirmus sit propè mortem, de suis peccatis attritus, non posset confiteri, & communicari omninò se, propter talem confessionem, & communionem contritum facientem, & in hoc casu, talis infirmus, damnaretur. At si applicaretur Sacramentum Extremæ Vnctionis ipsum infirmum de attrito, contritum facientem, certè non damnaretur ratione gratiæ, & charitatis Dei ab ipso Sacramento collatæ tali infirmo, sicut & cætera facere solent Sacramenta, licet diuersimodè, & hanc puto esse principaliorem rationem prædictorum Doctorum, quòd nimirum religiosus in necessitatis casu, hoc deberet infirmo præbere Sacramentum, absque eo, quòd excommunicationem incurrat, ac peccatum mortale.

Sunt autem hic duo breuiter adnotanda. Primò, quòd si Sacerdos, non possit progredi, vt perficiat ministerium suum circa infirmum, sunt complenda per alium ministrum, quæ restarent, vt videre est apud Sot. lect. 1. ex comuni.

Secundò, quòd per Toletum c. 2. de Extrema Vnctione: potest presbyter vnus, vnam vngere partem, & alius, aliam in casu necessitatis eodem tempore, quod quidem in hoc Sacramento, singulare est, imò sufficit Sacerdos sinè ministro, vt principaliter est videre in c. 14. de verb. signif.

Qualis est huius Sacramenti effectus? 327

Respondeo (ex Trid. sess. 14. c. 2. de Extrem. Vnct. atquè innuit can. 2.) quòd tollit omnia, & singula peccata, quæ adhuc expianda sunt: reliquias peccatorum abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, etiam morbi incommoda, & labores leuius, ac hilari suffert animo, atquè Diaboli rugientis, ac calcaneo insidiantis tentationibus facilius resistit. Sanctitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequimur.

R Quo-

328 Quomodò habendus est minister, cum infirmis?

Respondeo primò, danda sunt ipsis infirmis Sacramenta, quæ petierint, & vltimò Extrema Vnctio. Secundò, commendatio animæ illos exhortando, quòd debeant in fide Christi, vsquè ad finem perseuerare, vt salui fiant, ac etiam illi dicat, vt memorentur Passionis Christi nostri Redemptoris, & ne desperent salutem, licet peccata sint innumera; quoniam Dominus benignissimus, ac misericors est infinitè, incomparabiliter superans malitiam hominum, suadeant etiam infirmos, vt si liberati fuerint ab infirmitate, meliorem velint ducere in spiritu vitam: procurent, vt tales faciant suas protestationes, ac fidem Catholicam teneant, atquè in tali fidelissime velint mori, si oportet, vt etiam pro tali sancta fide vitam perdant, velint millies, atquè millies pro Christi fide fœlicissimè mori; quandoquidem talem professionem fidei Christiani facere solent in Baptismo, & Confirmatione, &c.

329 Quibus est Ecclesiastica sepultura deneganda.

Respondeo primò, morientibus sinè Baptismo. Secundò, in torneamentis, vbi euidenter erat mortis periculum. Tertiò non confessis, & communicatis semel in anno, nisi de Parochi, vel Prelati licentia, seù consilio, tales mortui non confessi, & communicati, adstricti fuissent, vt abstineant pro meliori salute animæ suæ. Quartò, Monachis omnibus ferè religiosis, sub paupertatis voto viuentibus, proprietarijs inuentis. Quintò, Blasphemantibus Deum; Sextò, peccatoribus notorijs, in morte signa contritionis non ostendentibus. Septimò, Raptoribus mulierum, non restituentibus. Octauò, nominatim interdictis. Nonò, quibus fuit Ecclesiæ ingressus interdictus. Decimò, vsurarijs manifestis, non restituentibus, vel cautionem restituendi non prestantibus. Vndecimò, hæreticis omnibus excommunicatis maiore excommunicatione innodatis.

Sciendum, secundùm Sacræ Congregationis terminationem, quòd vt quis publicus peccator, Ecclesiastica careat sepultura, nō requiritur, vt tota dicat Ciuitas, vel ipsius maior pars, sed tantum sufficiunt decem dicentes, quòd talis in mortali peccato fuerit mortuus.

330 Quid debet seruari in sepeliendo mortuum?

Respondeo secundum D. August. in Ioannem, quòd mos cuiuslibet gentis seruandus est.

Quid

Quid prodeſt ſepultura defuncto? 331

Reſpondeo ſecundum Diuum Thomam in 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 3. quæſtiuncula 1. quòd ſecundùm quàm in memoria hominum remanet; tum quia in confuſione mortui reputetur, quòd inſepultus iaceat, ſicquè fætor, ac horror ſit viuis; tum quia aliqui ad orandum pro eo, excitantur.

An locus ſacer proſit defuncto? 332

Reſpondeo per eumdem D. Thomam loco præcitato, quòd ſic, tàm patrocinio alicuius ſancti, cui corpus ſepeliendum, quis moriens commiſit, quàm patrocinio eorum, qui loco ſacro deſeruiunt.

An ſollemnitates ſepulturæ, proſint defunctis? 333

Reſpondeo per eumdem D. Thomam, quòd ſic, ſed per accidens, in quantum per huiuſmodi ſollemnitates, excitantur homines ad orandum pro defuncto, vel in quantum ex ſumptibus ſepulturæ, vel pauperes fructum percipiunt, vel Eccleſia decoratur.

An in loco ſacro ſepultura noceat damnato? 334

Reſpondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; niſi quatenus hanc ſepulturam ſibi indignam propter humanam, ac inanem gloriam procurauerit.

De Sacramento Ordinis.

QVid eſt Ordo, & quando fuit inſtitutus? 335

Reſpondeo, quòd Ordo eſt Sanctæ Matris Eccleſiæ ſignaculum quoddam exterius, per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, qui à Chriſto fuit inſtitutus in vltima Cœna; quando ſuos ordinauit diſcipulos, tradens eis poteſtatem conſecrandi.

An Ordo, ſit Sacramentum? 336

Reſpondeo, quòd ſic; eſt enim hominis ſatisfactio per aliquod exterius ſenſibile ſignum.

Quæ eſt huius Sacramenti materia? 337

Reſpondeo, quòd eſt inſtrumentum, quod tangendo porrigit Epiſcopus ordinando.

Quæ eſt huius Sacramenti forma? 338

Reſpondeo, quòd ſunt verba, quæ Epiſcopus profert porrigen-

do instrumentum, quam formam habet Episcopus ipse, conuenienter exprimere, quoniam exprimitur Ordinis vsus per actus, & traditur potestas per impressiuum modum, & vsus est causa finalis.

339 Quis est huius Sacramenti minister?

Respondeo, quòd est solus Episcopus, sicuti olim erant Apostoli: prætereà ordinati per manus Summi Pontificis in Subdiaconatos, vel Diaconatos; non possunt postea ab Episcopo ordinari, nisi licentiam expressam, vel tacitam habeant ab ipso Summo Pontifice, sicut deberent habere Sacerdotes, volentes celebrare in altari, in quo Summus celebrauit Pontifex. Et hoc propter tantam dignitatem in ipso Summo Pontifice existentem. Imò sciendum est, quòd multi Sacri Doctores volunt, quòd Summus Pontifex, possit ex sua plenaria potestate, simplici committere Sacerdoti alios ordinare, sicut etiam posset committere, alios chrismare (vt in Sacramento Confirmationis dictum est) ordine eleuato Sacerdotali, quoniam par in parem, non habet imperium.

340 Qualis est huius Sacramenti effectus?

Respondeo est augmentum gratiæ, & charitatis ad dignè ordinem susceptum administrandum; Spiritus Sanctus, & character indelebiliter in anima existens.

341 Quot sunt Ordines?

Respondeo, Doctorum relictis opinionibus, quòd sunt septem tantùm: nempè quatuor minores, vt Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus; tres verò maiores, vt Subdiaconatus, Diaconatus, ac Præsbyteratus.

342 An omnes isti ordines, sint de Iure diuino instituti; & an in quolibet ipsorum character imprimatur in anima?

Respondeo, quòd multæ sunt, super hoc, Doctorum opiniones; nihilominus hic breuiter est nobis dicendum, quod duæ sunt principales opiniones. Prima enim affirmat, quòd tantùm Sacerdotalis ordo de Iure diuino institutus sit, ac in anima characterem imprimat; Alij verò ordines à Sancta Matre Ecclesia sunt, nullum in anima characterem imprimentes; ait enim hæc opinio, quòd S. M. E. tantam potestatem non habet ordinem custodire sacrum cum potestate, ac imprimere in anima characterem indelebilem: si quidem hanc potestatem, solummodò Christus habet.

Secun-

Secunda verò opinio magis communis affirmat, omnes ordines esse de Iure diuino institutos, ac proinde indelebiliter imprimere characterem in anima. Primò, quia non videtur aliquis Summus Pontifex, tales constituisse ordines. Secundò, quia ipsi etiam à principio videntur esse in Ecclesia sancta Dei, sicut & ordo Sacerdotalis, vt principaliter quisquè videre poterit apud D. Dionysium Areopagitam c. c. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Vbi videtur facere mentionem de Ostiarijs. Idem videtur apud D. Ignatium Martyrem epist. 8. ad Antiochenos dicentem. Saluto sanctum presbyterum vestrum, saluto Diaconos, Subdiaconos, Acolytos Exorcistas, &c. Vnde si tales inferiores ordines, scilicet Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, &c. non imprimerent in anima characterem indelebilem, vt prima tenet opinio, sequeretur, quòd instrumentum illud per manus Episcopi porrectum, per quod character ipse in anima imprimitur, non deberet esse tantæ necessitatis ad tangendum ipsum, vel manum imponendum, quantum sacri volunt Doctores, vt infra.

In quibus differunt, inter se maiores ordines, & minores? 343

Respondeo, quòd multæ (per sacros DD., & Canones) possunt assignari differentiæ; quarum prima est, quòd maiores ordines habent in se Castitatis votum annexum, ac Matrimonium, 344 impediunt contrahendum, & contractum dirimunt; minores verò hoc non faciunt; quoniam minoribus initiati ordinibus, possunt absquè vlla dispensatione vxorem ducere. Secunda, in maioribus constituti, possunt vasa sacra tangere, non autem in 345 minoribus ordinati. Tertia, minores ordines, extra missæ celebrationem, conferuntur, maiores verò semper in missæ celebratione. Quarta, minores ordines possunt suscipi quolibet die festiuo, ac omnes quatuor simul eodem die etiam cum prima Tonsura; maiores verò, nisi adsit Summi Pontificis dispensatio, suscipi nequaquam possunt, nisi in sex temporibus à Iure institutis, puta quatuor temporibus Anni, Sabatho quadragesimæ, quod dicitur, ad sitientes, ac Sabatho Sancto. Quinta, in ordinibus sacris, requiritur confessio, & communicatio, in minoribus verò non, esto pium sit, vt fiat. Sexta, in maioribus constituti ordinibus, tenentur sub præcepto, peccati mortalis, deuotè, ac attentè diuinum officium recitare; nisi aliqua iusta causa excuset: at minoribus initiati ad id minimè tenentur. Septima, si quis aliquem

ordi-

ordinem ſacrum, ſinè demiſſorialibus literis, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora à Iure permiſſa ſuſceperit, peccat mortaliter, atquè eſt ipſo Iure, ipſoquè facto ſuſpenſus, ac ſi tali ordine ſuſcepto vtitur, irregularis fit, quæ omnia in minoribus ordinibus non habent locum. Octaua, minores, ſacri non dicuntur ordines, maiores verò maximè; quoniam ipſi ad ſanctitatem, pertinent. Vnde ipſi tantum circa corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti habent actionem, videlicet Presbyteratus, & Diaconatus, circa ipſum Chriſti ſanctiſſimum corpus, & ſanguinem, Subdiaconatus verò circa vaſa ſacra Chriſti corpus ſacratiſſimum tangentia verſantur: in quibus, minores ordines imperium, & dominium non habent: Nona, in minoribus ordinibus, poteſt Epiſcopus, ac ſimilis Prælatus iuriſdictionem habens Epiſcopalem, Irregularitatem ex homicidio contractam, diſpenſare, in maioribus verò, niſi per Summum Pontificem. Decimà, minores ordines conferri poſſunt ab Abbatibus; maiores verò ſemper ab Epiſcopis ſunt conferendi. Vndecima, in minoribus ſufficit, vt ordinato tradatur inſtrumentum ab Archidiacono, de Epiſcopi mandato; in maioribus verò neceſſarium eſt, vt ab Epiſcopo porrigatur.

344 Eſt nè Laicus capax (minores, & primam Tonſuram præter mittendo) tranſire de laicali ſtatu, ad ordines ſuperiores?

Reſpondeo, quòd non; ſed prius eſt ei Prima Tonſura conferenda.

345 Quid eſt Prima Tonſura? eſt nè ordo?

Reſpondeo, quòd Prima Tonſura, non eſt ordo, ſed ſolum, ordinum ianua, vel ad ipſos ordines ſuſcipiendos diſpoſitio, tanquàm in Religione Nouitiatus ad faciendam profeſſionem: ſimiliter, ordo non dicitur Epiſcopalis; ſi quidem Epiſcopus, non maiorem acquirit dignitatem, ac poteſtatem propter Epiſcopalem illum ordinem, quàm ſimplex Sacerdos circa corporis, ac ſanguinis Ieſu Chriſti conſecrationem, ſed tantum quoddam officium reſpectu quarumdam actionum ſacrarum, ſuper quas, præ cæteris habet Sacerdotibus diſponere, quæ quidem adminiſtratio, ac diſpoſitio circa ſacras res, ordo non dicitur, ſed ordinis Eminentia, vel dignitas; nam ordo propriè dicitur, quando nouus character in anima imprimitur, qui profectò non imprimitur per ordinem illum Epiſcopalem, ſed tantum Sacerdota-

lem, dico, dilatari characterem, in aliam præ cæteris potestatem se extendentem, nimirum Chrismare, atquè ordinare.

Quibus est neganda Prima Tonsura? 346

Respondeo per Sacrum Conc. Trid. sess. 23. c. 4. dicens. Primæ Tonsuræ non initientur, qui septem annos completos non habent, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quiquè legere, & scribere nesciant, atquè de quibus probabilis coniectura non sit, eos in sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Quare, qui Primam Tonsuram suscipit, Clericus vocatur, atq; in capitis summitate tunditur? 347

Respondeo. Primò, vocatur Clericus, qui Primam Tonsuram suscipit; quoniam hoc nomen, Clericus, deriuatur à greco nomine, Cleros, quòd latinè, sortem significat, qui profectò Clericus Domini, partem suæ hereditatis constituit, & heredem Dei se fecit per talem sortem. Secundò, cur in capitis vertice tundatur, hoc multas, ac varias habet significationes. Primò, immunitate capitis tunditur, ad denotandum, quòd Episcopus super ipsum ordinatum authoritatem accepit; quoniam duo sunt in S. M. Ecclesia Sacramenta, per quæ vnus super alterum potestatem accipit. Primò, per Sacramentum Matrimonij, propter enim tale Sacramentum, vir, super corpus mulieris potestatem accipit, & è contra mulier supra corpus viri; ex qua causa inquit Apostolus 1. Cor. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir, sui corporis, potestatem non habet, sed mulier; secundò, per hoc ordinis Sacramentum, ille qui prius sæculari foro subditus erat, subditus fit foro Ecclesiastico; licet enim quilibet Christianus sit S. M. Ecclesiæ subditus, quo ad animam, quò ad corpus verò mediante hoc ordinis Sacramento subduntur illi: fit Prima Tonsura in suprema capitis parte, ad significandum, quòd Clerici debent superare cordis, ac corporis vitia, nè propter ipsam impediantur, ad audiendum verbum Dei: fit in posteriore parte, ipsa Prima Tonsura; ad significandum, quòd Clerici sensus non debet esse mundanis rebus implicatus, terrenisquè obiectis alligatus; quæ per capillos tonsos indicantur: fit per modum Coronæ ipsa Prima Tonsura; quandoquidem corona, regiam significat dignitatem, quam quis habet, qui se, & alios,

per

per virtutes gubernare debet. Secundo, Corona, per tonsuram formata, figura sphærica est, ac circularis omnium figurarum perfectissima, ad significandam perfectionem, ad quam tendere debet, qui Deo seruire se dedicauit. Præterea, vertitur superpelliceum in prima recipiente Tonsura, ad significandam paritatem, atquè innocentiam, quam habere debet, qui cultum habet præstare Deo excellentissimo, & hoc innuere videtur serenissimus Propheta Psalm. 24. dicens. Innocentes, & recti adhæserunt mihi.

348 Quo animo, qualiq; intentione sunt ordines suscipiendi?

Respondeo non quæstus, aut luceri causa, non bonorum cupiditate, atquè ambitione, non beneficiorum causa, sed alicui certò Ecclesiæ ministerio addicti, in sanctitate, & iustitia Dei seruiant.

349 Qui sunt ab ordinum susceptione repellendi?

Respondeo, quicunquè in aliquam irregularitatem inciderunt.

350 Quid est Irregularitas?

Respondeo, quòd Irregularitas est quædam macula, seu impedimentum, per quod ab ordinum quis repellitur susceptione.

351 Qui igitur sunt irregulares?

Respondeo, quòd duobus modis potest contrahi irregularitas; puta de facto, & de Iure canonico. Primò, de facto prohibentur ordinari non baptizati: fœminæ, ita quòd si millies, ac millies se ordinauerint, nullum in anima characterem haberent: hermaphroditus, qui magis in femineum sexum protendit: monstrum, absquè legitimis membris ex matris vtero natum. Omnes hi prohibentur de facto, & de Iure canonico, & si volunt transgredi præceptum prohibens, quòd tales non possunt ordinari propter impedimenta, fiunt subditi pœnis ab Ecclesia, &c. destinatis.

Secundò, prohibentur (de iure canonico, ordinari, illiterati, illegitimi spurij, infames, corpore notabiliter vitiati, bigami, hoc est, qui duas habuerunt vxores, vel qui cognouerunt ab alio corruptam, Hæretici, Apostatæ, Serui, Pueri, Furiosi, Amentes, Excommunicati, celebrantes in loco interdicto, celebrantes cum sint suspensi, exercentes actum ordinis, quem non habent, Promoti per saltum, idest suscipientes ordinem superiorem, ante inferio-

ferioris susceptionem; ordinati ab Episcopo notoriè denunciato, excommunicato, schismatico, hæretico, deposito, suspenso, interdicto, degradato, vel qui renunciauit loco, ac dignitati, ordinati ab alieno Episcopo, sine licentia proprij sunt suspensi, quãdiù Episcopo proprio videbitur. Suscipientes eodem die quatuor minores ordines cum vno ex maioribus, vel duos maiores simul; iterantes scienter Sacramenta, characterem indelebilem in anima imprimentia; infideles, procurantes abortum, vel ad id adiuuantes, modò sit fętus animatus, suffocantes in lectulo infantem, homicidæ, mutilantes sibi, vel alteri membrum, siuè hoc faciat ex ira, vindicta, iustitia, siuè casu, vel dum datur opera rei illicitæ; cooperantes homicidio, mutilationi, vel mortis accelerationi, qui sollemnem fecerunt pœnitentiam, qui vsq; ad mortem Baptismum distulerunt, quem tunc timore mortis susceperunt.

Quomodo hæc irregularitas, atquè impedimentum tollitur? 352

Respondeo tribus modis. Primò, per Baptismum; nam Baptismus omnem tollit irregularitatem, ac omne impedimentum, restituendo illam primariam innocentiam, quam noster primus Parens Adam, habebat ante quam ad inobedientiæ peccatum incurrisset: tria solum in baptizato remanentia. Primò, originalis peccati pęna per generationem communicabilis posteris Adę; quamquam Baptismus tollat omnis peccati originalis culpam, & pœnam æternam culpæ respondentem. Secundò, illegitimatio. Tertio, bigamia, quoniam Baptismus non tollit omninò Matrimonium. Vndè si coniuges ad Fidem conuertantur Catholicam, atquè baptizentur, non possunt ab inuicem separari, & iterum cum alijs contrahere matrimonium; vt infra dicetur de Matrim.

Secundò, tollitur per Summi Pontificis dispensationem; nam Summus Pontifex plenariam habet potestatem super dispensandi omnem irregularitatem, atquè impedimentum, quod de iure diuino, ac naturali prohibitum non est, ac introductum, vt non baptizatus, fęmina, & c. vt supra enumerauimus.

Episcopis etiam licet in aliquibus dispensare ex Conc. Trid. sess. 24. c. 6. [Episcopis licet in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quę oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad fo-

rum contentiosum, dispensare, & in quibuscumquè casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumq; sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita poenitentia salutari. Idem, & in heresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs, sit permissum: hæc Concilium Tridentinum.

Hic tamen sunt duo adnotanda. Primum, quòd quando dispensatur pro occulto delicto in foro conscientiæ, non debetur in scriptis talis dispensatio poni, vt ponitur illa, quæ in foro fit iudiciali; nam ea, quæ in foro conscientiæ, secretè sunt iudicata, nullo modo possunt publicè exprimi, maximè per scripturam, quæ memorabilis est. Secundum, quòd quando illegitimi per Summum Pontificem, ad ordines suscipiendos, dispensantur, non intelliguntur dispensati ad dignitates, vel beneficia suscipienda; nam in illis necessariò alia requiritur à Summo Pontifice dispensatio, quæ multoties dari debet, vsquè ad talem, ac talem dignitatem, & beneficium, puta: si illegitimus, est sæcularis, vsquè ad Parochianatum, vsq; ad Canonicatum; si verò claustralis, vsquè ad guardianatum, vsquè ad Prouincialatum: vide Gloss. in c. finali: de filijs presbyt. c. innotuit. c. cum vincto enim de Elect.

Tertiò, tollitur irregularitas per professionem, in aliqua religione approbata factam, quæ tollit omnes irregularitates, quæ non sunt ex propria culpa, alijsquè maiorem prebet facultatem ad dispensandum, quoniam Religionis ingressus, omni pœnæ æquiualet.

353 In quibus ceremonijs, ordines conferuntur, & quando character indelebilis in anima ordinati, imprimitur?

Respondeo breuiter ad omnia: puta in Ostiariatu confertur ordo per traditionem clauium; sunt enim claues materia, atquè instrumentum huius ordinis; ab Episcopo hæc profertur, in hoc ordine, forma.

Accipe potestatem, tanquam Deo rationem redditurus pro rebus, quæ his clauibus clauduntur, & tunc character talis ordinis imprimitur.

In Lectoratu: per traditionem libri prophetiarum, est enim instrumentum, ac materia huius ordinis talis prophetiarum liber, & ab Episcopo hæc profertur forma verborum. Accipe potestatem,

tem, & esto verbi Dei relator, habiturus (si fideliter impleueris officium) partem cum his, qui benè verbum Dei ministrauerunt, & in hoc actu imprimitur huius ordinis character, &c.

In Exorcistatu: per traditionem libri exorcismorum; est enim exorcismorum liber vera huius ordinis materia; & ab Episcopo hæc profertur forma. Accipe, & habe potestatem, ponendi manus super Energumenos, siuè baptizatos, siuè chatecuminos porrigendo librum exorcismorum, & in hoc actu imprimitur huius ordinis character, &c.

In Acolytatu: per traditionem candelabri cum candela, atquè vrceoli ab Episcopo, siuè eius mandato, ab Archidiacono, loco Episcopi, dicente hanc formam. Accipe vrceolum, ad offerendum vinum, & aquam pro Eucharistia; & in hoc actu, imprimitur huius ordinis character in anima ordinati.

Notandum, quòd quando in ordine, diuersa traduntur instrumenta, scias illud instrumentũ, quod magis directè deseruit consecrationi Sanctissimæ Eucharistiæ esse veram ipsius materiam, ac instrumentum, per quòd character in anima imprimitur, & sic in Acolytatu, vrceolus, est vera ipsius materia.

In Subdiaconatu: per traditionem Calicis vacui, cum patena, & hoc est verum instrumentum ab Episcopo verbis proferente formam, ac tunc charactere, &c. verum colliocat apud aliquos quibus, videtur vera ipsius ordinis materia epistolarũ esse liber cũ Episcopus diceret in forma. Accipe librum epistolarum, & habet potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tàm prò viuis, quàm pro defunctis: in nomine Patris, ✠ &c. Sicut etiam licet videre, quòd candelabrum cum candela, vera sit Acolytatus materia, ac instrumentum; & non vrceolus, vt supra, &c.

In Diaconatu: per traditionem libri Euangeliorum qui vera est huius ordinis materia, ac instrumentum, & Episcopus hanc profert formam. Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia sancta Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis: in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.

Verùm hic aduertas quæso lector; quod quamuis principalis actus Diaconi sit portare Corpus Christi atquè ipsius sanguinem ministrare, nihilóminùs character in anima, imprimitur per actũ secundum, hoc est, per traditionem libri Euangeliorum quoniam per primarium actum exprimi non potest, sicut in ordine Sub-

diaconatus per traditionem calicis vacui cum patena.

In Presbyteratu: propter calicis, ac patenæ præparatæ traditionem, cum pane, ac vino; & hoc est vera huius ordinis materia, ac instrumentum, & Episcopus hanc profert formam. Accipe potestatem offerendi sacrificium, & missas celebrandi, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, & in hoc actu imprimitur huius ordinis character.

Notandum hic breuiter est; quod vnius ordinis character, non de necessitate præsupponit alterius ordinis characterem; quoniã per saltum ordinatus, sufficit ei, si accipiat ordinem, quem reliquit, & non de nouo ordinari, sicut nec tenetur ordinari iterum, quando ante Confirmationem ordinem recepit; quia quod quis maiorem ordinem, ante minores non accipiat, & quod ordinetur, ante quam Confirmationis Sacramentum recipiat per Episcopum, est solum S. M. Ecclesiæ præceptum, non autem diuinum, vel naturale, vt estat de Baptismo. Vnde nullum quis habere potest Sacramentum, quin prius fuerit Aquæ Baptismus ipsi applicatus, vt supra diximus cum de Baptismo: quod profectò non ita est de Confirmatione; puta: quod omninò debeat confirmatio ipsa præsupponi ad ordinis characterem; quoniam Sancti Apostoli, prius fuerunt à Christo ordinati, quàm confirmati; nam ordinati fuerunt in vltima cœna Christi, confirmati verò in die illa Pentecosten, vt è sacris Euangelijs colligi potest, ac ex actibus Apostolorum præcipuè.

Nota, quòd quamuis quis susciperet ordinem, quem reliquit, esset validum, vt supra dicebamus, tamen sic inordinatè ordinatus, est ipso Iure, ipsoquè facto suspensus. Similiter licet ordo susceptus ante Confirmationem sit validus, cum imprimat characterem, tamen sic suscipiens est similiter suspensus tum Iure, quàm de facto.

354 Quod officium in vnoquoq; ordine confertur ordinato?

Respondeo. In Ostiariatu: aperire Ecclesiæ ianuas, custodire ea, quæ ibi clauduntur, expellere infideles, atquè indignos, nempè publicè excommunicatos, ac notorios Clericorum percussores?

In lectoratu: legere intelligibiliter, ac distinctè prophetias in Ecclesia Sancta Dei.

In Exorcistatu. Adiurare, seù coniurare dæmones, & eos expel-

pellendi ab hominibus obsessis: nam exorcista latinè significat adiuratorem, vel coniuratorem à verbo exorcizo.

Notandum, quòd quamuis in hoc ordine Exorcistatus, quis potestatem accipiat dæmones adiurandi, non tamen illam potest exercere secundum Sacros Canones, nisi licentiam habeat à suo prælato, sicut debet habere Sacerdos licentiam à superiore confitendi, licet habeat potestatem hoc faciendi in charactere consistentem.

In Acolytatu: accendere luminaria in Ecclesia sancta Dei, & cum illis præire altaris ministros, præparare vinum, & aquam in vrceolis, adstare Sacerdoti celebranti.

In Subdiaconatu, legere Epistolam in Ecclesia Dei, tàm pro viuis, quàm pro mortuis, idest ab Episcopo traditur epistolarum liber, subministrare Diaconi necessaria Missæ sacrificio.

In Diaconatu: legere Euangelium, ministrare Sacerdoti celebranti, prædicare verbum Dei, si ei ab Episcopo imponatur, vel à Sacerdote facultatem habente; Eucharistiam ferre in vase sacro, non tamen illud tangere; quamquam in casu necessitatis Episcopo iubente, vel Sacerdote, &c. posset Eucharistiam ministrare, & vbi consuetudo viget communicandi sub vtraquè specie, præbere sanguinem cum calice.

In Presbyteratu: offerre sacrificium; tàm pro viuis, quàm pro defunctis consecrare, ligare, atquè absoluere à peccatis; idcirco Presbyter, dicitur duplicem habere potestatem; nimirum super Corpus Christi augustissimum ad ipsum consecrandum, & etiam super corpus mysticum ipsius Christi puta; supra fideles ligandi, atq; absoluendi illos à peccatis.

Vbi nota, quòd quamuis quilibet Sacerdos in sua ordinatione Sacerdotali potestatem accipiat à peccatis absoluendi, non tamen ab eis absoluere, potest (extra necessitatis casum) nisi licentiam à suo Prælato obtineat, ad absoluendum: sicut supra diximus de Exorcista; quòd si contrarium fecerint, vtriquè in suspensionem incurrunt; & si cum tali suspensione ministrauerint, irregulares fiunt, & non posset Sacerdos dispensari, nisi per Papam, licet Exorcista per Episcopum suum dispensationem possit obtinere.

Proindè non est nobis mirandum, si alia requiratur in Sacerdote potestas, absoluendi à peccatis, præter illam obtentam in ordine Sacerdotali; quandoquidem sic fuit negotium Christi

cum

cum Apostolis; quamuis enim ipsi in sua ordinatione Sacerdotali, quæ fuit in vltima Cœna Christi, characterem acceperunt, à peccatis absoluendi potestatem habentes: attamen ipsi Apostoli hanc potestatem non exercitauerunt, nisi post multos dies à Sanctissima resurrectione Christi, eis dicentis. Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioannis cap. 20.

355 Quæ scientia, & ætas, in suscipientibus hos ordines, requiritur?

Respondeo: in suscipiente Primam Tonsuram, requiritur scientia illarum rerum, quæ quilibet fidelis Christianus scire debet; nimirum signum Crucis, Oratio dominica, articuli fidei, septem Sacramenta; septem opera Misericordiæ corporalia, itidemquè spiritualia, præcepta Ecclesiæ.

In suscipiente quatuor minores ordines, debet saltem esse scientia talis, vt linguam intelligat latinam, & vltra hanc scientiam, habere debet testimonium, seù fidem suæ bonitatis à Parocho, atquè à magistro scholæ, vt quisquè videre potest apud Trident. sess. 23. c. 11.

In Presbyteratu, vt sit aptus ad docendum populum, ea, quæ scire omnibus christianis necessaria sunt ad salutem, & quæ pertinent circa administrationem Sacramentorum.

Ætas verò ad Primam Tonsuram, atquè ad tres ordines promouendi minores; septem debet esse annorum completorum. Quoad Acolytatum, duodecim: quò ad Subdiaconatum, viginti duo: quò ad Diaconatum, viginti tres: quò ad Presbyteratum, viginti quinque: qui quidem non necessarium est, vt sint completi, sed benè sufficit in eis vnius diei ingressus, ad vigesimum quintum.

356 An sit de Essentia ordinis, illum instrumentum tangere, quod per Episcopum porrigitur?

Respondeo, quòd aliqui volunt, quòd tactus materiæ in hoc Sacramento, non sit simpliciter necessarius, quoniam ordinis potestas, non à materia, sed à ministro traditur; testantes, quòd tempore Apostolorum tantum, ordinati imponebant manus. Nihilominus hic dicendum est, quòd valdè securius est, imò absolutè, & simpliciter necessarium illud instrumentum, quod est materia huius ordinis, tangere, vt præcipuè patet apud D. Thom.

4. sent.

4. sent. dist. 24. Angel. ordo. 1. n. 3. Sylu. ordo 2. q. 5. vers. 3. Paludan. 4. sent. dist. 24. q. 5. Diuum Anton. 3. p. tit. 16. c. 14. & hoc maximè in ordinibus sacris: quoniam si necessarium est in ordine, vt Episcopus, porrigat ordinando instrumentum ei dicens. Accipe hoc, vel illud profectò necessarium est, vt ordinandus instrumentum tangat, si quidem vna actio, aliam exigit, cum dicant ad inuicem relationis rationem dantis, & tangentis.

Notandum est, quòd in Confirmatione, non imprimitur character in anima per traditionem alicuius materiæ, seù instrumenti; quoniam non datur officium operandi in aliqua materia, vt in ordine, in quo non datur per manuum impositionem, vt patet.

Si quis Episcopus, vel Clericus, aliquid in ordine omittit; quid faciendum? 357

Respondeo, quòd si pars omissa est principalis Sacramenti, per quam character in anima imprimitur, ac gratia conceditur, oportet talem malè ordinatum, iterum ordinari; si verò non ad substantiam pertinet Sacramenti, non potest ordinem illum, sic malè susceptum, ministrare, donec alio tempore id, quod fuit omissum, adimpleatur.

Si quis ad Subdiaconatus ordinem ordinatus, facit se ordinare, ad Diaconatum, antequam ordinem ipsum Subdiaconatus exercuerit, quid in hoc casu esset dicendum? 358

Respondeo, quòd talis peccaret mortaliter, & est ipso Iure, ipsoquè facto suspensus, ac si cum tali suspensione ordinem exercet, irregularis fit, & non potest ad Presbyteratum ordinari, quin prius per Papam dispensetur.

An hoc Sacramentum collatum puero, teneat? 359

Respondeo, quòd quamuis grauiter peccaret, quis puero ordinem conferendo, cum incursione suspensionis; nihilominus; ordo tenet secundum Sacros Doctores quàmplurimos, specialiter secundum D. Bonauent. 4. sent. dist. 25. q. 2. art. quoniam adhoc Sacramentum, nulla ætas de iure diuino requiritur, vt apud Sotum 4. sent. dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 2. videre est principaliter. Præterea si quis in tali puerili ætate ordinetur, non tenetur ad Castitatis votum, ordinibus adnexum, vel diuinum officium recitare deuotè, & attentè; imò licitè, absquè vlla Summi Pontificis, vel Episcopi dispensatione, matrimonium contrahere potest,

potest, modo in debita ætate ordinem non acceptauerit; quoniam si in ætate debita acceptauit ordinem, omnia in ordine ipso adnexa seruare tenetur, & debita ætas non intelligitur in vigesimo secundo anno, quando de Iure posset ordo sacer suscipi: sed in anno decimo sexto, vel decimo octauo; quando nimirum homini licet vouere, atquè Religionem ingredi; idem dicendum est de eo, qui ob iustum timorem ordinatus est, puta ad castitatem, non tenere votum, ac diuinum recitare officium, vt principaliter patet apud Angelicum Doctorem præcitatum, Angelum, à Martino Nauarro relatos, ac ab ipso sequutos. cap. 22. num. 51. §. 9.

360 Si quis vxoratus ordinetur, an recipiat ordinem?

Respondeo, quòd si vxoratus ordinetur, vxore consentiente, non solum ordinem recipit, & characterem, verum etiam eius exequutionem, & tenetur seruare castitatem, atquè omnia alia in ordine adneza; si verò nesciente vxore, vel non consentiente, hoc faciat, recipit quidem characterem, non autem exequutionem ipsius, & gratiam, per ipsum ordinem conferibilem, & non potest absquè Summi Pontificis, vel sui Prælati dispensatione debitum exigere matrimoniale, licet ab vxore quæsitus possit reddere.

361 Si quis ordinem recipit ab Episcopo heretico, deposito, degradato, &c. An remaneat benè ordinatus?

Respondeo, quòd sic; idest recipit ordinem, & characterem (tanquam supradictus vxoratus, non consentiente vxore) non autem gratiam, imò est ipso Iure, ipsoquè facto suspensus, atquè irregularis ad ministrandum ordinem ipsum, sit malè susceptum, vt alibi diximus. Valent ordines ab Episcopo hæretico suscepti, quoniam hæresia, &c. non tollunt ab Episcopo illam Episcopalem dignitatem, & characterem in anima impressum, sed tantum Episcopalem vsum, atquè exercitium. Vndè si quis Episcopus hereticus, vel degradatus, &c. rehabilitetur ad fidem Catholicam, atquè ad suum Episcopatum, non tenetur iterum ordinari, sicut nec tenetur Sacerdos hæreticus, degradatus, &c. ad celebrandam Missam, & ad confitendum quando rehabilitetur, seù reconcilietur ad fidem iterum ordinari: quandoquidem ordo, & potestas per characterem collata Sacerdoti, est inamissibilis, & perpetua; de lege Dei ordinaria.

Est

Est nè mortale peccatum, Missam celebrare, ante diuini officij recitationem? 362

Respondeo, quod non; secluso omni malo fine, ac populi scandalo: quoniam hoc præceptum de hora vespertina, ad vespertinam obligat, diuinum officium recitare: quamquam Nauarrus dicat contrarium affirmans, quod fiat contra vniuersalem Sanctæ Matris Ecclesiæ consuetudinem.

An Sacerdos aquam faciens benedictam in mortali existens peccato, mortaliter peccet? 363

Respondeo, quòd aliqui dicunt, quòd non esset peccatum mortale: aientes, quod talis aquæ benedictio, Sacramentum non est, vel res sancta peccatoris animam sanctificans, sed Sacramentale tantum, quod nullum mortale est peccatum sic (malè dispositus Sacerdos) faciendo omni malo secluso fine, populiquè scandalo; & donant regulam generalem. Quod tunc solùm quis mortaliter peccat, quando videlicet gratiæ Dei obicem ponit, vel alteri gratiam ipsam præbet, vt Eucharistiam, non autem in alijs actionibus. Mihi autem contrarium tenere, tutius videtur cum Nauarro præsertim, quoniam hæc actio aquæ benedictæ, est actus ordinis Sacerdotalis, ad quem est peculiariter ordinatus.

Subdiaconatus, cantare epistolam in missa, atque Diaconus, Euangelium, in peccato mortali. An peccent mortaliter, sicut Sacerdos aquam benedicens in peccato mortali existens? 364

Respondeo, quòd multi tenent, non peccare mortaliter: illam assignantes rationem de aqua benedicta. Quoniam (aiunt ipsi) licet Epistolæ, ac Euangelij cantatio, sic ad Eucharistiæ Sacramentum ordinata, nihilominus Eucharistia non est, vel res sancta, animam peccatoris sanctificans, sed Sacramentale tantum, sicut aquæ benedictio; Attamen nobis est contrarium tenendum secundùm veriorem doctrinam dicentem; quòd non solum hoc procedit in Sacerdote ministrante, verum etiam in quolibet ministro Ecclesiæ exercente, ministrante, vel tangente, vt ex D. Thom. 3.p. q.64. art.6. atquè in 4. sent. dist. 5. & 24. alijsquè probat prædictus Nauarrus in c.25. n. 72. imò Canon poenitentialis 28. Qui committit sacrilegium, Ecclesiam violando, vel calicem sacrum, vel Chrisma pollutis manibus accipiat, vel similia sacrilegia committit, poeniteat annis septem, propter hanc Sacrum Canon Confessor quilibet, poterit

rit inuenire sacrilegia, ac mortalia peccata in Ecclesiæ ministro.

De Sponsalibus.

365 QVid sunt Sponsalia?

Respondeo præcipuè ex D. Thoma in 4. sent. d.27. q.2. art.1. & in Add. 3.p. q.43. art. 1. quòd sunt futura mutua, vel reciproca promissio. Dicitur primò, futura, quoniam per verba de præsenti, contracta sponsalia, non dicuntur, sed Matrimonium, vt infra dicemus, cùm de Matrimonio. Vndè sponsalia dicuntur à verbo spondendo, nimirum à promittendo; quoniam vir, contractis sponsalibus, vocatur sponsus, quasi alteri promissus, & mulier sponsa vocatur, quasi promissa alteri, & contracto matrimonio, non amplius vocantur sponsus, & sponsa, sed vir, & vxor.

Dicitur secundò (mutua, vel reciproca promissio) quia adhoc vt sponsalia dicantur; vtraquè pars promittat, oportet, vt videre est præsertim apud Nauarr. c.22. n.25.

366 Qualis est effectus sponsalium?

Respondeo, vt intelligatur ex c. ex literis. D. salui. C. sicut. C. Requisiuit de sponsalibus, & D. Thoma in 4. quem sequitur, & refert Syluester verb. sponsalia q.1. Quòd effectus sponsalium est obligatio quædam, ac vinculum, quo sponsalia contrahens, coniugalem consensum de præsenti præstare, promissumquè soluere, nisi iusta causa excuset, tenetur.

167 Si quis alicuius sponsam de futuro, cognoscit carnaliter: An teneatur talem circumstantiam confiteri?

Respōdeo, quòd non; vt colligere poterit quisquè principaliter apud Couar. p. p. c.1. n. 21. quoniam adulterium non est, cum non sint sponsalia, Sacramentum, sed Sacramentale tantùm.

168 Si quis sponsus de futuro, Clericum occidit inuentum cum sponsa turpiter operantem. An excusetur ab excommunicatione, ac ne ad summum vadat Pontificem pro absolutione, vt excusetur quando ipsum comperit cum vxore, matre, sorore, ac filia, vt videre est in c. 3. vers. §. 1. de excommunicationis sententia.

Respondeo, quòd non: sed tenetur adire ad Summum Pontificem;

ficem; quamquam dicat Couarruuias, vbi supra num. 12. quòd posset talis, & satis esset absolutionem ab Episcopo obtinere.

Quis potest sponsalia contrahere, & quæ ætas ad ea contrahenda requiritur? 369

Respondeo, quòd potest sponsalia contrahere, qui potest contrahere Matrimonium; ætas verò tàm in viro, quàm in muliere septem annorum requiritur, vt principaliter patet in cap. 6. tex. in l. Sponsalibus ff. de spons. Verum est quòd dubium extat inter Sacros DD. An dictum septennium completum, requiratur; vndè hic respondendum est cum Doctore subtilissimo 4. sent. dist. 27. art. 2. & multis alijs, ibidem relatis, quòd si vna deficeret hebdomada, vel aliquid plus, erunt valida ipsa sponsalia, imò in rigore ait D. Thomas valere, quamuis in medio septimi anni contrahantur, quod ego intelligo; quando nimirum tanta malitia, ætatem supplet; in quo casu arbitrio boni viri relinquitur iudicandū.

An sponsalia inualida, propter defectum ætatis, conualescant, & sint valida septennio adueniente; propter tacitum contrahentium, consensum ad sponsalia deductum?

Respondeo, quòd sic, & hoc per multos sacros Doctores, & principaliter per Couar. p. p. c. 2. n. 2. 370

Quot modis, contrahuntur sponsalia? 371

Respondeo quatuor modis; Primò, per simplicem promissionem, vt quando quis dicit: Ego accipio te in meam vxorem; & ego accipio te in meum maritum, vt idem erit in tract. de Matrim. dicendum. Secundò, propter promissionem, vel donationem aliquam, vt pecuniam, prædia, & similia. Tertiò, per annuli subharrationem, quod propriè vocatur disponsatio: Quartò, interueniente iuramento, verbis futuris, quòd si de præsenti, matrimonium vocabitur, & non sponsalia.

Verum est, quòd iuramentum non est ad sponsalia simpliciter necessarium, sed promissio tantum sufficit, vt videre est: in cap. De illis 1. vers. C. mulierem de sponsal. Impur, qui quidem talem frangit promissionem, non minus mortaliter peccat, quàm si fuerat cum ipsa adnexum iuramentum.

An sponsalia possint contrahi cum infideli? 372

Respondeo, quòd sic, vt probabilius probatur per D. Thom. 4. sent. dist. 39. art. 1. dummodò promittat, ad fidem conuerti; si fecus, non.

373 Quare sponsalia possunt contrahi cum infidelibus, & Matrimonium; non potest cum eis contrahi, vt dicemus cum de matrimonio?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quia eadem est habitudo præsentis ad præsentem, & futuri, ad futurum; & quia in Matrimonio requiritur de præsenti vnitas cultus: cum hæc vnitas non habeatur de præsenti, idcircò non potest contrahi ab infidelibus contrahi matrimonium, at in sponsalibus sufficit conditio apposita de futura vnitate cultus.

374 An præsentia Parochi, vel Sacerdotis alius de ipsius licentia, sit necessaria ad sponsalia contrahenda de futuro, atq; testium præsentia, vt infra, cum de Matrimonio?

Respondeo, quòd non; & quamuis apud aliquos videatur oppositum dicentes, quòd sponsalia suo tempore adueniente vim habeant Matrimonij, non est profectò secundum veram doctrinam tenendum, quoniam Sacrum Conc. Trid. sess. 24. c. 1. tantùm inualidat, & irritat sponsalia per verba de præsenti, clandestina contracta, Vnde patet, talem fidem contrahendo etiam clandestina palam esse seruanda, Nauar, principaliter in cap. 25. num. 144.

375 Contractis sponsalibus, quot modis dissoluuntur?

Respondeo, quòd diuersæ sunt supra hoc Doctorum opiniones; Vnde multi, præcipuè Nauarrus, in c. 22. n. 6. §. Porro; ponit decem, & septem casus. Sotus 4. sent. dist. 27. q. 2. art. 5. ad sex tantum illos reducit. Couar. in p. p. de sponf. c. 5. septem ponit: nos autem hic octo ponemus casus.

Primus, quando ipsi contrahentes, mutuo dissensu ad inuicem se absoluunt, sicut in mutuo consensu se obligauerunt.

Secundus, quando sponsus, vel sponsa, vult monasterium ingredi, quòd etiam fieri potest post matrimonium contractum, infra duos proximos menses.

Tertius, quando pro affinitatis causa dissoluuntur sponsalia ipsa, puta; cum sponsus carnaliter cognouit consanguineam sponsæ, vel è contra.

Quartus, quando ipsorum vnus fuerit fornicarius.

Quintus, quando sponsus, vel sponsa non inuenitur, quia nimirum in partem longinquam abijt, quibus tres conceduntur à Iure anni; videlicet, quòd vnus habet alterum expectare; at si est

intra Prouinciam, duo anni sufficiunt, vt principaliter apud l. secund. c. de spons. l. sæpe. ff. eodem. c. quemadmodum de iureiurando.

Sextus, quando sponsus, vel sponsa de præsenti contrahit Matrimonium cum altero etiam de facto, habita tamen carnali copula.

Septimus, quando in altero ipsorum reperitur infirmitas, quæ difficulter curari posset, vt Paralysia, febris hectica, & similia, quæ deformitatem, vel nauseam generant, cui etiam à Iure conceduntur anni tres ad experiendum. An conualescat ab ipsa tali infirmitate. Verum est, quod posset Prælatus tale vinculum dissoluere, quando probabilissimè noscit morbum minimè curari posse absquè miraculo, vel mortali peccato.

Octauus, quando quis in debitam venit ætatem, matrimonium contrahendi, à sponsalium vinculo, absolutionem petit, & sibi licentiam præberi, alteri in matrimonium copulari, & coniungi. Dicitur, alteri, & non, alteris, quoniam prohibitum est hominibus, duas habere vxores simul, & hoc nè dum per legem Euangelicam, & Canonicam, verum etiam naturalem; quoniam natura nos docet, quod vnus, vni coniungatur: si quidem si homo, duas haberet vxores, matrimonium ipsum, seminarium esset rixarum, & non vinculum amoris: cum carnalis amor, non possit habere consortium.

Et si mulier, duos haberet viros, profectò prolis certitudinem ignoraret, cum diuersa semina, simul ad effectum concurrerent.

Nota hic obiter ex Alberto Magno, quòd summum remedium ad conceptionem, est, leporis matricem aspersam, ac purificatam, in potu recipere, quæ quidem à tota natura specifica ad conceptionem operatur.

De Sacramento Matrimonij.

QVid est Matrimonium? 376

Respondeo, quod est maris, ac feminæ coniunctio, inter personas legitimas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, vt principaliter videre est 27. q. 2. c. 1.

Cur vocatur Matrimonium? 377

Re-

Respondet D. Thomas 4. sent. dist. 27. q. 1. art. 1. f. 2. quòd inquit D. Augustinus contra Faustum, ab hoc vt mulier, non debeat ad aliud nubere, nisi vt mater; vel dicitur quasi matris munium, idest officium, quoniam fœminæ maximè incumbit officium, educandæ prolis, vel quasi matrem muniens; quia iam habet, quòd defendatur, vt muniatur: puta virum, vel quasi matrem muniens, nè virum relinquat, alteri adhærens; vel quasi materia vnius, quia in eo fit coniunctio ad vnam prolem materialiter inducendo, vt dicatur Matrimonium à mons, & materia; vel vt inquit Isydorus, à matre, & nato; quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati.

378 Cur hoc Sacramentum non vocatur Patrimonium, sicut vocatur Matrimonium.

Respondeo, quia mater est magis officiosa circa prolem, quam pater, licet ipse pater sit dignior, vel quia mulier ad hoc principaliter sit facta, vt nimirum homini sit adiutorium circa prolem, vir autem non est huiusmodi rationes habens.

379 Quot modis, distinguitur Matrimonium?

Respondeo, quòd tribus modis. Primò, in quantum est naturæ officium, quod fuit patratum ante peccatum nostrorum primorum parentum Adami, & Euæ; Secundò, in quantum est libidinis remedium, quod fuit post peccatum: in lege autem naturæ prohibebatur solum matrimonium filij cum matre, & filiæ cum Patre; in lege verò Mosaica Leuit. c. 16. prohibentur, frater, soror, filia, filij, & consanguinei, & affines in primo, & secundo gradu in linea inæquali; tertiò, in quantum est Sacramentum Sanctæ M. Ecclesiæ, quod à Christo in Cana Galileæ, fuit institutum, quando Phariseo dixit: Quòd Deus coniunxit, homo non separet.

In statutis Ecclesiæ prohibentur consanguinei, & affines, vsquè ad quartum gradum inclusiuè, quod si quis contrarium facere præsumpserit, per Concilium Tridentinum, anathema declaratur.

380 Quot modis hoc Sacramentum contrahi potest?

Respondeo, quòd duobus modis; primò, simpliciter; secundò, cum conditione; simpliciter contrahitur matrimonium, quando inter coniuges nulla interuenit condictio, sed tantum absolutè dicitur. Volo te in meam vxorem; & ego volo te in meum

meum maritum. Vnde statim sponsus tale verbum dicendo, non potest amplius cum aliqua consanguinea sponsæ contrahere, nec sponsa cum consanguineo sponsi, vsquè ad eumdem quartum gradum inclusiuè, & hoc intelligitur, siuè matrimonium fuerit consumatum: siuè non fuerit consumatum; siuè sponsalia inter eos, teneant de iure, siuè non teneant, modò fuerint facta purè, & certè, licet nulla fuerint ratione consanguineitatis, vel Affinitatis, vel Religionis, aut aliqua alia quacunquè ratione, nisi fortè nulla fuerint, propter defectum consensus, vt patet in cap. 1. in lib. 6. extra de sponsalibus.

Similiter est dicendum (& præ omnibus aduerte) de viro, & muliere, quæ fuit ab ipso cognita ex fornicatione. Quamobrem (ò Christiane lector) estò diligens supra hoc: solent enim hodiernis temporibus accidere, res dictu nefandæ: quoniam interdum (& vtinam non vt plurimum) contractis sponsalibus, vel antequam contrahatur: frater sponsi, cognoscit sororem sponsæ, vel matrem, vel aliam eius consanguineam, ex quo dissoluuntur sponsalia, ita quòd illam sponsam, non amplius possit habere, quòd (ò scelus inauditum, & imperitia mortalium!) hodie non aduertitur, seù potius non curatur à multis.

Cum conditione Matrimonium est, quando quis ipsum contrahit cum aliqua conditione, & non intendit ad ipsum matrimonium consentire, nisi circumstantia, & condictio ipsa adsit, vt quando dicit: Volo te in meam vxorem, si tu es virgo, si tu non es virgo, te in meam vxorem nolo: idcircò si illa mulier, non est virgo, nullum est Sacramentum Matrimonij, licet consensus adsit, quoniam consensus condictionalis non est consensus simpliciter: aiunt enim logici [Condictionalis, nihil ponit in esse.] & quamquam apud Sacros DD. videatur, quòd tale Matrimonium cum talibus condictionibus, & circumstantijs sit verum matrimonium, etiam si conditiò interposita non adsit, hoc intelligendum est, quòd nimirum præsumptum dicatur matrimonium, idest in quantum Sancta M. Ecclesia præsumit illud esse Matrimonium, non autem esse in rei veritate, matrimonium. Vndè in c. & lib. præcit. habetur, quod ex sponsalibus conditionalibus ante condictionem extantem, sicuti consensum non habentibus, atquè incertis, nulla publicæ honestatis, iustitia contrahatur. Præterea cum tali conditione contrahitur; sed

ma-

matrimonium non dicitur, ſed matrimonij promiſſio.

381 Quot ſunt huius Sacramenti miniſtri?

Reſpondeo duo; vnus de iure diuino, atquè de neceſſitate Sacramenti, qui ſunt ipſi contrahentes: alter verò de iure Eccleſiaſtico, vt Parochus, vel Sacerdos alius de ipſius licentia.

382 Poteſt nè Matrimonium, inter abſentes, contrahi per procuratorem, & an contrahatur Sacramentum?

Reſpondeo, quòd multi Doctores tenent, quòd non eſſet Sacramentum: attamen eſt definitum à S. M. Eccleſia, vt præcipuè patet in c. fin. de Procurator. in 6. videlicet, quòd verum eſſet Sacramentum, ac matrimonium tribus antè currentibus; primum, vt procurator ſpeciale habeat mandatum; ſecundum, quod mandatum ſit ei datum de certa perſona ſpeciali, ac determinata; tertium, quod Procuratorem mittens, in eadem ſtaret voluntate, ac propoſito, matrimonium contrahendi, quouſquè procurator ipſe contrahat per verba de præſenti cum ea, ad quam fuit ab eo miſſus ad contrahendum; quòd ſi ante hoc, voluntatem, propoſitumquè ſuum mutaret, nullum Sacramentum, nullumquè matrimonium eſſe dicitur, quoniam voluntas contrahendi, iam deeſt, vt quando alium mitteret procuratorem, ad contrahendum cum alia, vel ipſe propriè contraxit, vel contrahere nollet.

Verum eſt, quòd licet quis abſens, poſſit per procuratorem matrimonium contrahere, atquè verum conficere Sacramentum, non ſic in abſentia per procuratorem, poſſet ſe facere baptizare, chriſmare, ac abſoluere à peccatis, vngere, ac ordinare, etiam ex quacumq; neceſſitate cauſa, & neceſſitate extrema, nimirum mortis; quoniam hæc Sacramenta non ſolum in voluntate conſiſtunt, vt matrimonium verum etiam in phyſica, ac reali operatione corporali: vt patet; nam Baptiſmus, expoſcit corporis ablutionem cum aqua naturali; Confirmatio, vnctionem in fronte; penitentia peccatorum accuſationem ad aures Sacerdotis factam; Extrema vnctio, vnctionem cum oleo benedicto in certis, & determinatis corporis partibus; Ordo, porrectionem inſtrumenti phyſicam, & realem, ſeu corporalem ad manus ordinati terminatã per contactum: ac proindè liquidò conſtat, neminem operari poſſe per alienam perſonam, ſed per propriam in his Sacramentis.

Quæ

Quæ verba debent interuenire inter procuratorem, & puellam, vt verum Matrimonij Sacramentum conficiant? 383

Respondeo, quòd si contrahuntur sponsalia, Procurator dicet in hunc modum. Promitto tibi Catharinæ, vel Vrsulæ, & c. de mandato domini mei Caroli, vel Alexandri, &c., atquè in nomine eiusdem, quod ipse te ducet in vxorem, & hoc in animam suam iuro; cui puella respondebit. Promitto tibi in nomine Domini tui recipientis, & tibi pro te, quòd ego accipio ipsum in meum maritum, nisi steterit per ipsum, & hoc iuro.

Si verò Matrimonium erit de præsenti, sic dicendum erit. Carolus, vel Alexander, &c. Dominus meus mandat tibi, quod ipse per me, siuè mediante me, & tibi nunciante; accipit te, atquè consentit in te, tanquàm in vxorem suam: cui puella respondebit. Et ego, te mediante, dominum tuum accipio in meum maritum, cui ipse, te mediante, me in suam accipiat vxorem, atquè in eum consentio, tanquàm in dominum, & maritum meum, vt specialiter patet apud Ioann. Andr. in cap. Procurator de Procuratore. 6. quem refert, ac sequitur Syluester Matrim. 5. q. in fine.

Potestnè inter absentes, per Epistolam, contrahi matrimonium, sicut per procuratorem, & an sit verum Sacramentum? 384

Respondeo, quod licebat contrahere ante Conc. Tridentinũ, atquè verum erat Sacramentum, & matrimonium, duobus tamen currentibus. Primum, quòd mittens epistolam, in qua exprimebat, quòd talem accipit in vxorem de præsenti, si ipsa consenserit, & perseueret in eadem voluntate, quousquè illa cui epistola mittebatur expresè consentiat. Secundum, quòd illa persona exprimat consensum recepta epistola alicui alteri, vel rescribat scribenti; nihilominus hodiè non posset fieri, ac verum esset Sacramentum, & matrimonium per idem Conc. Tridentinum sess. 24. c. 1. nisi concurrat Parochus, vel Sacerdos alius de eius licentia, & duo, vel tres testes in quorum præsentia contrahentes, per se, vel per procuratorem, præstet requisitum consensum.

An parentes matrimonium pro filijs de futuro contrahentes. cum iuramento, possint eos compellere? 385

Respondeo, præcipuè per D. Thom. 4. sent. dist. 29. 9. art. 4 quòd non; tamen debent inducere bona fide, vt contrahant.

An parentes, possint filium cogere ad matrimonium? 386

Respondeo, per eundem Diuum Thomam in dist. 25. art. 4

quod non; cum in matrimonio sit quædam seruitus perpetua; sed benè possunt eum inducere ex rationabili causa, ac tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris, vt si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, ac præceptum similiter cogat, aliàs minimè.

387 An filia, possit Matrimonium contrahere, absquè Patris consensu?

Respondeo per eumdem D. Thomam in dist. 28. art. 4. quod sic; cum non sit ancilla patris, sicut etiam posset ingredi Religionem, patre inuito.

388 An furiosus, possit contrahere matrimonium?

Respondeo per eumdem D. Thomam in dist. 34. art. 4. quòd furia, aut præcedit matrimonium, aut ipsum sequitur; si sequitur, non dirimit; si autem præcedit, aut habet lucida rationis interualla ipse furiosus, & tunc licet non sit tutum, quòd ipse contrahat, quia nimirum nescit prolem educare; tamen si contrahit, matrimonium erit validum; si autem non habet rationis interualla, profectò matrimonium est nullum; quandòquidem deest consensus rationalis, qui est in matrimonio necessarius.

389 Quot sunt huius Sacramenti bona?

Respondeo tria; Fides, Proles, ac Sacramentum; Sacramentum quippè; quantum ad vinculum inseparabiliter; Fides, in quãtum ad eius essentiale, quòd est non negare debitum coniugale, licitè petenti. Proles; nimirum animum habendo paratum, ad ipsam prolem procreandam, si Deus dederit. Vndè coitus maris, & feminæ, est coniunctio per instrumenta ad talem actum deputata ad procreandam prolẽ. Ex quò Sacri Doctores aiunt, quòd quando coitus, non sit hac intentione, vt nimirum generetur simile sibi generanti, maximum committitur peccatum; Verum tamen est, quòd non est necessarium, vt toties quoties quis debitum exigit, vel consumat actum coniugale actualiter: teneatur habere formalem, & actualem intentionem, ac voluntatem, generandi simile sibi, sed solummodò sufficit habuisse semel, nimirum in contrahendo matrimonium, quoniam aliter multoties, & innumerè peccarent mortaliter coniuges debitum exigentes matrimoniale, nihil de prolibus cogitantes; quandoquidem eis sat est illa prima voluntas habita prius, pro semper generandi simile sibi ipsis: matrimoniali actu consumato, si Domino

tamen

tamen generationis prolem tribuere placuerit. 390

An coniugalis copula, sit de essentia huius Sacramenti?

Respondeo, coniunctionem animarum, requiri necessariò, non autem corporum; falsum enim est affirmare coniugalem copulam esse in hoc Sacramento necessariam; quandoquidem si in matrimonio esset copula coniugalis necessaria, sequeretur, quòd inter Christi Matrem, ac Iosephum contractum matrimonium non fuisset verè matrimonium, quibus tantùm fuit voluntatis consensus, non autem coniugalis copula, vt Fides Catholica docet.

Verum est, quod licet tale Mariæ, & Iosephi matrimonium contractum, non fuisset Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentum, sed vt naturæ officium; hoc enim Sacramentum institutum fuit post Christi aduentum putà in anno ipsius Christi 31.6. Ianuarij dicentis, quod Deus coniunxit homo, non separet, vt Matt. c. 19. & Marci c. 20. patet.

An contrahere matrimonium, propter delectationem, pulchritudinem, diuitas, &c. sit peccatum mortale? 391

Respondeo, quod contrahere matrimonium propter hunc finem, alia relinquendo, tantum esset veniale peccatum, quamquam aliqui dicant probabiliter, quòd esset peccatum mortale.

Quæ est huius Sacramenti, materia, ac forma? 392

Respondeo, materiam esse ipsos contrahentes, formam verò verba, quæ ex duobus prædictis contrahentibus proferuntur.

Quæ verba debent, inter ipsos contrahentes, interuenire, vt ipsorum consensus exprimatur? 393

Respondeo, ego te accipio in meam vxorem, & ego te accipio in meum maritum, ac similia verba amborum coniugum, ipsorum voluntatem exprimentia, in matrimonium copulari volentium, & coniungi ad inuicem.

An sit necessarium, vt mutuus consensus simul eodem tempore concurrat? 394

Respondeo, quòd aliqui tenent, necessarium esse, vt coniugum mutuus consensus simul eodem tempore concurrat; nihilominus contrarium est nobis tenendum, quòd nimirum satis sit durante primo consensu, præbeatur secundus consensus.

An sufficiat, inter contrahentes aliquod signum externum, absquè vllo verbo dicente, quòd vult matrimonium contrahere? 395

Respondeo, quòd sic; vt inclinare caput, claudere oculos, implicare manus; hæc enim, & similia signa, verborum habent significationem. Verum tamen est, quòd sic dicendum minimè à nobis potest de cæteris Sacramentis; nempè in ipsis sufficere signa, &c. sed necessaria est omninò verborum formalis prolatio, vt alibi diximus.

Non sufficiunt, inquam, signa in alijs Sacramentis præter Matrimonium; quoniam ipsa Sacramenta nō habent cum eis signis materiam adnexam, atquè formam (vt Sacramentum Matrimonij habet, quæ materia, &c. sunt ipsi contrahentes, mutuò se acceptantes in matrimoniū) sed omninò diuisam, vt est videre in Baptismo, distinctam aquā postulante à baptizante ministro, &c. dicente. Ego te baptizo, &c. Confirmatio etiam distinctum exposcit Chrisma à ministro dicente. Ego signo te signo Crucis, & Eucharistia, panem petit triticum, vinumquè vitis equidem à celebrante distincta, dicente ipso. Hoc est Corpus meum. Hic est enim calix, &c. Pœnitentia, peccata habet, ac pœnitentis actus, illa detestantes, distincti ab absoluente, & dicente. Ego te absoluo. Extrema vnctio, oleum habet benedictum ab vngente distinctum, & dicente. Ego vngo hos oculos, has aures, &c. Ordo, habet instrumentum distinctum ab ordinante, & dicente. Accipe potestatem, &c. Ac proindè tales prædictorum ministri, non possunt ad se ipsos tales prædictorum Sacramentorum materias attrahere, & copulare cum tacitis verbis, vel signis, sicuti possunt ministri Sacramenti Matrimonij, qui profectò sunt ipsi contrahentes materia, & forma ipsius Matrimonij; qua de causa: in eis signa, ac voluntas tacita sufficit, sed necessarium est in eis omninò cum externis verbis, ipsorum pronunciare formam, sicut necessarium est in eis omninò cum externis materijs Sacramenta ipsa conficere; proindè dicebat D. Augustinus. Accedit verbum elemento, & fit Sacramentum.

396 An sufficiat in Matrimonio puellæ taciturnitas? videlicet, puella, matrimonium contrahens, nolit loqui, nec signum aliquod viro ostendere, quòd ipsa velit cum eo in matrimonio copulari, & coniungi, sed alius pro ea respondet?

Respondeo, quòd si loquens est ipsius puellæ pater, vel tutor, volunt Sacri Doctores, quòd matrimonium valeret, quod certè non valeret, si loquens, extranea est persona; puta non pater, vel tutor.

Ve-

Verùm est, quòd dicere possumus, quò ad Deum esse matrimonium, si tamen quando extranea persona loquitur, puella consentit intrinsecè omninò: imò etiam si nulla pro ea loqueretur persona; secùs verò esset nobis dicendum nimirum matrimonium, non valere, quò ad Deum, quando scilicet Pater, vel Tutor, vel ipsa puella externè loquitur, ac signa plurima ostendit extrinsecè, quod velit cum tali viro matrimonium contrahere, & cum ipso coniungi: at omninò interius repugnat, & contradicit; quoniam Christus, qui est Sacramentorum author: respicit cor, & non manus.

Quandò confertur gratia, ac peccatorum fit remissio, in hoc 397
Sacramento, in mutuo consensu? An in prima coniugali copula? An verò in nuptiarum benedictione?

Respondeo, quòd gratia, ac peccatorum remissio, tunc datur, ac confertur virtute Sacramenti, quando scilicet concurrit consensus de præsenti amborum coniugum simul; vt specialiter est videre apud Sot. 4. sent. dist. 26. q. 2. art. 3. in fine concl. 1.

Quot anni requiruntur, matrimonium contrahere volenti- 398
bus?

Respondeo in viro quatuordecim, in muliere verò duodecim anni; quod si vir matrimonium per verba contrahit, ante annum decimumquartum, & mulier ante duodecim annum, nullum certè dicitur esse matrimonium, sed sponsalia, tantum de futuro intelliguntur, nisi sint propè illud tempus, in quo malitia fortasse supplet ætatem; quoniam verò hic casus est iudicatu difficilis, teneatur tutior pars.

Quare ad contrahendum sponsalia, septem annorum sufficit 399
ætas, tùm viro, tùm mulieri, & in matrimonio, duodecim annorum requiritur ætas in fęmina, & quatuordecim in masculo?
Respōdeo, quia ad contrahendũ spōsalia tantũ requiritur animæ consensus, ac rationis vsus, quem quilibet in septennio, habere potest, sed ad Matrimoniũ, nè dum animæ requiritur consensus, ac rationis vsus, verum etiam corporis potentia coeundi, atquè generandi; quæ coeundi potentia, atquè generandi non sic in septennio haberi potest, sed in duodecimo anno in fęmina, & in viro in quartodecimo, vt philosophus ait, & experientia docet.

Quot, & qualia sunt impedimenta, quæ matrimonium im- 400
pedi-

pediunt contrahendum, atquè contractum, dirimunt?

Respondeo, duodecim sunt his contenta carminibus.

Nimirum.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, vel si coire nequibis.

Primum. Error: contrahitur per matrimonium, in quo putabatur à viro ducere vnam, & ipsi datur alia; quoniam si quis consentiret in aliquam, credens illam esse filiam Principis, vel Regis: si postea non est ea, in quam intendit consentire, nullum dicitur esse Matrimonium, vel Sacramentum; quoniam consensus deficit. Similiter, si Ioannes dicit, se esse Paulum, & mulier in ipsum, tanquam in Paulum, consentit, matrimonium non dicitur, nec Sacramentum: si verò mulier, sciens ipsum esse Paulum cum sit pauper, vel difformis; istis conditionibus, ac circumstantijs matrimonium non vitiatur, nec Sacramentum; quoniam in hoc, non deficit consensus, vt supponimus.

Secundùm, Conditio; idest cum quis putat duceret liberam ac ipsi datur serua; vnde si liber, cum ancilla, vel libera cum seruo ignoranter contrahunt, nullum matrimonium, nullum Sacramentum contractum erit; si verò scienter è contra: tunc imputandum est ei, qui matrimonium contraxit; similiter, si seruus contraheret cum ancilla, quam liberam esse putabat; quoniam non habet seruus, quod ei obijciat, cum sit paris cum ea conditionis, ac multò minus decipitur: si cum libera contrahit, quam ancillam esse putabat.

Notandum est hic; quod si seruus, de licentia sui domini, matrimonium contraxit, magis ad matrimonij redditionem tenetur, quàm seruitijs domini, quoniam dato, quod eius dominus; ei dedit licentiam contrahendi matrimonium; iam intelligitur, ei concessisse omnia, quæ matrimonio de iure conueniunt; si verò ignorante, vel contradicente domino, contraxit; tunc magis domino suo obedire tenetur, quàm vxori debitum reddere matrimoniale; licet propter tale castitatis periculum, semper sit studiosè cogitandum quomodò possit matrimonio satisfieri, nè propter temporalia, animæ detrimentum patiatur; ac proindè vbi alicuius damnabilis corruptelæ, periculum immineret seruo, semper est consulendum, vt magis debitum matrimoniale reddat vxo-

vxori, quàm domino seruitium: idcircò cogendus est eius dominus, nè seruum ipsum taliter impediret, vt ei castitatis periculum sequatur, ac ipsi dicatur, quod magis debeat diligere salutem serui sui, quàm temporalia bona domus suæ.

Tertium, Votum sollemne. Quod est illud, quòd fit per professionem expressam, vel tacitam in habitu alicuius Religionis à S. M. E. approbatæ: dicitur autem, professio tacita facta, in Religione, quando nimirum nouitius, toto anno integro, absq; vlla interruptione, Religionis habitum portauerit; elapso verò anno intendit liberè, & spontè professionem facere, ac omnia quæ alij professi religiosi obseruant: auferendo à se nouitiatus signum, per quam signi nouitiatus oblationem, professio inducitur; atquè sciat, talis nouitij voluntatem, superior; & ipsum in suam acceptet religionem; in qua acceptatione tacita, professionem inducente; tres dies continui cum perseuerantia habitum ferendo, Nouitio sufficiunt, cum proposito etiam profesandi, vt Sacri aiunt Doctores, specialiter per c. constitutionem. de regul. in lib. ibiquè Glossa in verb. infra probationis.

Impedit verò, atquè dirimit votum sollemne, matrimonium; quoniam homo in aliqua Religione approbata professionem faciendo, non solum propter talem suam professionem, Deo castitatem seruare promittit, verum etiam corpus suum alteri tradit, nimirum superiori Religionis, ita quòd amplius in suam non redeat potestatem; sicut in voto simplici; quamuis enim votum simplex matrimonium contrahendum impediat, tamen contractum, non dirimit; quoniam ipse homo vouens sui corporis dominus est; eo quia, non ex hoc, quòd aliquis rem aliquam promittit: desinit res illa, in sua esse potestate, immò potest suum corpus alteri dare, in qua datione matrimonij Sacramentum consistit, quod quidem indissolubile est, contrahentium vita durante.

Quartum, Cognatio; quæ triplex est: puta. Prima, spiritualis, quæ per Baptismum, ac per Confirmationem contrahitur ex Sacr. Conc. Trid. sess.24. c.2. de Reform. Matrim. Et solum habet locum inter baptizatum, & baptizantem, illiusquè patrem: ac matrem baptizati, & tenentem in Baptismo: vt diximus supra: cum de Baptismo.

Secunda, Legalis; quæ est quando quis, aliquem per adoptio-

nem

nem in filium, vel nepotem accipit extraneæ personæ, quæ tres lineas habet. Prima, inter adoptantem, atquè adoptatum, & filios, ac nepotes adoptati, & sic deinceps descendendo; Secunda, inter adoptatum, ac naturales, legitimosquè adoptantis filios, quamdiù in potestate sunt patris; nam in patris morte, vel emancipatione naturalis filij, vel adoptiui, non impeditur matrimonium, impeditur nihilominus inter patrem naturalem, atquè adoptantis matrem, & inter patrem adoptantem, atquè naturalem matrē adoptati. Tertia, inter adoptantis vxorem, atquè adoptatum, & inter adoptantem, atquè vxorem adoptati, & hæc tanquàm in prima, perpetua est. Lex enim diuina illas præcipuas personas à matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne si eis liceret carnalis copula, faciliter pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam, matrimonium est ordinatum.

Notandam hic sunt quinque super adoptionem. Primò, quod duplex est adoptio, puta: imperfecta, atq; perfecta: imperfecta est, quādo adoptatus non transit in potestatē adoptantis, sed in potestate patris naturalis remanet. Perfecta adoptio est, quādo adoptatus in patris adoptantis transit potestatem, ita vt adoptatus adoptantis, succedat ab intestato, & non potest eum pater adoptās quarta hæreditatis parte priuare. Secundò, quod quando supra dicitūr (extraneæ personæ) non propterea excluduntur consanguinei, qui quidem adoptari possunt, sed extraneæ personæ, extranea autem persona illa dicitur, quæ ante quàm adoptaretur, non erat sub adòptantis potestate. Tertiò, quod omnis, possit alium in filium, ac nepotem adoptare, qui non sunt à lege prohibiti, prohibentur enim à lege adoptari multi: primò. Castrati omninò, non autem spadones, qui ex defectu accidentali generare non possunt; Secundò, qui non est sui Iuris. Tertiò, frigidi. Quartò, minores annorum 28. Quintò, fœmina, nisi ex particulari Principis priuilegio, & breuiter dico adoptari posse omnem illum, qui generare potest alium, potest inquam in filium, ac nepotem adoptari etiam si sit Sacerdos, modò adoptans, sit maioris ætatis, quàm adoptatus, annis decem, & octo, & adoptatus, præsens sit, vt in lib. Adoptio est videre. Quartò, quod in quantum Adoptio, vel Arrogatio matrimonium impedit, contrahendum, atquè contractum dirimit: à Sancta M. Ecclesia inducta fuit; in quantum autem adoptatus, ad hæreditatem

tem

tem adoptantis successiuè succederet à Iure ciuili fuit inducta, vt principaliter est videre apud D. Thom. in Addit. 3. p. q. 35. art. 2. Sotum 4. sent. dist. 42. q. 2. art. 1. Quintò, quod non possit quis alium in fratrem, vel sororem adoptare, vt videre licet apud Sylu. verb. Adoptio q. 7. quoniam Adoptio, imitatur naturam: sed monstruosum est, fratrem generare fratrem, vel sororem, &c. ergo etiam adoptare. Tertia, naturalis, nimirum: inter consanguineum, & consanguineam, quæ vltra quod matrimonium contrahendnm impedit: atquè impedit, seù dirimit contractum, vsquè ad quartum gradum inclusiuè, sunt ipso iure, ipsoq; facto, excommunicati, contrahentes maiori excommunicatione, vt alibi diximus.

Sciendum nihilominus est, quod linea consanguineitatis, matrimonium contrahendum impediens, atquè contractum dirimens, in linea recta in infinitnm tendit: quoniam inordinatum est, quòd filia, patri, vel filius, matri per matrimonium coniungantur ad inuicem causa prolis generandæ, atquè educandæ, quos oportet, per omnia Parentibus esse subiectos, veluti ex ipsis procedentes; in linea verò transuersali impeditur matrimonium, vsquè ad quartum gradum inclusiuè. Matrimonij enim finis secundarius est concupiscentiæ repressio, quæ deperiret, nisi inter personas, quas oportet in eadem domo conuersari frequenter, propter consanguinitatem, esset carnalis copula interdicta: quandoquidem gradus in transuersali linea, sic computantur breuiter, videlicet. Quòto gradu, quis distat à stipite, toto, & à quolibet descendentium; & hoc sic intelligitur duabus propositis personis; puta, si proponatur Antonius, & Catharina; statim eorum debes quærere parentes, ac parentes parentum, quousquè ad certum stipitem peruenias, nimirum ad vnum patrem, vel ad vnam matrem, à quibus omnes illi successiuè descenderunt; quo facto, si gradus non sunt æquales in vtraquè linea, vbi plures gradus sunt. Accipe personam, vel gradum distantem magis à stipite in linea, & quoto gradu persona ista distat à stipite, toto à quolibet distat descendentium in breuiori linea alterius partis, vel æquali, si æqualis est: puta si Antonij pater est Franciscus, eiusquè pater Petrus, Petri autem pater est Nicodemus, qui Nicodemus etiam per aliam lineam sit pater Caroli; Carolus autem Alexandri; Alexander autem Philippi;

Philippus autem Vrsulæ; quoto gradu Vrsula à Nicodemo distat, toto distat ab Antonio, Francisco, ac Petro; quia ergo Vrsula est in quarto gradu à Nicodemo, qui est stipes; sequitur secundum regulam, quòd etiam in quarto gradu à quolibet descendentium per aliam idest ad Petrum, ad Ioannem, ad Franciscum; patet eorum nullum posse in vxorem Vrsulam ducere: si autem Vrsula generasset, seù peperisset filiam Catharinam, clarum est, quod ipsa Catharina in quinto gradu à quolibet illorum trium esset, & sic quilibet illorum cum Catharina contrahere posset; Hæc autem regula infallibilis est ad inueniendum in transuersali linea, gradum; in linea verò recta iam patet apud Sacros Doctores, quod nullus in æternum contrahere possit matrimonium cum aliqua, quantumcunquè distanti per lineam rectam; vnde si Adam resurgeret, cum nulla muliere in mundo contrahere posset, prætcrquàm cum Eua. Similiter Eua cum nullo viro, præterquàm cum ipso Adamo; cum omnes nos verè sui essemus filij, ipsorumquè descendentes, vt autem simplex, faciliter regulam intelligat ponimus infra, gradus hoc ordine, videlicet.

	Nicodemus.		
1	Petrus, stipes.	Carolus.	1.
2	Franciscus.	Alexander.	2.
3	Antonius.	Philippus.	3.
		Vrsula.	4.
		Catharina.	5.

Secundum impedimentum est crimen, vt quando aliqua mulier, proprij mariti mortem machinatur, vt alterum obtineat, vel vir aliquis ipsius mariti machinatur mortem ad tollendam ipsam in vxorem, vndè si effectus exequatur, nunquam se in matrimonium (absquè Summi Pontificis dispensatione) accipere possunt. Similiter si vir aliquis, vel aliqua mulier ad inuicem se dant fidem, cum promissione se mutuo accipere, seù coniungi in Matrimonium, post viri illius mulieris mortem, vel post mortem vxoris illius viri promittentis, siuè ante hoc, siuè postea carnalis copula fuerit sequuta.

Sextum, Cultus, Disparitas; idest inter baptizatum, atquè infidelem; ac si ambo infideles erant, & alter ad fidem Catholicam conuertatur, non debet illam, vel illum relinquere: ait enim Apostolus prima ad Cor. c. 7. [Si quis frater vxorem habet infidelem,

lem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, ac si aliqua mulier fidelis, virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum, sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, aliòqui filij vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.

Si verò ipsorum vnus, nimirum vir fidelis, vult, ab infideli muliere separari potest; non tamen aliam potest accipere; si verò, vel noluit cum ea habitare, vel quia extaret Creatoris contumelia, vel quia ab ipsa, ad infidelitatem pertraheretur, falsis argumentis suadendo virum suum. In his quippè casibus, vir fidelis; potest alteri Catholicæ mulieri in matrimonium coniungi; & è contra: nimirum, si mulier habitando cum marito infideli, huiusmodi pateretur pericula, nubat cum viro catholico, si vult; vt præsertim patet apud D. Thomam 4. sent. dist. 39. art. 5. at si vir fidelis plures habet vxores, & omnes cum eo habitare volentes, minimè potest illas omnes tenere, sed primam, cum qua primò contraxit, dimissis alijs: per eumdem D. Thomam loco præcit. art. 3.

Septimum, vis, idest violentia accusans verbum timoris, vel mortis, vel stupri; quandò igitur Sacri Doctores dicunt, quod si non fuisset metus, in constantem virum cadens, matrimonium intelligendum est, non quantum ad veritatem, sed quantum ad iudicium Ecclesiæ, quæ semper exterius iudicat, &c.

Octauum, Ordo, idest, qui in Sacro ordine est constitutus, puta. Subdiaconatus, ac minoribus, idem enim est, sicut in voto sollemni.

Nonum, ligamen; idest, qui cum vna per verba de præsenti contraxit, non potest amplius cum alia contrahere, licet secundum, & non primum consumauerit, tenet primum, cum prima sit obligatio, ac promissio.

Decimum, Honestas, idest personæ consanguineæ in primo gradu, non possunt contrahere matrimonium cum illa, cum qua aliquis ex ipsis sponsalia contraxit.

Vndecimum, Affinitas, idest, Parentela, quæ ex carnali fornicationis copula contrahit, impedit, ac dirimit in primo, & secundo gradu tantùm.

Duodecimum. Si coire nequibis; idest impotentia coeundi,

siuè ex naturali, siuè ex maleficio perpetuò; quod quidem impedimentum ponit debitum in Confessore, mittendi pœnitentem ad suum Prælatum, vt supra hoc prouideat: cui tres à Iure conceduntur anni ad videndum. An meliùs se habuerit. Hoc autem non quando, tolli minimè potest absquè miraculo, vel mortali peccato, aut vitæ periculo, Prælatus enim tunc tali casui prouidere potest, quando sperat, quòd maleficium, atquè impedimentum tolli potest.

Imò ex Sacro Conc. Trid. sess. 24. c. 1. additum fuit, Matrimonium clamdestinum contractum, nimirum, occultè, pariter non tenere. Porrò D. Euaristus Papa fuit primus mandans, quòd Matrimonium publicè celebretur, ac Sacerdotis benedictio adhibeatur.

401 Quæ debent Matrimonium præcedére, vt clamdestinum, idest occultum non dicatur?

Respondeo ex prædicto Conc. Trid. loco præcitato, hæc omnia debere præcedere, nimirum. Primò, tres denunciationes à Parocho in Parochiali Ecclesia in tribus diebus fœstiuis continuis; secundò: si nullum apponatur impedimentum, procedatur in facie Ecclesiæ: vbi Parochus, vel alius Sacerdos, de ipsius licentia virum, & mulierem interroget, & eorum intellecto consensu dicat: sic. Coniungo vos in Matrimonium: in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen; vel alijs vtatur verbis, iuxta Prouinciæ ritum. Tertiò, antequàm contrahant, spatium habeant trium dierum, confitendi sua peccata ipsi coniuges, ac comunicari, & si hæc omittantur ab ipsis, mortaliter peccant, nisi Episcopus in hoc dispensaret; est tamen Matrimonium, dummodò intersit Parochus, vel alius Sacerdos de ipsius licentia, non obstantibus quibuscunquè priuilegijs, cum duobus vel tribus testibus, at si secus fieret, certè non teneret Matrimonium: hæc sunt sollemnitates, & cœremoniæ, vt matrimonium non dicatur clamdestinum.

Præterea sunt hinc nouem adnotanda.

Primò, quod Parochus hodiè, præter supradictas sollemnitates, debeat ex præcepto Sacræ Congregationis, explorare puellæ voluntatem, priusquàm in Ecclesia faciat denunciationes, & hoc facere iubet Sancta Mater Ecclesia, nè aliquòd scandalum oriatur.

Se-

Secundò, quòd in Matrimonio sufficiant testes, nimirum Pater, Mater, frater, sorores, alijquè contrahentium consanguinei; vt principaliter est videre apud Angelum verb. testes num. 13.

Tertiò, quòd Parochus vnum debeat in Sacristia tenere librum, in quo coniugum, ac testium nomina, diemquè Matrimonij contracti describere, aliæquè consuetudines laudabiles, secundum diuersarum prouinciarum ritus, seruantur.

Quartò, quòd vagantes, incertasquè habentes sedes, non passim ad Matrimonium contrahendum, admictantur, sed prius Parochi diligenter faciant inquisitionem, & huius negotij causa illos ad ordinarium deferant, vt ab eo contrahendi licentiam obtineant.

Quintò, quòd prohibentur nuptiæ à S. M. E. ab Aduentu, vsquè ad octauam Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsquè ad octauam Paschæ Resurrectionis inclusiuè. Prohibentur, inquã, in his temporibus nuptiæ, quoniam in ipsis consueuerunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi, idcircò nuptiæ, seù couiuges simul in domo habitare, & matrimonium consumare prohibentur à S. M. Ecclesia à prima dominica Aduentus (vt diximus) vsquè ad diem Epiphaniæ octauum: & à feria quarta Cinerum, vsquè ad octauam Paschæ Resurrectionis inclusiuè, in his enim temporibus solent homines deuotè comunicare, ac etiam cum nuptiæ habentur, debent comunicare.

Sextò, quod quamuis Episcopus non possit iubere, vt denunciationes fiant in diebus ferialibus, vt definitum est ab Eminentissimis Cardinalibus, vt specialiter tradit Legura num. 17. posset tamen Episcopus ipse ob temporis vicinatum, quo prohibitæ sunt nuptiæ aliquas remittere denunciationes secundum eius prudentiam, ac iudicium, maximè in illis regionibus, vbi minimè contrahitur matrimonium, nisi statim sequantur benedictiones nuptiales: dicitur supra (maximè in illis regionibus, &c.) quoniam aliqui volunt, quod vbi anni quocunquè tempore separatim contrahitur Matrimonium, non sit opus tali Episcopi remissione.

Septimò, quod etiam Parochus potest in aliquibus casibus, Matrimonium facere, absquè dictis denunciationibus, quandò nimirum alicuius instaret mors, qui vellet concubinam in vxorem ducere ratione salutis animæ suæ, honoris, ac famæ, legiti-

man-

mandæ prolis,&c. quoniam tunc si superiorem non potest adire, ipse Parochus poterit sinè denunciationibus, coram legitimis testibus matrimonium contrahere, vt specialiter patet apud Dom. Franc. Sarmento lib. 5. select. c.6. n.7. Sotum 4. sent. dist. 28. q. 1. art.8. aliosquè, quos refert, ac sequitur Directorium Iudicum c. 16.n.4. & 5. atq; optimè tradit Nauar. in manuali c.16. nu. 37. in fine, ac etiam procedit per omnes casus, vbi daretur periculum, si Episcopi, vel eorum Vicarij copia non donaretur secundum Doct. præcit. Ratio huius est ea, quia tales denunciationes sunt de iure canonico, occurrere autem tali periculo, nimirum mortis, est de Iure diuino, vt patet.

Octauò, quod etiam in sex alijs casibus poterunt ex licentia ordinarij has admittere denunciationes, vt principaliter patet apud Palud. 4. sent. d.28. q.2. art.3. quorum, primus est, quando aliquis illustrissimus vir ducit ignobilem in vxorem. Secundus, quando diues ducit in vxorem pauperculam; Tertius, quando senex iuuenem ducit in vxorem; Quartus, quandò inter magnates; Quintus, quando contrahentes timent parentes; Sextus, quando dicti habiti fuerunt prò coniugibus, & contrahere non audent propter verecundiam; imò ex duobus alijs modis contrahi potest Matrimonium absquè denunciationibus, vt patet per Doct. Loegura in Derectorio Iudicum in c. 14. n. 15.

Primus est, quando virgo sub tutela est constituta iniqui Tutoris, quæ eam tradere vellet in vxorem viro ignobili, vel indigno; quoniam tunc ante Concilium, clamdestinè, & absq; peccato contrahere poterat, vt ait Caetanus 3. tom. opus. quæst. 2. de vsu Matrimonij, ac etiam notat Henriq. c. finali infra de sponsalibus.

Secundus est, quando vir feminam deflorat, ac damnum amissæ virginitatis, ei nubendo reparare intendit, quia periculum est in mora, si matrimonium denunciationibus deferatur.

Nonò, quod si aliquis Parochus interdictus fuerit à suo Episcopo, nè interueniat ad matrimonium, non propter hanc prohibitionem matrimonium ipsum sic contractum non valeret, sed sicut sine tali prohibitione, ita cum tali prohibitione; quoniam Concilij Congregatio (vt licet videre apud Viualdum in suo Candelabro aureo, in tract. de quibusdam quæstionibus in

pag.

pag. 726. 727.) declarauit, quod non potest eius authoritas, ab Episcopo impediri, nisi prius illum iustè à beneficio priuasset; ità secundum eamdem Concilij Congregationem ibidem. In tribus alijs casibus matrimonium valeret. Primò, quando non inuitus Parochus interuenit, sed volens contra prohibitionem ordinarij. Secundò, quando Parochus inuitus, & compulsus, per vim adhæsit, cum contraheretur matrimonium præcedente, vel non præcedente dicta prohibitione, vel interdictione. Tertiò, si adsit Sacerdos, dum contrahitur Matrimonium, casu non cogitans, nec ad id vocatus, sed aliud agens, audiuit duos inter se contrahere matrimonium, cum non fuerit vocatus ad id expresè, nec interposuerit suam authoritatem, dicto, vel facto. Nō valeret matrimonium per prædictam Concilij Congregationem, si Parochus adfuit quidem nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, nec audiuit, modò non data opera non intellexerit, nàm alias contrarium esset dicendum.

Quot, et quę sunt impedimenta, quę Matrimonium impediunt contrahendum, sed contractum non dirimunt? 402

Respondeo duodecim, sicut illa impedimenta redimentia, quæ his continentur carminibus.

Puta.

Incestus, votum simplex, spiritualia, tempus.
Alterius sponsæ raptus, nec non catechismus.
Infantem proprium ad fontem, vel chrisma dolosè
Portans; Presbyter, aut vxoris cæde cruentus.
Pœnituit publicè, vel subiacet interdicto.
Coniugioquè sciens, sacra cum virgine vnctus.
Coniugio abstineat, nisi si fortè ligatus.

In his duodecim casibus quærat, qui vult Matrimonium contrahere per dispensationem ab Episcopo, si verò fuerit contractum matrimonium, quærat dispensationem exigendi debitum, nam aliter peccabit mortaliter; quoniam quamuis hoc modò contractum matrimonium teneat; tamen contrafaciens ipso iure, ipsoquè facto suspensus, atquè interdictus remanet ad exigendum matrimoniale debitum, at licet reddere exactus.

Notandum est ergo, quod non solum Episcopus in casibus matrimonium impedientibus dispensare posset, verum etiam in redimentibus, tanquam Summus Pontifex, occurrentibus tamen quaqua-

quatuor : nempè : Primò, impedimentum occultum. Secundò, Matrimonium publicum. Tertiò, ſeparatio, maximè ſcandaloſa. Quartò, quando quis ad Summum Pontificem, propter legitimam cauſam, non poſſet ſe præſentare pro diſpenſatione, vt quando nimis eſt pauper, nimis infirmus, vel inimicitias habens capitales, quas fugere non poſſet, abſquè mortis periculo, & huiuſmodi, vt ſpecialiter eſt videre apud Ang. Sylueſtr. quos refert, ac ſequitur Nauar. c. 22. n. 19.

Imò hic tria ſunt adnotanda. Primò, quod quando Epiſcopus diſpenſare poteſt, non debet eſſe ad diſpenſandum difficultoſus, maximè iuuentuti, nè periculum alicuius damnoſę corruptionis incurratur, &c. Secundò, quod (vt refert Cruz in ſpeculo coniugiorum 1. p. art. 33. ad fin. in vltima impreſſione) poſſunt omnes mendicantes in foro conſcientiæ diſpenſare coniugibus, ad petendum debitum, quod quidem fuit conceſſum à quodam Summo Pontifice cuidam Prouinciali Auguſtiniano, nimirum diſpenſandi coniugibus ad exigendum coniugale debitum, quod certè conceſſum fuit omnibus mendicantibus per participationem. Tertiò, quod ad diſpenſationem inter quartum gradum, ſecundum Nauarr. præcipuè 122. in fine; tres tantum cauſæ ſunt. Prima, defectus dotis competentis. Secunda, extintio magnæ litis. Tertia, quod maior pars, ſibi parrim ſuæ Ciuitatis, vel loci inſignis, quem inhabitat, ſint ei conſanguinei, vel affines, intrà quartum gradum, vel ſi eſt alius minor; ſi ipſa non habet ſufficientem dotem extra illum, ad nubendum.

De Redditione debiti coniugalis.

803 AN contracto matrimonio, ſtatim teneatur debitum coniugale ad inuicem reddi à coniugibus?

Reſpondeo, quod non infra duos proximos menſes, quandoquidem ipſi coniuges (vt præſertim patet apud D. Thom. 4. ſent. diſt. 28. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 2.) duos habent menſes à Iure conceſſos poſt matrimonium contractum in ſua poteſtate; vt meliorem ſtatum eligant, nimirum Religionis; & vno Religionem intrante, non poteſt alter cui vult, nubere, ante profeſſionem, poteſt tamen poſtea; vide D. Thom. 4. ſent. d. 27. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 3.

An

An duobus mensibus elapsis, teneantur statim ad inuicem coniuges debitum reddere? 404

Respondeo, quòd quotiescunquè, post duos menses elapsos à Iure concessos, vir, vel mulier, ad inuicem debitum petunt matrimoniale explicitè per verba, vel tactum, vel implicitè aliquo modesto modo: tenentur consentire, ac ideò mortale est peccatum, non reddendo, nisi iusta, ac legitima causa excusaret, vt si vir esset infirmus, vel alio accidente multum debilis, vel si vxor haberet, aliquod morbum turpe: & his similia. D. Thom. in Add. 3. p. q. 54. art. 2.

Est nè peccatum mortale, ante nuptiales benedictiones, matrimonium consumare? 405

Respondeo, quòd non (vt videtur præcipuè apud D. Thomam 4. sent. d. 29. art. 2. Nauarr. c. 16. n. 38. Angel. debitum n. 1.) nisi sit per Prælatum expræssè prohibitum; Prælati enim multoties casum faciunt reseruatum in suis Diœcesibus, antè nuptiales benedictiones, matrimonium consumare, & benè faciunt, propter impedimentum aliquod, matrimonium ipsum contractum dirimens, vel impediens.

Verum aliqui DD. asserunt, quòd consumare matrimonium, ante benedictiones nuptiales, sit peccatum mortale, quamuis nulla sit in Diœcesi per Prælatum reseruatio.

An consumare in Ecclesia matrimonium: sit peccatum mortale? 406

Respondeo cum Soto, Couarruuias 2. p. c. 7. nu. 3. Caetan. verb. Matrim. vsu. Nauar. c. 16. n. 32. quòd quocunquè modo coniugalis copula in Ecclesia habeatur, semper est mortale peccatum, nec coniuges excusantur ob longum tempus, vel dicentes, quòd aliam non possunt habere commoditatem; quoniam Ecclesia, non est concupiscentiæ domus, sed orationis, & sanctitatis, iuxta illud Psal. 92. Domum tuam Domine, decet sanctitudo. Verum est, quòd aliqui oppositum tenent.

An carnalis copula, inter coniuges, ante, vel post communionem habita, sit mortale peccatum? 407

Respondeo, quòd secluso omni malo fine, & contemptu, tantum est veniale peccatum in exigente, propter tanti Sacramenti irreuerentiam, in reddente verò esse poterit sinè peccato veniali, immò potest esse meritum, propter obedientiam, quod idem

dicimus de exigente, quando nimirum ad hoc faciendum, mouetur ex iusta causa, puta ad euitandam Dei offensam, vel prolem generandam.

408 An accedere ad mulierem, menstrui tempore, sit peccatum mortale?

Respondeo, quod non; nec venialiter; si tamen iusto petatur fine: nimirum aduitandum Dei offensam, per mortale peccatum imminens in carne, vt licet videre apud Palud. 4. sent. dist. 32. q. 2. art. 5. Vict. n. 276. Diuum Anton., Castor., aliosquè quos refert, & sequitur Nauarrus c. 16. n. 33. Sot. dist. 32. q. 1. art. 2. Verum est, quod aliqui oppositum tenent, vt est D. Thomas 4. sent. dist. 32. q. 2. art. 2. Sylu. verb. debitum n. 8. quorum opinionis ratio hæc à me esse iudicatur: nimirum; quòd si in ipsis menstruorum temporibus, ingrauidantur mulieres: leprosos, ac imbecilles conciperent filios; quoniam menstrualis sanguis venenosus est, imò venenosissima est mulier menstruata, vt patet in lib. de causis causæ, relucet in effectibus etiam per Philosophum. Effectus aliquam similitudinem suæ causæ gerit, igitur ille natus malè disponitur: imò Aristoteles de Gener. Animal. ait, quòd menstruum recens, ac fluens, si arborem, vel eius ramum virentem tangat, talis decrescit, ac deficit. Item, si canis gustaret de sanguine menstruali tertia die rabidus fieret; ac si ab ipso muscæ tanguntur, illo eodem die moriuntur. Propterea prouida natura: omni mense, menstruum voluit à mulieribus expellere, vt inimicum naturæ; ac si vltra tempus in illis permanserit, secundùm prædictum Aristotelem, pessimas infirmitates inducet; puta. Sycopem, atquè exstasim.

Non venenantur mulieres ipsæ, talem menstrualem sanguinem in ipsis habentes: quandoquidem venenum, in seipsum agere nequit, sed in aliud obiectum; vel quia (& hoc est melius) in mulieribus telis est consueta natura. Refert Albertus Magnus de quadam puella, quæ in Colonia ad ipsum ducebatur, comedit tot araneas, nihil ei nocentes, sed potius optimus cibus ipsi fuerunt. Et Aristoteles in lib. de regim. Principum ad Alexandrum regem: narrat illi de quadam puella, quæ in iuuentute fuit nutrita veneno; & hoc inquit Commentator in 2. Physicorum, quòd quidam homines consueuerunt, venenum comedere sic, quòd quotidianus eis cibus perfectus erat; & sicut supradictæ mu-

mulieres, menstruum habentes, non venenantur, imò post emissionem sanguinis menstrualis, sunt valdè dispositi ad conceptionem prolis, si quidem benè mundatæ remanēt propter huiusmodi menstrualis sanguinis emissionem. Vnde in Exodo legitur; cum Iudæi, essent in Aegypto, breui tempore augebantur super ipsos ægoptios. Ratio naturalis est; quia viri iudæi, non coibant cum mulieribus suis, nisi à menstruo purificatis, atquè mundatis; tunc enim temporis ad conceptionem erant valdè aptæ, ac dispositæ.

An in diebus fœstiuis, in diebus Processionum, in diebus ieiuniorum, petere debitum coniugale, sit mortale peccatum? 409

Respondeo, quòd aliqui dicunt, non licere semper exigere debitum coniugale, sed debere coniuges se abstinere in multis temporibus. Primò, tribus diebus antè communionem, ob reuerentiam tanti Sacramenti. Secundò in diebus fœstorum, quoniam ab tunc illicitis abstinendum est. Tertiò, in diebus processionum, vt facilius impetretur à Domino id, quòd postulatur. Quartò, in diebus ieiuniorum, maximè in quadragesima: quoniam si quis in istis diebus à cibo abstineat corporali, ita abstinere consentaneum est à carnali delectatione, quòd non est certè tenendum; videlicet, si quis in his temporibus peteret debitum coniugale, peccaret mortaliter, sed solum dicimus, quòd peccaret venialiter, imò nec veniale committeret peccatum (seclusо omni malo fine, ac Sanctæ M. Ecclesiæ contemptu) nam si liberis viris, ac mulieribus, omni tempore, licet matrimonium per verba de presenti contrahere cur illis non licebit debitum exigere matrimoniale, atquè reddere exactum, maximè quando pollutionum pericula currunt? Est autem mortale peccatum exigere debitum ipsum coniugale, quando mulier est partui vicina, infantulo in vtero existente, & mortis imminet periculum, in matrimonio enim plus est incumbendum officio: quàm remedio; cum ad hoc institutum fuerit magis præcipuè.

An coniuges teneantur in debiti coniugalis redditione, ad inuicem expectare, vsquè ad complementum actus; nimirum vsq; ad effusionem seminis? 410

Respondeo, quòd sic; nam aliter non diceretur debiti coniugalis redditio, sed luxuriæ infocatio, & in hoc multi errant coniuges, maximè viri, suam accipientes commoditatem: illam vxoris

Y 2

ris imperfectam relinquentes: debes piè Lector, tibi tales concurrentes peccatores, instruere, vt scilicet suum faciant posse, expectandi vxorem, vsquè ad seminis effusionem, vt sit perfecta coniugalis debiti redditio.

411 An coniuges, modum naturalem in coitu non seruantes, vas tamen naturale seruantes, peccent mortaliter?

Respondeo specialiter per Angelum verb. debitum coniugale num. 25. & 26. Nauarr. c. 16. nu. 42. quòd duobus modis hoc coniungibus contingere potest; primò, cum causa, vt quando mulier est grauida, & vicina partui; secundò, ob tantam brutalem delectationem; quibus suppositis, quocunquè modo non naturali vir ad suam accedit vxorem, dummodò semen intra vas naturale fundat, ac ipsum semen à muliere retineri potest peccatum non erit mortale, sed veniale tantum, etiam si mulier superagrediatur virum; quoniam mulieris matrix ne dum est seminis receptaculum, verum etiam ipsum semen attrahit. Vndè inquit Auerroes 2. Colliget. c. 10. Fuit quædam puella in balneo, vbi spergma proiectum fuit, ac illa puella per attractionem seminis concepit, & peperit. Item ait idem, quod matrix, vt à natura specifica, attrahit semen ipsum, vt magnes ferrum, ac Agates calybem, sic ipsum ad propriam trahit perfectionem.

Nihilominus sunt valdè in hoc reprehendendi coniuges, ac si abstinere nolunt, non debet eos confessarius absoluere, nè matrimonia, euadant meretricia.

Posset hic in fine de redditione debiti coniugalis, peritus adnotare lector hanc sequentem doctrinam, quæ quamuis prima facie, præter ordinem inserta videatur; tamen non inutilem fore existimaui, ipsam propalare, vt ex ea satisfieri posset lector rudium, seù imperitorum petitionibus. &.

412 Primò, quòd non est admirādum, quando mulier aliqua alba, nigrum parturit filium, vel alteri in vultu similem; quandoquidē hoc contingit propter fortem, ac vehementem imaginationē matris conceptionis tēpore: ait enim Auicenna: imaginatio de casu, homines cadere facit, ac de lepra leprosum; sic etiā in proposito; virtus imaginatiua, semper est formatiua fœtus, ac talem formare præcipit, qualis fuit per ipā imaginat'. Vnde refert Albertus Mag. quòd quædā Regina in coitu imaginabatur æthiopē propè lectū depictum in imagine magna, atquè distorta; & sic filium peperit nigrum.

nigrum. Et rursum patet de quadam æthiope Regina, quæ conceptionis tempore albissimum imaginabatur colorem, ac tunc album peperit filium. Insuper clarissimum de Patriarcha Iacob in Sacra Scriptura, exemplum habemus, qui cum socero pactum iniens, quòd nimirum omnes oues talis, vel talis coloris è matris vtero procedentes, ipsius deberent esse in præmium custodiæ, & sic eruditus iuuenis adinuenit modum artificiosum; videlicet, tempore conceptionis ouium, apposuit discoloratas virgas inter aquas, vbi bibere solebant, & sic illæ virgæ discoloratæ similes mittebant species in ouium concipientium imaginatiuam, vndè tempore parturitionis adueniente maxima pars erat ouium Iacob, & caprarum, ac tali via ditatus est vltra modum, & habuit greges multos.

Secundò, quod non est admirandum, nec malè cogitandum, cum aliquæ mulieres monstra pariunt, quoniam ipsa tali modo procreantur; videlicet, funditur semen ad matricis cellulas, quod quidem ad duorum hominum generationem sufficeret, tunc fortè quandoquè contigit, quòd interstitium pellis medians inter duas rumpitur cellulas, atquè in dorso modificantur, & coniunguntur duo distincta capita habentes, quòd si tale monstrum, vnum sit homo, vel duo, ad cor erit respiciendum, & ad caput. Vndè quando sunt in monstro duo corda, duo capita secundum Aristotelem duo sunt homines: facit monstra natura, vt 2. Physic. patet, quia si non, tunc priuaretur suo fine; nam ex possibilibus semper intendit id, quod melius est, ac perfectum producere, sed tandem ex mala dispositionis materia, ac specialis constellationis, non potens est perficere, atquè sufficienter producere; igitur, quod potest, producit, vt Alberti Magni temporibus accidit in quadam villa. Vacca, semihominem vitulum peperit, ac tunc rustici de pastore suspicantes, ei imposuerunt variam rei causam, ac tandem ipsum cum vacca cremare volebant, sed ipse Albertus eruditissimus astronomicus, rei veritatem agnoscens, ex speciali constellatione, hoc factum esse dixit, & sic pastorem ab eorum manibus liberauit.

Et si vis formalia Alberti Magni verba, hæc sunt; [Vidimus bicorpora, eorum nullo erant coniuncta nisi in dorso, atquè habebant duo capita, quatuor pedes, quatuor manus, & ibat ad quamcunquè partem vertebatur.

Item,

Item ait idem. [Narrauerunt nobis, quod duo homines fuerunt in dorso coniuncti, ac erant contrariæ complexionis, & vnus fuit furibundus, alter mansuetus, ac vixerunt per duos annos, & vnus prius moriebatur, alter verò tamdiù superuixit, donec ex fętore infectus, moriebatur.

Tertiò. Nec miretur, quando mulieres mola parturiunt, quoniam hoc accidit ex abundantia sanguinis malè dispositi in matrice.

Quartò, nec miretur quando mulieres, gemellos, ac hermaphroditas concipiunt, quoniam secundum Galenum lib. de Nat. hum. in mulieris matrice, septem sunt receptacula seminis, ac tot possunt pueri naturaliter generari, in quot semen cellulas deiectũ fuerit, quia tres cellulæ in latere dextro sunt, & illic tres generãtur masculi, & tres in latere sinistro sunt, in quibus tres generantur fęmellæ, sed alia cellula in medio istarum est, vbi antiqui Authentici hermophroditã generari dicũt, nimirum hominẽ membrum habentẽ vtriusquè sexus; si igitur mulieres vltra quàm septem generarent, seù parerent filios, hoc potius miraculosè, quàm naturaliter fieret; generatur hermaphrodita, tali modo: nimirum, ipsa natura semper intendit generare masculum, & nunquam fœminam, nam fęmella est vir occasione natus, monstrumquè in natura, vt patet lib. de Animalibus, interdum ergò masculus generatur, qui omnia membra habet principalia, attamen propter malam dispositionem matricis, atquè obiecti, & secundum inæqualitatem seminis, cum non potest masculum producere perfectum, sic fœminam generat, vt hermaphrodita est vtrumquè sexum habens. Et naturales dicunt, quod hermaphrodita sit in virili membro impotens, vt experientia docet. Non habet hermaphrodita duo membra virilia, vel duo fęminalia, sed semper virile vnum, & fęminale, alterum, quia tunc natura aliud faceret frustra, quòd est contra Aristotelem pluribus in locis, præcipuè lib. 3. de Anim. & 4. Met. vbi dicitur, quòd natura, nihil facit frustra; & Deus.

Quintò, nec miretur, quòd mulieres omnes non concipiunt, quoniam secundum Medicos, hoc multiplici, ac diuersa causa procedit: prima est, quia aliquando ex viri parte est defectus; puta: quando ipse vir est naturæ frigidæ, quandoquidem tunc eius semen generationi minimè aptum est. Secunda causa est, quia viri,

viri, ac mulieris semina, non habent proportionem eamdem, vt si vir cholericus est, & mulier phlegmatica maximè: quoniam vt patet ex 1. de Gener. Animal. & 2. de Anim. Agens, & patiens eamdem habere debent proportionem, aliàs actio impeditur. Tertia, causa est, vel quia matricem habent lubricam, per quam semen receptum dilabitur, & minimè intus retinetur. Quarta, causa est, vel quia habent valdè stricta orificia matricum, ita quod semen impeditur, ac si intrat, tunc tardè intrat, ita quòd semen medio tempore, frigesit, sic non valet ad generationem, sed in carneam resoluitur materiam, scilicet, vel quia in eis, propter tantam caliditatem, semen receptum extinguitur, & corrumpitur, vt si pauca aqua in magnum ignem funderetur; vndè videmus, quod feruentes mulieres, luxuriam appetentes, raro concipiunt. Sesta, causa est propter diuersa semina, vt in meretricibus patet, ex quibus earum instrumenta concipiendi destruuntur, atquè lubrica efficiuntur, ita quod semen vnum, aliud destruit, & sic ipsorum nullum ad generationem valet.

Sextò, nec miretur ignarus, quod mulieres in principio prægnantes (puta in 1. in 2., ac 3. mense) non debent multum laborare, sicut nec quando sunt partui vicinæ, quoniam in ipsis primis mensibus conceptionis, facile abortiuus fit, nam sicut pomorum fructus, facilè in principio cadunt, quoniam alimenta, mollia sunt, atquè debilia ita etiam est de pueris in vtero existentibus; verum est, quòd transactis primis mensibus, difficulter fiat abortiuus; tunc enim mulieres ipsæ sunt fortificatæ, ac consolidatæ, & per consequens in eis abortiuus non facilè sequitur. Similiter, in tribus alijs modis posset in mulieribus ipsis abortiuus sequi. Primò, quando multum gaudium habent; tempore enim gaudij, valdè matrix destruitur calore, & per consequens fit in eis abortiuus. Secundò, quando multum timorem habent tunc enim calor ad cor vadit, ipsi subueniendo matricem solam relinquendo; Tertiò, propter corpoream luctationem, ac saltum, quoniam propter talem motum, embrionis ligamenta, soluuntur, & per consequens abortiuus sequitur citò, quoniam diutius materiam retinere non potest.

Verum est, quòd in vetulis mulieribus, non tàm facilè abortiuus sequitur, quàm in iuuenibus, nam mulieres ipsæ vetulæ, crassas, ac benè compactas carnes habent, ità quòd mali humores

in eas

in eas facilè intrare non possint, abortiuum procurantes, sicut in iuuenibus; quoniam iuuenes mulieres corpora habent rara, porisquè plena; qua de causa facilè in eas mali humores abortiuum procurantes, intrant, vel nè natura suum posset consequi effectum.

Septimò, nec miretur, quòd mulieres non debeant, capite dolente filios lactare; quia secundùm Hippocratem 2. part. Aphorismorum. Lac citò in multam transit fumositatem, ac multum habet terrestris materiæ fumositatem ascendens; morbum gignit. Similiter dicendum est, non valere lactem in mulieribus coeuntibus, quoniam (secundum Aristotelem in lib. de Animal.) tempore coitus, subtilior, ac melior pars lactis, ad seminalia vasa vadit, atquè ad matricem, & pars peior in mammillis manet, quæ puerum lactantem, dextruit.

Octauò, nec miretur, quod mulieres, non debent infectum comedere cibum, puta carnes rancidas, &c. quia tales carnes abortiuum facerent faciliter; siquidem in eis infectum semen generarent, animæ proijcit ab eo naturæ matrice nimirum; quoniam aptum pro nobilissima forma non est, puta, & in humana, quòd anima ei infunderetur.

Nonò, nec miretur, quòd fuscarum mulierum lac, melius sit pueris lactantibus, quàm albarum; quoniam fuscæ mulieres, alijs sunt calidiores, & quia nutrimentum calor sufficienter digerit, & sic melius in eis lac fit ad nutriendos pueros.

Notandum hic est, quòd paruæ mammillæ, magis valentes sunt, quàm magnæ; ratio est, quia calor diffusus, atquè dispersus est in magnis, ac sic ibi bona digestio esse non potest; at in paruis, calor est vnitus, ac fortior; igitur paruæ mammillæ sunt valentiores ad lactandum pueros, quàm magnæ, mediocres autem, optimè se habent, cum omne medium, sit optimum.

Decimò, nec miretur ipse rusticus, quòd desperatus coitus inter coniuges, ac nimis assiduus sit valdè nociuus, quandoquidem dextruit visum, corpus exiccat, inquit enim Aristoteles 2. de generat. Animalium. Luxuria, est puræ humiditatis emissio, & cerebrum consumit, ac febres acutas inducit, & secundùm Auerroem: maximè abbreuiat vitam; & Albertus Magnus de passere ait: quòd propter nimium coitum, tantum ad tertium annum peruenit: immò coniuges debent à coitu abstineri corpore repleto,

pleto, quoniam tunc coitus, valdè corpus animalis debilitat. Similiter post balneum, quoniam tunc corporis pori aperti sunt, & calor per totum corpus est dispersus: similiter abstineri debent, post vomitum, ac ventris solutionem; quoniam valdè periculosum est in vno die, duas facere purgationes, sic est de coitu, atq; ventris solutione, cum renes, purgentur per coitum, ac intestina, per vomitum. Similiter quando sunt malenconici, macri, atquè colerici, quoniam hos multum exiccat, cum ex se sint sicci, siccitatem inducit; per oppositum plegmaticis, & sanguineis, coitus multùm prodest, secundum Auicennam, quoniam in eis multum semen est, quod necessariò à natura est expellendum. Verum est, quòd Aristoteles ait, quod omne animal pingue, sit parcum spergmate; quoniam in pinguedinem, semen illud conuertitur.

De Adulterio, & Diuortione.

413 QVid est Adulterium?

Respondeo, quod est alieni chori violatio; quia ex Adulterio ab vno conceptus, ad alterius hæreditatem, nascitur.

414 Quod est grauius peccatum, Adulterium viri; an adulterium mulieris?

Respondeo præcipuè per D. Thomam 4. sent. dist. 35. art. 4. quod quantum ad bonum fidei ad quam coniuges, æqualiter sibi inuicem tenentur; tantum peccat contra matrimonium adulterium vnius, sicut adulterium alterius, sed quantum ad bonum prolis, plus peccatur per adulterium vxoris, quàm viri:

415 Quæ species luxuriæ, magis contrariatur dilectioni proximi?

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 170. art. 1. quod nulla alia species luxuriæ contrariatur dilectioni proximi magis, quàm Adulterium; non enim fit tanta iniuria patri, per stuprum virginis, quæ non est eius connubio deputata, quanta fit iniuria viro per adulterium, cuius corporis, ipse potestatem habet, non vxor?

416 Quid sit fornicatio, & vndè dicatur?

Respondeo, quòd fornicatio ad genus luxuriæ pertinet, & est actus luxuriæ soluti, cum soluta non enim aliam importat deformitatem, quantum est ex se: & dicitur fornicatio à fornice, quia

nimirum iuxta fornices, idest arcus triumphales, atquè in alijs locis, vbi homines cōueniebant, cōgregabantur meretrices, ac ibi polluebãtur. D. Thom. in 4. sent. dist. 41. q. 1. art. 4. quæstiũcula. 1.

415 An fornicatio, sit graue peccatum?

Respondeo per eumdem D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 3. quòd grauitas peccati, secundum se attenditur ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secundum bonum, cui peccatum opponitur: fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri; ac ideò est grauius peccatum, secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra bona exteriora, sicut est furtum; ac alia huiusmodi: minùs autem est peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium.

418 An in fornicatione simplici, æqualiter peccent vir, & mulier?

Respondeo per eumdem D. Thom. in 4. sent. dist. 35. art. 4. quod cæteris paribus grauius peccat vir, quàm mulier, quia habet, plus de bono rationis, quod præualet quibuscunq; motibus corporalium passionum.

419 An ad approbandam fornicationem, semper requirantur testes?

Respondeo per eumdem Diuum Thom. loco præcit. artic. 3. quòd si de fornicatione commissa, non constat, possunt esse violenter suspitiones fornicationis, quibus probatis, videtur fornicatio, esse probata, vt si inueniatur solus, cum sola, horis, ac locis suspectis, ac nudus cum nuda.

420 An coniuges, possint se ad inuicem licentiare ad fornicandũ?

Respondeo per eumdem D. Thom. 4. sent. dist. 33. q. 1. art. 3. quæstiuncula 2. quod mulier habet potestatem in corpus viri, & è contra vir in corpus mulieris, non simpliciter quantum ad omnia, sed solùm quantum ad vsum matrimonij, & ideò non potest contra Matrimonij bonum mulier, corpus viri, alteri præbere, nec vir corpus mulieris, &c.

421 An semper vir possit, propter fornicationem, vxorem dimittere?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; & hoc accidit in septem casibus. Primò, quando ipsemet eam constituit. Secundò, quando ipse cum alia fornicatus fuit; Tertiò, quando ei occasionem fornicandi dedit; Quartò, quando ipsa credens probabiliter virum mortuum esse, alteri nupsit; Quintò, quando

do violenter ab aliquo oppressa fuit; Sextò, quando sub specie viri sui, ab altero cognita fuit; Septimò, quando fuit à viro post adulterium manifestè depræhensum, sed tamen retenta.

An vir occultè adulterans, possit petere diuortium ab vxore manifestè in adulterio depræhensa? 422

Respondeo per eumdem D. Thom. 4. sent. dist. 35. art. 6. quòd talis peccat, sic petendo, quia per hoc non confertur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulteræ, quamuis desit sibi probatio.

An vir possit dimittere vxorem fornicantem, sine iudicio Ecclesiæ? 423

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd vir potest dimittere vxorem dupliciter; vno modo: quantum ad thorum tantum, & sic potest eam dimittere, quàm citò sibi constat de vxoris fornicatione propio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur; alio modo, quantum ad thorum, & cohabitationem simul, & sic non potest dimitti; sinè iudicio Ecclesiæ.

An eam sic dimittens, sinè Ecclesiæ iudicio, possit compelli ad recipiendum eam? 424

Respondeo per eumdem D. Thom. quòd sic; nisi possit ei vir in incontinenti fornicationem probare.

Quid dicatur diuortium? 425

Respondeo per eumdem D. Thomam, quod dimissio vxoris, quantum ad thorum, & cohabitationem, quod diuortium non potest celebrari sinè Ecclesiæ iudicio. Est autem diuortium, coniugum diuisio, ac separatio, ob aliquam iustam causam, per Ecclesiæ iudicium.

An teneatur vir ex necessitate, vxorem dimittere fornicantem? 426

Respondeo per eumdem D. Thomam in Addit. 35. artic. 2. quòd dimissio vxoris fornicantis, introducta est, ad corrigendum vxoris crimen, propter talem poenam; poena autem corrigens, non requiritur, vbi emendatio iàm præcessit, ac proindè si mulier de peccato poeniteat, vir, non tenetur eam dimittere; si autem non poeniteat, tenetur (nè peccato ipsius consentire videatur) eam corripere, ac sic eam dimittere, non ex vindicta, sed vt vitet infamiam, vel incertitudinem prolis.

427 An vir, post diuortium, possit repetere vxorem?
Respondeo per eumdem D. Thomam loco præcitato art. 6. quòd illud, quod inducitur in fauorem alicuius, non ei facit præiudicium; vndè cum diuortium sit in fauorem viri, non aufert ab eo ius petendi debitum, vel reuocandi vxorem?

428 An vxor teneatur redire, sic reuocata, & an teneatur reddere debitum?
Respondeo, quòd sic, nisi de licentia eius votum emiserit.

429 An vir, post diuortium adulterans, possit compelli ad recipiendam vxorem demissam?
Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd vxor in tali casu non potest reconciliationem petere, nec ad hoc debet cogi secundum rigorem Iuris; Iudex tamen secundum æquitatem Iuris, ex officio suo, debet eum cogere, vt caueat sibi à periculo animæ, ac aliorum scandalo.

430 An vxor post diuortium, possit alium accipere maritum?
Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd licet vxor post diuortium, non teneatur viro adultero ad debitum reddendum, & cum ipso cohabitandum; nihilominus adhuc remanet vinculum matrimonij, ex quo ad hoc tenebatur, & ideò non potest aliam copulam contrahere, viro viuente: vndè Saluator ad certificationem superioris doctrinæ, inquit Matthæi cap. 9. quicunquè dimiserit vxorem (nisi ob fornicationem) & aliam induxerit, mœchatur.

431 An teneatur vxor, virum migrantem sequi?
Respondeo per cap. vnaquæuè 13. q. 2. Nauarr. c. 14. num. 20. Couarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. initio n. 5. quòd sic, nisi aliud esset inter eos, hoc est, conuentio, ac ipse non cogeretur aliqua necessitate migrare, aut nisi insciens, vagabundum duxisset, aut ipse vellet inhonestè migrare, vel cum periculo animæ, vel corporis, vel post contractum matrimonium, factus est vagabundus. Ita secundum aliquos, si esset bannitus, aut excommunicatus.

432 An Papa possit dispensare, vt post matrimonium contractum, alter coniugum, possit cum alio contrahere?
Respondeo, quòd (vt not. cap. ex publico: de conuer. coniug. & vt tenet Hostien., atquè recitat Panormitanus in dicto capite ex publico) si matrimonium, non est consumatum: Papa, potest de sua potentia absoluta dispensare, de consensu vtriusquè

sponsi,

sponsi sinè aliqua causa, sed de potestate ordinaria, sinè causa, dispensare minimè potest, sed si matrimoniū, est inter fideles, consumatum: Papa, vllo modo dispensare potest, quia quod Deus coniunxit, homo non separet.

An si vnus coniugum, post mortem resuscitaretur, esset adhuc inter eos, verum Matrimonium? 433

Respondeo per D. Thomam in distinction. 29. art. 4. quòd mortuo viro: vxor, soluta est à lege viri: qua de causa, ait Apostolus 1. Cor. c. 7. Mulier, alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, &c.

Cur resuscitatus, non redit ad vxorem, sicut redit ad possessiones suas? 434

Respondeo per eumdem D. Thomam, dist. 38. in expositione literæ, quòd possessiones, redduntur simpliciter dominio possidentis: vnde etiam moriens testare potest; sed vxor non subditur viri dominio, quasi ancilla, sed est quædam societas inter virum, & vxorem, quæ morte alterius terminatur: vndè vir moriens, non potest in testamento, vxorem suam, alteri relinquere. Quare non est eadem ratio, de possessionibus, & vxore.

Sunt præterea in fine de Adulterio, tres aliæ interrogationes hic ponendæ, circa quas nimis aduertere debet confessarius, aliosque erudire, quamquam præter ordinem, positæ videantur, quæ, sunt sequentes; videlicet.

Quibus causis, Pater potest exhereditare filios? 435

Respondeo quatuordecim ex causis, prout etiam habetur, per Imperialem legem in Auth. vt cum de Appell. ff. causas, & hæc sunt formalia verba textus: Prima, si quis parentibus suis manus intulerit; Secunda, si grauem, atque inhonestam iniuriam eis ingesserit; tertia, si eos in criminalibus causis accusauerit, quæ non sunt aduersum Principem; Quarta, si cum maleficis hominibus, vel maleficus, versatur; Quinta, vel vitæ Parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentauerit; Sexta, si nouercæ suæ, aut concubinæ patris, se se immiscuerit; Septima, si delator contra parentes filius extiterit, ac per suam delectationem, grauiora eos stipendia fecerit substinere; Octaua, si quemlibet de Parentibus, inclusum esse contingerit, & liberi, qui possunt ab intestato, ad eius successionem venire, petit ab eo, vel

vnus

vnus ex his, in sua eum voluerit fideiussione suscipere, vel pro persona, vel pro debito in quantum esse, qui petitur probatur idoneus, hoc tamen quod de fide iussione censuimus, ad masculos tantummodò volumus pertinere; Nona, si conuictus fuerit aliquis liberorum ex eo, quia prohibuerit parentes suos, condere testamentum, vt si quidem postea facere potuerint testamentum, sit eis pro tali causa, filium exhęrendi licentia; Decima, si propter voluntatem parentum, inter arenarios, vel mimos, se se filius sociauerit, & hac professione permanserit, nisi forsitan parentes etiam eiusdem professionis fuerint; Vndecima, si alicui ex prædictis parentibus volenti suæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ, pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit; Duodecima, si filius, patrem furiosum neglexerit curare, ac nutrire. Tertiadecima, si filius fuerit hæreticus; Decimaquarta, & vltima: si filius patrem captiuum redimere recusauerit; nam ipso reuerso, potest exhęredare, vel sibi moriatur, bona, auferuntur à filio tanquàm indigno, & applicantur Ecclesiæ.

436 Quot sunt causæ, per quas filij possunt exhęredare parentes?

Respondeo esse octo, vt etiam habetur in dicto Authore §. iustum autem. Et prima est: si pater accusauerit filium de crimine capitali, excepto in crimine hæreseos, vel læsæ Maestatis; Secunda, si pater immiscuerit nurui, vel concubinæ filij; Tertia, si pater fuerit insidiatus vitæ filij; Quarta, si pater prohibuerit filium testari de Castrensi, vel quasi Castrensi speculo; Quinta, si pater filium veneno, aut alio modo insidiatus est vitæ vxoris filij; Sexta, si pater filium in furore constitutum, curare, ac nutrire neglexerit; Septima, si pater filium captiuum non redemit; Octaua, & vltima, si pater fuit hæreticus.

437 Quot sunt causæ, per quas frater potest exhęreditare fratrem?

Respondeo etiam per imperialem legem in auth. de nuptijs §. Ingratitudinem: esse tres. Prima, si frater, contra fratrem, criminalem accusationem induxerit; Secunda, si frater procurauit mortem fratris; Tertia, & vltima, si frater, substantiæ fratris, præparauit auferre.

Finis Primæ Partis.

PARS

PARS SECVNDA,

QVAE DE SEPTEM INTERROGAT PECCATIS mortalibus, hisquè primò.

De Conscientia.



QVot bona in homine esse dicuntur? 1
Respondeo duo; nempè: conscientia, & famam; conscientia, apud Deum; & fama, apud Mundum.

Ad quid magis tenetur homo, seruare? 2
Respondeo, quod tenetur seruare vtrumquè; de fama in Prouerbijs c. 22. Melius est nomen bonum? quàm diuitiæ multæ: & in Ecclesiast. c. 12. Curam habe de bono nomine, &c. Nihilominus, quando homo vtrumquè seruare non potest; seruare debet conscientiam, relicta fama; animæ enim bonum, corporis bono præualet.

Quid est fama? 3
Respondeo præcipuè per Syluestrum verb. fama n. 1. quòd fama est vox communionis maioris partis vicinæ, ex probabili suspitione orta.

Quid est Conscientia? 4
Respondeo secundùm D. Augustinum, quòd est cognitio cuiuslibet cordis sui, quam nemo scit, nisi solus Deus; vel secundùm D. Thomam. Est actus sydereſis, quo concluditur aliquid esse faciendum, siuè benè, siuè malè.

Quot actus conscientia habet? 5
Respondeo tres; primus, ad cognoscendum. An aliquid sit factum? secundus, an sit benè factum? tertius, an sit faciendum?

Quot modis, esse potest in homine conscientia? 6
Respondeo, relictis Sacrorum Doctorum opinionibus, quòd sex modis; prima, certa, quæ est quando iudicat verè; secunda, erronea, quæ est quando iudicat falso; tertia, dubia, quæ est quando non certò asserit, sed titubat; quarta, scrupulosa, quæ est quando habet aliquas rationes, contra id, quod iudicat; quinta,

teme-

temeraria, quæ est quando quis publicè peccat, vel se de iam factis, iactat. Sexta, & vltima. Remordens, quæ est idem conscientiæ remorsus.

7 An teneatur homo, conscientiam erroneam, dubiam, ac scrupulosam deponere?

Respondeo, quòd sic; alioquin sequeretur, quòd si facit, quod conscientia erronea dictat, contra Dei legem facit; si verò non facit, Deum contemnit; Similiter dicendum est de conscientia dubia, ac scrupulosa; quoniam inconstantia animi, est argumentum peccati; idcircò in hoc erit standum iudicio boni viri, præsertim Confessoris. Vnde, si quis iudicat, se esse excommunicatum, vel dubitat; potest, atquè debet secundùm Nauar. cons. 2. de Pœnit. & remiss. suo credere confessario satis erudito, ac pio contrarium dicenti, nec alium tenetur consulere etiam si coram Deo sit excommunicatus, ei non imputabitur ad culpam, vel ad pœnam, & nè dum viuens, Sanctæ M. Ecclesiæ suffragijs gaudet, verum etiam mortuus. Similiter ex præcit. Nauar. consil. x. consulens suum Parochum, vel Confessorem bona fide credens, ad id, sufficientem habere doctrinam excusatur, etiam si non accedat ad doctores consulentes, &c.

8 Quid est casus conscientiæ?

Respondeo, quòd est quæstio facta de moribus, vel quæsitum circa mores; qui casus duplex est; puta: bonus, & malus; bonus, quando quis aliquid de Charitatis, ac Iustitiæ, actu facit; malus verò quando quis Dei charitati, ac præceptis contradicit; qui duplex est; vnus reseruatus, alter non reseruatus; Reseruatus, similiter duplex est; vnus Episcopalis, qui raró est cum excommunicatione iunctus: alter papalis, qui semper est cum excommunicatione adnexus, per quem non solum tollitur facultas absoluendi à Parochis, simplicibusquè Confessarijs, verum etiam ab Episcopis; modó sit publicus; dicitur, publicus, quoniam Episcopi absoluere possunt ab omnibus peccatis Summo Pontifici reseruatis, modo sint occulta, atquè pro impedimento aliquo retentus, non posset ad summum pergere Pontificem.

Præterea si peccatum tantum mente committitur, absq; vllo actu exterius elicito, in nullam excommunicationem incurritur, vel aliquid superiori reseruatum remanet, etiam si voluntas mala peccandi in hæresim fuerit lapsa, ac potest absolui à simplici confessa-

feſſario approbato ab ordinario, quoniam peccatum mentis, quantumuis grauiſſimum ſit, reſeruatum non intelligitur, niſi verbis expræſſiſſimis declaretur, huiuſmodi peccata interna, in reſeruatione comprehendi: imò hoc, non ſolum in actibus purè internis, locum habet, verum etiam in externis operatis; quando videlicet, perfectè non fuerunt conſummati, qui actus in quatuor modis eſſe poſſunt.

Primò. Ratione Iuſtitiæ, vt quando iuſtitia aliquid facere iubet, quod Papæ, vel Epiſcopo reſeruatum eſt: exempli gratia. Papa, vel Epiſcopus pro ſibi ipſis, homicidij peccatum reſeruat; aliquis deindè pro iuſtitia, ac imperiali lege, bannitum occidit: in hoc caſu, ac ſimili, nedum peccatum vllum commictitur, ac nullum reſeruatum ſuperiori remanet, verum etiam in facientis anima, meritum, & gloriam, hoc pro iuſtitia faciendo, acquireret: dummodo hoc faceret intuitu zeli non autem vindictæ, odij, vel auaritiæ; quoniam tunc incideret in mortale peccatum, atquè in omnem pœnam in ipſo mortali peccato contentam, cum nullus poſſit ex ſua propria authoritate, maloquè animo, alium occidere, abſquè grauiſſimo mortali peccato, & pœnis ſuis adnexis; quòd profectò non accipit, quando quis zelo faceret iuſtitiæ, ac ipſa iuſtitia iubente.

Similiter: reſeruatum non intelligitur homicidium, quando nimirum quis aliquem occidit, quia aliàs non potuiſſet ſuam euadere vitam, quem ſeriò illum occidere nolebat, ſed ſolum quaſi inefficaciter, quia nimirum ipſe periclitabatur ſe defendendo, illi necem intulit, quoniam Charitas propria Charitati proximi præualet, cum prima charitas, incipiat à quolibet ipſo.

Secundò, ratione paruitatis rei: vndè ſi quis de Eccleſia aliquid minimum tollit, in nullum ſacrilegium Epiſcopo reſeruatum incurrit; quoniam in paruis rebus, paruiſquè exceſſibus, non contradicitur Iuſtitiæ, & Charitati. Dei, Proximi, & Eccleſiæ.

Tertiò, ratione parui iudicij, rationiſquè diſcurſus. Vndè paruulorum inceſtus, non eſt reſeruatum, nequè blaſphemia, nequè votum, nequè hæreſia, & his ſimilia, quoniam neſciunt, quid faciunt.

Quartò, & vltimò. Ratione imperfectionis operis, quoniam vbi de Regimine agitur, de eo intelligitur, quòd conſumatam

iniuriam, & non inceptam significat, videlicet: si quis clericum quærit percutere, & non percutit in fine, vel lignamina, ferrum equos, aliasquè res portaret Christi nominis inimicis, quæ in fine illis non præbet, & nullam de casibus ipsis, similibusquè excommunicationem Papalem incurrit, vel aliquod Papæ ipsi, vel suo Episcopo reseruatum remanet; sed tantùm simplicia mortalia committet peccata; nam si licèt omnia supradicta sint apud Deum, forumquè Sacramentale reseruata, atquè perfectè consumata, tamen apud Sanctam Matrem Ecclesiam, forumquè iudiciale, imperfecta, atq; irreseruata remanerent, quantumcunquè in his malis operibus, faceret quantum in se esset; quoniam pœnam, ipso iure, ipsoquè facto à iure impositam, ob delictum, non haberet, nisi vbi fuerit consumatum; & non sufficit inchoatum fuisse, atquè attentatum, sed consumatum; modò non fuerit reseruata sola attentatio; quoniam tunc incideret in illam.

9 Qui habet potestatem, sibi reseruandi casus, ac peccata: potest nè veniale peccatum, vel mortale internum, reseruare?

Respondeo, quod grauis est de hoc inter Sacros Doctores quæstio, nihilominus hic breuiter respondemus: videlicet, si loquamur de rigore Iustitiæ, atquè absoluta potestate, dicimus, quod sic; quoniam Sanctæ M. Ecclesiæ Prælati, magnam habent super subditos suos potestatem eos ligandi, iuxta illud Matthæi c. 16. & 18. dicentis: ex persona Saluatoris. [Quodcunquè ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis: ac etiam de facto videmus, quod multoties Prælati, pro se reseruant, cum excommunicatis maioris excommunicationis participationem, & loquutionem habentes, quod quidem aliud non est, nisi peccatum veniale, modò non sit ipsa participio, & loquutio in crimine criminoso, puta in facto illo, ac peccato, propter quod principales in excommunicationem incurrunt maiorem, quoniam si in tali facto, ac peccato participant, non solum in minorem incurrunt excommunicationem, quę tantum veniale est peccatum, verum etiam in maiorem, sicut & ipsi principales excommunicati maioris excommunicationis; si verò loquamur de conuenientia, atquè antiqua consuetudine, dicimus, quod non; quoniam peccatorum reseruatio, solet semper de peccatis fieri mortalibus grauissimis, & atrocissimis: non autem de venialibus, quod si reseruatio de peccatis venialibus fieret, quodammodò reseruatio

ipsa,

ipsa, irrisoria esset, quoniam venialia peccata confiteri non tenemur, cum ipsa non priuent animam nostram, gratia, & charitate Dei, & etiam multa sunt remedia, per quæ ipsa (extra Sacramentalem Confessionem) remittuntur, vt prima parte in Sacramento Pœnitentiæ diximus.

Idem est dicendum de peccatis mortalibus internis; puta, quod non possunt Sanctæ Matris Ecclesiæ Prælati peccata mentaliter tantum commissa, pro se reseruare; quoniam casuum reseruatio, intelligi debet de actu fieri, de actibus nimirum externis cum effectu commissis, non autem de peccatis in mente tantum patratis, quoniam Ecclesia, non debet in foro suo exteriori iudiciali, cognoscere, ac punire de actibus interioribus, qui solum intellectu, & voluntate interius commissa sunt, sed Domino Deo soli reseruantur: iuxta illud Ieremiæ cap. 17. Ego sum Dominus scrutans corda, & probans renes. Imò peccatum, cum sit actus mentis, citissimè fieri potest, & tam occultissimè, ac citissimè committi potest, vt vix homines discernere possint. An perfectam habuerit quis peccandi voluntatem; & ob id nimis esset durum, homines ipsos sæpè sæpius obligare, superiorem quærere absoluentem: imò tirannicum, quando quidem nimis arduum est, mentis citissimè, ac occultissimè commissa discernendi peccata: rarò enim quisquè certus est. An in ipsis consenserit, & etiam an plenè consenserit? quæ quidem facile quilibet expedire potest. Quapropter Sacri Doctores, ac etiam Summi Pontifices in Bullis suis inquiunt, quòd peccatorum reseruatio esse deberet ad edificationem, puta quòd non solum non sunt reseruanda peccata venialia, atquè interna mortalia, sed etiam quorumcunquè externorum grauissimorum commissorum paucissima sunt reseruanda, ne pro ipsis, animarum perditio veniat.

An possint Sanctæ M. Ecclesiæ Prælati, ipsorum populis, præ- 10
ceptum constituere, venialia peccata confitendi?

Respondeo, quòd si huiusmodi Prælati, essent Episcopi simplices, vel quid simile his, Episcopalem habentes iurisdictionem, non possent ipsorum populis præceptum constituere venialia peccata confitendi; Si verò est Summus Pontifex posset sua absoluta potestate homines ex præcepto obligare venialia confitendi peccata. Videlicet Summus Pontifex iubet in cap. Omnis vtriusquè sexus, quòd omnes Christi fideles, mortalia habentes

peccata, ipsa semel in anno confiteantur: at populi aliqui non committunt mortalia peccata, quoniam in præceptis tùm Dei, quàm Ecclesiæ circumspectè, & studiosè viuunt, omnia mortalia vitando peccata, & solum habendo venialia; in hoc casu posset Summus Pontifex ipse, & non alius Prælatus, populos ipsos constringere peccata venialia confitendi, quoties alios populos constringit confiteri mortalia; & tunc non necessariò intelliguntur ipsa venialia peccata confiteri, sicut mortalia, sed solum propter obedientiam, quæ debetur Summo Pontifice Christi Vicario ei potestatem donantis, quodcunquè legandi, ac absoluendi supra terram.

De Cognitione Peccati.

11 IN quonàm consistit peccati formalitas?

Respondeo, quòd consistit in aliquo negatiuo, puta in illa debitæ rectitudinis negatione, ac recessu à recta ratione.

12 Quot sunt per peccatum offensa?

Respondeo duo; nempè internum, & spirituale, & externum, & materiale; internum, & spirituale est Deus creator noster, externum, & materiale est creatura, in quam peccatur; ex: gratia. Quis cum muliere carnaliter peccat, Deus creator noster est huius peccati concupiscentiæ internus, & spiritualis offensus; mulier verò externa, ac materialis offensa; Præterea, intrinseci, & spiritualis offensionis, non potest esse peccatum mortale aliquo tempore maius, & minus: sed semper est æquè graue; Deus enim, qui est per peccatum offensus, non est aliquo tempore minor, ac maior in eius excellentia, sed perpetuò excellentissimus est inuariabiliter; Potest tamen mortale peccatum, esse magis, minusuè graue ratione externæ materialisquè offensionis; quoniam, externa, ac materialis peccati offensio, non est, vt Deus semper in modo æquali existens in sua excellentia, sed magis nunc, minus postea est ad gratiam, charitatemquè Dei proximè disposita, ex: gratia. Peccaret carnaliter, quis cum muliere, iam esset peccatum mortale; si verò mulier illa, in quam peccatur, est vxorata, profectò grauius est peccatum, quàm si cum libera peccaretur, illud enim est peccatum adulterijs, hoc autem commissum cum libera est simplex fornicatio; Similiter minus peccatum esset cum vxo-

vxorata, quàm cum moniali peccando, quia magis dicitur ad gratiam Dei ordinata mulier vxorata, quàm libera, & magis monialis, quàm mulier vxorata; & sic intelligendum est; vnum peccatum esse alio grauius, ratione externe, ac materialis offensionis ipsius peccati.

Quotuplex est peccati forma respectu hominis? 13

Respondeo duplex, tanquàm ipsius offensa: puta, interna, & externa; interna peccati forma: est ipsa mala hominis voluntas mortaliter peccandi; externa verò est ipsa mala actio, vel motus, quem facit homo peccando: ex: gratia: quis vult occidere hominem, atquè occidit; illa occidendi hominem voluntas, est huiusmodi peccati homicidij forma interna, illa verò occisio hominis est forma peccati externa.

Qualis est causa proxima peccati? 14

Respondeo, quod est illa, ob quam hic frequentissimè vrgent occasiones periculosæ iterum relabendi, ac quando quis ponitur periculo probabili ad peccatum inclinanti, quòd quilibet fugere debet, si salutem cupit habere; qua de causa Saluator noster Matt. c. 18. sic ait. [Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, ac proijce abs te; bonum est tibi cum vno oculo, in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis, ac etiam Ecclesiast. c. 3. [Qui amat periculum: peribit in illo.

Quot modis, peccatum committitur? 15

Respondeo duobus modis; nimirum intrinsecè, & extrinsecè; intrinsecè, quando quis volendo peccare cogitat, &c. extrinsecè verò quando exterius actualiter peccat.

An hoc modo peccatum commissum, sit duo peccata, vel 16
vnum solùm?

Respondeo, quod si loquamur in genere moris, est vnum tantum peccatum; si verò loquamur in genere entis sunt duo peccata, sunt enim duo actus realiter distincti, vnus interior in mente existens: alter exterior, per opus exterius patratus.

Qui cogitat peccare, & postea peccat, tenetur nè vtrumquè 17
actum confiteri?

Respondeo, quòd sufficit solum confiteri actum peccaminosum externum, laudabile tamen, ac pium est vtrumq; actum confiteri internum scilicet, & externum.

Si quis peccare cogitat, & postea pœnitet se peccandi, & in 18
pœni-

pœnitentia manens, rursus reuertit ad eamdem cogitationem peccandi. An teneatur tales interruptiones confiteri?

Respondeo, quod sic; quoties enim quis interrumpit actum voluntarium peccandi, toties peccat non autem tenetur quando amore, vel odio prosequitur personam aliquam ob longum tempus, & indè in alijs vacat operibus, ac negotijs, minimè ad illam primam voluntatem pertinentibus, quoniam stante eadem voluntate malum patrandi, quamquam multæ fiant interruptiones, diuertendo se ad alios extraneos actus, non pertinentes ad illum priorem actum voluntatis peccandi, certè, moraliter loquendo, est tantum vnum peccatum, dummodò non fecerit propositum illum actum non faciendi, hinc enim sequeretur; quòd essent plura peccata, si denuò proponat illum facere actum, quem prius, facere disposuerat; ex gratia habet Rodulfus voluntatem occidendi, fornicandi, furandi, & similia faciendi per multos durantem dies, in quibus ad alia cogitat, at cessante harum rerum cogitatione, recordatur illius prioris actus voluntatis tendentis ad occidendum, fornicandum, &c. & adimplet iàm illum actum priorem voluntatis, ac proindè patet, quòd sit vnum peccatum, cum hic actus vltimò adimpletiuus illius prioris actus voluntatis, seriò sit ille met actus prior, per actum contrarium non reuocatus, sed post multos dies completus, & perfectus,

19 Quid est peccare ex contemptu?

Respondeo, quod est quando quis non vult subijci legi, vel rẽgulæ, vt videre licet apud D. Thomam 2. 2. q. 186. art. 9.

20 An semper faciens contra legem, peccet ex contemptu?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quod non; vt quando quis propter aliquam particularem causam scilicet iram, concupiscentiam, agit contra legem etiam frequenter ex eadem causa, vel alia simili ad peccatum inducendo; nihilominus frequentia peccati, indicit dispositionem appropinquãtem ad contemptum.

21 Quis grauius peccat ille, qui ex contemptu: An ille, qui propter aliam causam peccat?

Respondeo per eumdem D. Thomam 4. sent. dist. 9. art. 3. q. 3. quod illa peccata, quæ in actuali contemptum consistunt, sunt grauiora illis, in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti, & quasi interpretatu, vt accidit in fruitione creaturæ ex cuius intentione, à Dei præceptis peccator descendit, & per consequens

Deum

Deum præcipientem (nè inordinatè vtatur creatura) contemnit.

Quando attenditur grauitas peccatorum in contemptum? 22

Respondeo per eumdem D. Thomam, quod contemptus ex duplici parte mensurari potest; vno modo, ex parte contemnentis, & sic non potest fieri comparatio vnius generis particularis peccati ad aliud genus, sed vnius particularis peccati ad aliud; quoniam contingit, in vno veniali peccato in genere, esse maiorem contemptum actualem, quàm in vno grauissimo peccato mortali ex genere; alio modo, ex parte eius, quod contemnitur, & sic est talis ordo peccatorum, quod illud, in quo ipse Deus ex se ipso etiam contemnitur, est peccatum grauissimum, sicut est peccatum infidelitatis, ac blasphemiæ, & post illud peccatum, in quo contemnitur Deus in Sacramento, & inter alia, præcipuè in Sacramento Eucharistiæ, in quo essentialiter, ac realissimè Christus, Deus, & homo continetur, non tamen est contemptus circa Christum, vt est Deus, & homo, sed pro vt est in Sacramento, & post peccatum illud, in quo contemnitur Deus in membris suis, & post peccatum, in quo contemnitur Deus in suis præceptis, quòd est comune omni peccato mortali.

An contemptus, qui est in veniali peccato; sit semper peccatum mortale? 23

Respondeo per eumdem D. Thomam in 2. dist. 24. q. 3. art. 5. quod deliberatus consensus in veniali, non semper procedit ex tali contemptu, vt mortale peccatum faciat; quando enim hoc modo in veniali consentitur, vt si esset contra legem Dei nullo modo fieret ipsum, manet intra limites venialis peccati etiam si aduertatur essentiale peccatum; si autem hoc modo in ipsum consentiatur, vt etiam si prohibitum esset ex præcepto, etiam fieret; talis consensus in veniali ex genere etiam mortales esset.

Quid est mortale peccatum? 24

Respondeo, secundum D. Augustinum, quod est aliquid dictum, vel factum, vel concupitum, contra Dei, vel proximi charitatem.

Quare dicitur, mortale peccatum contra Charitatem? 25

Respondeo; quoniam quando quis aliquam facit mala actionem, illa mala actio, quia est quædam turpitudo, seu deformitas,

tas, seù priuatio rectitudinis rationis, macula dicitur, & culpa, quoniam non stat, nec stare potest cum pulchritudine gratiæ, & charitatis, quæ gratia, & charitas est similitudo quædam Dei in hac vita diligendi perfectè, & in alia vita immortali perfectè ipso fruendo: vndè anima beata ipsi Deo summè, ac infinite bono satiabiliter adhærebit, & dum macula ipsa stare nequit cum pulchritudine gratiæ, & charitatis, dicitur contra gratiam, & charitatem, nimirum contra Deum infinitum bonum. Postea verò ex illa mala actione, quæ culpa, & macula, dicitur pœna sensus, seù dolor, & cruciatus æternus, qui pro illa mala actione illata Deo, animæ peccatrici debetur. Vndè si statim peccatum committens mortale, peccator moreretur statim in infernum descenderet, iuxta illud Psalm. 54. Veniat mors super illos, & descendent in infernum viuentes.

Verum est, quod licet peccatum, ratione auersionis, ac inimicitiæ contractæ per ipsum cum Deo sit infinitum, & per consequens ad illud correspondet dolor, ac pœna infinita; nihilominus ratione conuersionis, seù operis mali patrati, est finitus, & limitatus, quoniam omne opus, siuè bonum, siuè malum ab homine patratum naturaliter finitum, ac limitatum est.

His autem breuiter nota. Quòd peccatum mortale, & gratia, non tollunt, seu non dextruunt liberum arbitrium, sed solum illud debilitat hæc verò fortificat ipsum liberum arbitrium: primum indicare videtur per illud Psalmi 41. Abyssus, abyssum inuocat. Secundum, puta quòd gratia roboret, ac fortificet liberum Arbitrium, patet ex illo Apostoli. 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea.

26 Quid est magis difforme, peccatum mortale, an demonium?

Respondeo peccatum mortale; siquidem ipsum est pater diaboli, qui ex se, & natura sua difformis non est, sed pulcherrima creatura, quæ proindè in scriptura dicitur; quomodo, vidisti Lucifer, qui manè oriebaris? at peccatum mortale, est illud, quòd deformitatem attulit diabolo: ac proindè patet, quod difformius sit peccatum ipso dæmonio, quod etiam liquidò constat per illam regulam logicalem: hoc argumento. Propter quod, vnum quodquè tale, & illud magis tale, sed dæmonium est difforme propter peccatum; ergo peccatum est difformius ipso dæmonio.

27 Si

Si peccatum mortale est sic difforme, ita quod diabolus non potest ei adæquari, quomodò peccatum ipsum committitur, cum nemo operetur ad malum; nam bonum hominis, est secundum rectam rationem viuere, malum verò præter rationem viuere? 27

Respondeo, quòd verum est, quòd nihil magis à natura rationali, alienum, quàm Creatorem offendere, quod profectò mortale est peccatum dictum, vel factum, vel concupitum; tamen hoc non repræsentatur Intellectui peccatoris, secundum suam formam difformem, sed sub specie boni, quod est verum obiectum, ac materia ipsius intellectus, & sic ipse à passione ficta victus, & propter illud bonum apparens deceptus, illud voluntati repræsentat, vt verè bonum, cum quodammodo æxistimet, illud obiectum fuisse ab intellectu verum iudicatum, & sic ipsa cum sequatur intellectus vestigia (cum nihil sit volitum, quin prius fuerit ab intellectu præcognitum) dicit: volo hoc obiectum (licet in se sit malum) tanquam verè, & reale bonum, & sic mortale committit peccatum, ipse homo; quòd si obiectum peccaminosum repræsentaretur intellectui secundum suam formam difformem: certissimè nunquam peccatum illud committeret homo. Vitia deceptæ menti, quasi sub quadam ratione se ingerunt (inquit D. Gregorius, & D. Augustinus) sub specie boni, multa mala fiunt.

Vbi nota, quòd ad peccati generationem, tria ordinatè concurrunt; primò, materia, seù obiectum à quo quædam oritur in sensu appetitiuo, delectatio; secundò, ab illa sensus delectatione, quædam oritur delectatio in voluntate, quæ delectatio, non est causata ab actu voluntatis liberè, sed à sensu cum quo est strictè iuncta, & sic est passio, ao primus voluntatis actus; tertiò, intellectus videndo voluntatem in delectatione appassionatam, ipsam contemplatur, ex qua causa multoties ipse obcæcatur, ac bonum iudicat id, quod voluntati delectat, & tunc, vt rem bonam, ac perfectam iterum voluntati repræsentat, non amplius appassionatæ, sed liberæ, quæ ob tantam libertatem, quam in se habet, poterit velle, & nolle id, quod sibi fuit ab intellectu propositum, sed ex sua propria malitia, & temeritate, se determinat, ac dicit volo; imò id quod vult adimplet, & facit, quæ delectatio, atquè ipsius exequutio, non est amplius primus motus, vel voluntatis

passio, sed ipsius voluntatis actus liber; primus siquidem actus appetitus sensitiui, non est peccatum, vel aliqua offensa contra Deum, quoniam non dum est plena voluntas, ac ideò nullum peccatum est, nisi voluntarium; nec in secundo, in quo tantum est delectatio, quamuis in voluntate sit; quoniam non est actus liber, sed ipsius passio; nec actus tertius intellectus considerantis obiectum, ac materiam, in quam voluntas, ad peccandum inclinatur, quoniam intellectus, non est peccati capax (cum formaliter sit potentia naturalis, seù necessaria) sed voluntas, quoniam ipsa est, quæ vult formaliter liberè obiectum peccaminosum, ac Deum summe bonum offendit, quod apertissimè ostendit D. Augustinus dicendo. [Tolle voluntatem, & non erit peccatum.

28 Quid est veniale peccatum?

Respondeo, quòd est aliquid dictum, vel factum, vel concupitum, non contra Dei, vel proximi charitatem, vt est peccatum mortale, sed est præter illam, licet enim veniale peccatum non sit contra Deum, ac proximum, sunt tamen præter diuinam voluntatem; vt quando quis dicit, vel facit, seù facere intendit, ac dicere id, quod contra Dei, vel Ecclesiæ consilium, vel contra virtutes morales cum quis in modico offendit, vg: facit quis actum immodestiæ paruæ: est veniale: facit quis actum paruum intemperantiæ in modico excesso, cibi, vel potus, facit quis hæc, vel his similia peccata facit venialia. Vbi nota, quòd veniale peccatum plus in nobis culpæ habet, quàm originale, quòd est carentia originalis iustitiæ à nostro primo parente Adamo contracta, quia veniale peccatum, est nobis magis voluntarium, quàm originale, idcircò maior pœna, ac cruciatus ei debetur, quamquàm originale respectu naturæ sit nobis grauius veniale.

29 Quare mortale peccatum, dicitur mortale, & veniale peccatum dicitur veniale?

Respondeo, quòd dicitur mortale peccatum, mortale, non quia ipsum physicè animam occidat, cum anima nostra rationalis non possit mortem subire, vt potè quia substantia est spiritualis, incorruptibilis, ac immortalis, sed quia animam ipsam à diuina gratia separat, atquè diuidit, quæ diuinæ gratiæ separatio ab anima, est ipsius animæ mors, quod est moraliter, seù meritoriè mori, cum anima in peccato existens sit omnimodè mortua Deo, ac proindè est membrum mortuum ipse homo (in peccato mor-

mortali existens) respectu corporis mistici Ecclesiæ militantis, cuius caput inuisibilis est Christus Dominus, & minimè recipit cum sit mortuus per peccatum celestes influxus gratiæ, nec per opera sua operatur aliquid meritorium vitæ æternæ: gratia enim dicitur vita animæ, quia per ipsam homo gratus, & iustus elicit actus viuos, seù meritorios vitæ cœlestis: sicuti anima est vita corporis, quia per ipsam corpus viuificatur, ac etiam elicit actiones viuas, seù vitales, qua separata à corpore, ipsum vllum opus vitale potest facere.

Peccatum verò veniale, dicitur veniale, quia nimirum ipsum est venia dignum, in peccato enim veniali non est illa turpitudo, seù defectus, seù deformitas, seù priuatio debitæ rectitudinis rationis, vt in peccato mortali, sed tantum est dignum aliqua pœna temporali soluenda, siuè in hoc sæculo, siuè in Purgatorio (dummodo talis anima ex hac vita decedat absquè mortali connexo cum veniali) quæ pœna temporalis datur peccato veniali, propter illam leuem conuersionem ad Creaturam. Dixi, dummodo talis anima ex hac vita decedat, absquè mortali, connexo veniali, quia in tali casu ipsum peccatum veniale puniretur æternaliter in illo abyssali miseriarum igneo pelago, cum ipso mortali, quatenus scilicet est cum ipso mortali connexum, quod per se, & natura sua est pœna, & cruciatu dignum æterno.

An mortale peccatum fieri possit veniale, & veniale, fieri mortale? 30

Respondeo, quòd sic; ratio est, quia mortale peccatum, fit veniale, propter aliquam circumstantiam alleuiantem in infinitum, vt quando quis propter extremam necessitatem furatur aliquid, quamuis furtum sit mortale peccatum, quoniam contra proximi charitatem agitur, nihilominus ob illam circumstantiam, nimirum extremam necessitatem, ad veniale transit peccatum, vel etiam in nullum peccatum, & sic intellige in similibus actionibus. Actiones, & causæ, ob quas mortalia peccata fiunt venialia sunt octo.

Prima, est ignorantia: vt quandò quis aliquam carnaliter cognoscit mulierem, quam suam putabat esse vxorem, aut lupum, vel feram, vel quid simile occidere intendit, & occidit hominem habita tamen prius debita diligentia; vel in bello iusto quis credit occidere infidelem, & occidit fidelem.

Secunda, metus; vt quæ ob metum cadentem in constantem virum.

Tertia, subiectio, vt quando quis maledicit, vel percutit, sinè vlla consideratione, ac discursu rationis.

Quarta, impotentia, vt est, non restituere ablata, propter nimiam paupertatem.

Quinta, iusta causa: vt est propter infirmitatem carnes in quadragesima, vigilijs, & quatuor temporibus comedere, aut sacrum non audire in diebus Dominicis, & fœstiuis.

Sexta, paruitas rei, vt est tollere aliquam rem modicam, vel in die dominico, vel festiuo aliquod artificiosum facere.

Septima, iusta dispensatio, vt est quando alicui dispensatur, non seruare vota, & iuramenta, vel diuinum non recitare officium, vel gradus prohibens matrimonium contrahendi.

Octaua, & vltima est, aliquid tollere in extrema necessitate pro victu, & vestitu.

Similiter peccata venialia, fieri possunt mortalia, per actum contrarium: videlicet, propter aliquam circumstantiam, peccatum veniale in infinitum aggrauantem, vt quando quis dicit, vel facit aliquid, quod est ex genere suo peccatum veniale cum animo, ac voluntate, vt alter propter illud dictum, vel factum mortaliter peccet: quoniam licet tale dictum, vel factum, ex genere suo sit veniale peccatum, attamen propter illam suam malam voluntatem erga proximum, mortaliter peccat, contra illud faciens naturale præceptum. Quod tibi non vis, alteri nè feceris, vel contra ipsum diuinum præceptum. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Causæ, ob quas venialia peccata, mortalia fiunt, quinquè sunt.

32 Prima causa est: finis vltimus, vt quando quis constituit in verbis mendacij, vel ioci suum finem vltimum, quando nimirum non intendit, ab eis abstinère, quamuis mortaliter peccaret.

Secunda causa est. Affectata negligentia; vt quando quis ob nimiam negligentiam studendi, consultandi, mortalia committit peccata, quæ profectò non committeret, si studeret, vel consultaret cum alijs, maximè cum suum officium est sciendi, ac operandi, vt sunt Prædicatores, Confessores, Aduocati, Medici, Notarij, Procuratores, &c.

Tertia causa est. Dubitatio, vt quando quis facit, vel dicit, vel

cogi-

cogitat aliquid, quod dubitat. An tale factum, vel dictum, vel concupitum mortale, vel veniale sit peccatum; quoniam ei tunc imputabitur, quod etiam fecisset, si tale factum, vel dictum, vel concupitum sciret mortale peccatum esse; idcircò homo non se debet ponere in periculo animæ suæ, vbi de gloria, ac salute agitur sempiterna.

Quarta causa est. Conscientia erronea, vt quandò quis facit, vel dicit, vel cogitat aliquid, quod veniale peccatum est ex genere suo, vel nullum putans, esse mortale peccatum.

Quinta, & vltima causa, ob quam venialia peccata fiunt mortalia, est. Contemptus, vt quandò quis ex diuino, vel humano consilio, vel de virtutis habitu aliquid deberet facere bonum, puta sacrum in die feriato audire, vel non in extrema necessitate, eleemosinam non præbere, vel similia non facere, ac seruare, in quibus non ex præcepto tenetur, atquè illa ex odio, & mala voluntate facere, & seruare omittit.

Quomodò quis in mortale peccatum incidit contra vnumquodquè præceptum diuinum? 33

Respondeo: Contra primum, quod est. Non habebis Deos alienos coram me, & nè facies tibi sculptile: incidit non credendo omnia ea, quæ in sacra Scriptura canonica manifestãtur, atquè ea omnia, quæ à Sancta Matre Ecclesia Catholica Romana determinata sunt esse credenda: blasphemando, superstitionem habendo, vanam tenendo somniorum obseruantiam, incantationes, sortilegia, breuia, similiaquè super se tenendo, præbendo, atquè operando.

Contra secundum, quod est. Non assumes nomen Dei tui in vanum: incidit, turpiter nominando nomen Dei, vel Deiparæ, Sanctos, Sanctas, sacram Scripturam, vel diuina officia, aut missam; frangendo vota, iuramenta, vel propositum, habendo, ad non faciendum aliquod bonum, ad quod Spiritus Sanctus ipsum induceret, vel obligaret.

Contra tertium, quod est. Memento, vt diem Sabathi sanctifices, non facies omne opus in ea: incidit quis omittendo sacrum, in hoc die, laborando manualiter, vendendo, litigando ciuiliter, condemnando aliquem ad mortem, vel ad pœnam accipiendo iuramentum, nisi fuerit ex charitatis actu, puta aliorum concordia, & pace, non cogente necessitate ieiunium frangendo, vel carnes comedendo.

Con-

Contra quartum, quod est. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam: quis incidit; non succurrendo parentibus in necessitatibus constitutis, illos, uel quoscunquè superiores, siuè spirituales, siuè temporales per irreuerentiam, & inobedientiam, offendendo, ac ipsorum legibus dictis, ac statutis, contrafaciendo.

Contra quintum, quod est. Non occides: quis incidit occidendo, mutilando, vel simile damnum corpori proximi inferendo (lege prohibente) cum mala tamen faciendo intentione.

Contra sextum, quod est. Non mechaberis: quis incidit, propter fornicationem, incestum, sacrilegium, stuprum, adulterium, varias loquutiones, oscula, tactus, ac per quemcunquè actum venereum, non iusto modo, atquè cum propria vxore patratum.

Contra septimum, quod est. Non furtum facies, quis incidit per quamcunquè iniustam acceptionem, vel exactionem, nimirum rapiendo, vendendo non iusto pretio; quod præceptum non solum in rebus temporalibus obligat obseruare; verum etiam in honore, ac fama, ad quam homo magis strictè obseruare tenetur, quam ad res temporales; iuxta illud Prouerb. c. 22. melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: vt alibi diximus.

Contra octauum, quod est. Non loqueris contra proximum falsum testimonium: quis incidit per quodcunquè mendacium perniciosum, falsum consilium, falsam doctrinam prædicando, &c.

Contra nonum, quod est. Non concupisces vxorem proximi tui: quis incidit per quamcunquè malam voluntatem in luxuriæ speciebus; quoniam si in sexto præcepto, exteriores prohibentur actus venerei, in hoc autem prohibentur, & interiores.

Contra decimum, & vltimum, quod est. Nec rem alienam desiderabis: quis incidit propter auaritiam, ac per quodcunquè desiderium damni proximi, tàm in bonis fortunæ, tàm corporis, quàm famæ, ac etiam in bonis animæ.

34 Hæc diuina præcepta, in quo differunt?

Respondeo, quòd differunt in hoc: nempè; quòd prima tria, nos ordinant ad diuinam dilectionem; reliqua verò, quæ dicuntur præcepta secundæ tabulæ, ordinant nos ad dilectionem proximi, prætereà aliqua sunt affirmatiua, quæ quamquam obligent semper, non tamen obligant ad semper, sed cum præceptum, vel neces-

necessitas instaret: vg: hoc præceptum primum. Secundæ tabulæ. Honora patrem tuum, &c. licet semper obliget, vt colamus parentes, tamen non ad semper: nam non semper filius debet stare capite discoperto, vel simili riuerentia actuali coram patre, matre, & superioribus, sed cum opus fuerit, ac præceptum vrgeret. Alia præcepta sunt negatiua, quæ obligant semper, & ad semper: vg: hoc præceptum quintum secundæ tabulæ: obligat semper, & ad semper, ne occidatur proximus, & non solum vt non occidatur, sed etiam, vt nunquam occidatur propter qualemcunquè iniuriam, &c.

Quomodò præcepta negatiua ab affirmatiuis cognoscuntur? 35

Respondeo in hoc cognosci: quoniam præcepta negatiua nos docent, hoc, vel illud non facere, ac proindè semper sunt negatiua: vt non occides, id est nunquam occides: præcepta verò affirmatiua docent, ac præcipiunt hoc, vel illud semper facere cum opus fuerit, ac præceptum occurrerit; ac proindè semper sunt affirmatiua.

Quomodò quis, contra duodecim articulos fidei, mortaliter 36 peccat?

Respondeo contra primum [qui est. Credo in Deum Patrem omnipotentem: non credendo firmiter, omnia, & quæ in cęlo, in terra, vel subtus ipsam existentia, vel quæ videntur, & quæ non videntur, fuisse ab omnipotenti manu Dei creata.

Contra secundum, qui est. [In Iesum Christum filium eius, vnicum Dominum nostrum: non credendo firmiter, quòd Christus sit vnicus, & verus filius Dei, qui æternaliter fuit cum Patre, & quòd sit alia persona à Patre, & quòd sit vnius naturæ, ac substantiæ cum patre, atq; perfectissima imago simillima patri ipsam æternaliter generanti, quamquàm per natiuitatem temporaneam in mundo ex virginali, ac purissimo Mariæ vtero, minor sit patre, ratione humanitatis à se assumptæ.

Contra tertium, qui est. [Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Non credendo firmiter Incarnationem Verbi diuini in Virginem Mariam Spiritus Sancti operatione factam, per quam nobis de inuisibili, visibilis apparuit.

Contra quartum, qui est. [Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus: non credendo firmiter Passionem, ac mortem Domini nostri Iesu Christi sub Pontio Pilato, pro nostra salute toleratam. Con-

Contra quintum, qui est. [Descendit ad inferos: non credendo firmiter, quòd anima sanctissima Christi à suo corpore egressa, statim ad Lymbum SS. Patruum descenderit cum Diuinitate: vbi mansit ab hora mortis suæ, vsquè ad horam suæ gloriosissimæ Resurrectionis, quod fuit quadraginta horarum spatium.

Contra sextum, qui est. [Tertia die resurrexit à mortuis: non credendo firmiter, quòd Christus filius Dei, post tres dies à sua sanctissima Passione, & morte resurrexit gloriosus: de quò plenissimè certificatus fuit D. Thomas, quando ei Christus dixit. Infer digitum tuum, in latus meum, &c.

Contra septimum, qui est. [Ascendit ad coelos: sedet ad dexteram Patris omnipotentis. Non credendo firmiter, quòd Christus Filius Dei, post quadraginta dies à sua sacratissima resurrectione, ad celos ascendit gaudenter, (vt Psal. 46. habetur. Ascendit Deus in iubilatione) secum ferendo omnes Sanctorum Patruum animas, quæ ab ipso fuerunt à Lymbo liberatæ.

Contra octauum, qui est. [Indè venturus est iudicare viuos, & mortuos: non credendo firmiter, venturum Iudicium vniuersale, in quò strictissimè reddituri sumus rationem de omnibus nostris operationibus, siuè opere, siuè ore, siuè corde, seù mente factis.

Contra nonum, qui est. [Et in Spiritum Sanctum: non credendo firmiter in Spiritum Sanctum, cum sit ipse Patri, Filioquè consubstantialis, ac æqualis eiusdemquè essentiæ cum Patre, & Filio.

Contra decimum, qui est. [Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam: non credendo firmiter Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam Romanam per Spiritum Sanctum sanctificantem, ac ipsam gubernantem.

Contra vndecimum, qui est. [Sanctorum comunionem, remissionem peccatorum. Primò, per Sanctorum comunionem; non credendo firmiter in Ecclesia sancta Dei, Sanctorum comunicationem; quoniam omnis in gratia, & charitate Dei existens bonorum spiritualium, quæ per quemlibet Christi fidelem acquiruntur, particeps fieret. Secundò, in remissionem peccatorum: non credendo firmiter, quòd solum in Sancta M. E. Catholica Romana sit vera salus, ac peccatorum remissio, & non in alia, quia in ipsa tantum, omne peccatum remittitur, siuè originale, siuè

siuè actuale illud sit, vt videre est in Sacramentis, quæ quotidiè Christi fidelibus conferuntur in eius Ecclesia.

Contra duodecimum, qui est. [Carnis resurrectionem vitam æternam: non credendo firmiter, quòd omnes homines, tàm boni, quàm mali in die iudicij simul in eodem corpore, cum quo in hoc sæculo fuerunt, resurgent; nam quamuis corpora nostra fuerint per corruptionem in puluerem, ac cinerem conuersa, nihilominus in illa die tremenda (diuina imperante voluntate) omnia eadem resurgent, & in illa ætate, in qua Christus benedictus erat, quandó pro nostra salute in Cruce mortuus est, qui profectò triginta trium erat annorum, triumquè mensium.

De Vsura.

QVid est Vsura? 37
Respondeo. Est accipere aliquid ratione mutui.

An liceat alicui, accipere quinq; pro centenario, in mutuo? 38

Respondeo, quòd non; inquit enim Christus veritas æterna, ac sapientia Patris increata Matthæi c.5. Mutuum date, nihil indè sperantes: mutuum date, de consilio est; nihil indè sperantes de præcepto est. Verum est, quòd liceat aliquando, pro centenario, aliquid accipere, non ratione mutui, sed ratione lucri cessantis, ac damni emergentis. Ex: gratia: quis alteri centum mutuat, ex qua mutuatione cessaret mutuanti lucrum, quod ex illis ducatis centum habere poterat; vel aliquod damnum patitur notabile: in his casibus, & his similibus, potest mutuans, aliquid plus, supra id quod mutuauit accipere, considerato damno, secundum mensuram lucrandi, ac non lucrandi, iudicio boni viri præsertim Prælati, & Confessoris, nec proindè: hoc multum est dilatandum, ac prædicandum, nè vsurarum voracitati via adaperiatur.

An liceat alicui mulieri, pecuniam suæ dotis, mutuare, & aliquid pro centenario, accipere? 39

Respondeo, quòd non; quamquàm accipere liceat aliquid ab eo, qui pecuniam tenetur dare, ac est in mora soluendi, vt Matrimonij onera substententur: quoniam dos propter Matrimonij onera datur, ac dum ipsa non soluitur, potest quis pro ea aliquid accipere, & petere.

40 Si quis cum pacto, & conditione mutuat, vt ad suam mutuatarius, eat apothecam ad emendum, vt etiam alium ad ipsam venire faciat: An hic mutuans tali pacto, sit vsurarius?

Respondeo, quòd sic; etiam si ipse mutuans rem iusto vendat pretio; Ratio est, quoniam mutuatarij voluntatem ligauit, ad suam eundi apothecam causa emendi, & non ad aliam, ac tenetur ad restitutionem non mutuatario, sed pauperibus, vel Ecclesijs solùm, quantum concursus ille ad suam apothecam æstimabitur.

41 Qui mutuat granum vetus, vt nouum recipiat, an committat vsuram?

Respondeo, quòd sic: dummodò principaliter intenderet accipere illam meliorationem; si verò facit hoc, nè suum pereat, ac vt alteri faciat gratiam, dico quòd non esset vsura.

42 Si quis, mutuat ducatos centum: facta mutuatione, ob Principis authoritatem, ad valorem augentur ducatorum centum, & decem; an possit mutuans ipsos ducatos centum, ad valorem exigere ducatorum centum, & decem?

Respondeo, quòd non; sed tantùm ad valorem ducatorum centum; quoniam tunc ei nulla fit iniuria; nàm tantum recipit, quantùm præbuit; & nummi, semper exigendi sunt in illo valore, in quo Princeps soluere, iubet. Verum est, quòd si quis secretò sciret, quòd nimirum Princeps Pragmaticam fecerit, vel quàm primum faceret: puta; quòd nummi, maioris valoris expendantur, & ipse habet nummos restituendi, ac restituere tardat, scilicet vsquè ad publicationem prædictæ pragmaticæ, vt illam accipiat in nummis meliorationem; hoc non esset, sicuti cum nihil de pragmatica sciret, sed è contra: vndè in hoc casu, nedum mortaliter peccaret, propter suam malam voluntatem in damnum proximi, verum etiam teneretur ad restitutionem illius meliorationis; ac proindè ad satisfactionem ad integrum: ratio est, quia melioratio illa nummorum mutuatorum, debet cedere in vtilitatem mutuantis, & non ipsius mutuatarij, quoniam hic, nullum dominium habet, super ipsos nummos, tempore restitutionis adueniente.

43 An creditor, tempore solutionis adueniente, nolens prolongare terminum, nisi data pecunia, committat vsuram?

Respondeo, si hoc solùm facit ratione temporis, ac pecuniam

in arca conseruandi causa, quòd sic; si verò facit ad euitandum
damnum emergens, lucrumquè cessans, quod non.

Si quis Dominus, rustico mutuat, hoc animo, vt suam colat 44
possessionem, an sit vsurarius?

Respondeo, quòd sic; si ratione mutui, vult sibi aliquid donari,
si verò aliter, dico, quòd non.

An quis, locando suum predium, vt fructus, ante solutionis 45
tempus recipiat, committat vsuram?

Respondeo, quòd sic; quoniam nemo potest fructum recipere
loci locati, nisi solutionis tempus adueniat; puta quando res
locata suum fructum præbet. Potest nihilominus mutuans aliquid
plus à mutuatario accipere, quando nimirum tempore solutionis
elapso, aliquod damnum pateretur, vel quando minoris
pretij suam locat possessionem, ac predium, quàm valet ad arbitrium
boni viri, hoc est faciendum præsertim confessoris. 46

Si quis, alicui certam pecuniæ quantitatem præberet: pro qua
pecuniæ accomodatione, aliquid ipse reciperet pro sua assicuratione:
an possit de illa re recepta vti, sinè peccato, ac restitutionis
debito?

Respondeo secundum D. Thomam 2. 2. q. 78. art. 2. arg. 6.
tripliciter; primò, si rei vsus pignoratę, non erit ab illa mutua re
distinctus, vt sunt res, quæ consumantur cum vso, vt est frumentum,
vinum, oleum, ac similes res, vt quando Dominus non vult
vendi, sed solum impignorare, pro aliquo tempore, vti de eis potest,
dummodò solutionis tempore restituat ea in eadem perfectione
morali, ac mensura, dummodò res illa, non sit à Domino
sigillata, quia nimirum non vult, vt recipiens ipsa re vtatur, quandoquidem
in hoc casu vtens, peccaret. Secundò, si illius rei vsus
pignoratæ extimari non possit, vt sunt res, quæ gratia mutui solent
dari, & mutuando non consumuntur, vt est Aurum, Argentum,
Coralli, Margaritæ, & similia, vsu non consumptibilia,
eis quidem vti licet. Tertiò, si rei pignoratæ vsus, nummis æxtimari
potest; videlicet, si res pignorata, erat de illis rebus, quæ
possunt locari, vt sunt possessiones, agri, animalia, quæ fructificant;
vestes laneæ, lini, ac aliæ res, quæ vsu consumuntur, ipsis vti
non potest, ad tollendum fructum, ratione mutuationis; nisi voluntas
interueniat domini rem mutuantis, & dicentis. Volo, vt
mea re vtaris, quousquè tuum restituam; Si verò non interuenit

Domini voluntas, & talibus vtitur rebus, furtum mortale committit mutuans: secundùm Panormitanum c. 1. de Deposito. Vnde soluere debet, vel relaxare mutuans ipse de pignoratis pecunijs tantum, quantum rei pignoratæ consumptio, & vsus, pretio æstimabitur, vt volunt Doctores, aientes, quòd pignoris fructus, in sortem principalem commutari debeant. Vndè non solùm intelligendum est de obtentis fructibus, verùm etiam de illis, qui haberi poterant, sed ob suam negligentiam colendi, non recipiuntur: ac proindè ne dùm tenetur ad satisfactionem actu obtentorum, verum etiam illorum, qui recipi poterant, & ob suam negligentiam non recipiuntur, deductis tamen expensis.

47 Si qui alicui pro censu, centum præbet ducatos, vt quolibet anno, debeat reddere ducatos duodecim cum pacto, & conditione, quòd si tribus transactis, ducatos pro singulo non soluat anno, omnia teneatur soluere, puta, tàm censum, quàm capitale simul, an hic talis, sit vsurarius?

Respondeo, quòd sic; & toties quoties hoc facit; non seruando Bullam Nicolai V. ac Gregorij XIII. quæ multa seruare iubet, & specialiter ad substantiam contractus, ista quatuor. Primò, quòd ducati centum, non excedant pro quolibet anno, ad valorem ducatorum decem. Secundò, vt census in aliquo fundetur loco terminato, quem habet censum vendens, fructum reddentem tempore suo, ac postea alia omnia sua obligentur bona, videlicet, acquisita, & acquirenda; imò propria persona. Tertiò, quòd quando venditor vult, redimere possit, non autem Emptor. Quartò, & vltimò, quòd in redditione census, non plus soluatur, quàm fuerit receptum cum fructibus ab hora acceptionis, vsquè ad horam redditionis. Currentibus præterea tribus transactis annis, etiam vno, & non soluto censu; potest emptor, instrumentum pro illo scindere, capitali relicto.

48 Hic autem notandum est, quòd census multipliciter sunt. Primò quidam sunt Emphiteutici, quorum valor non excedit ad valorem ducatorum quinque, vel quinquè cum dimidio. Secundò, quidam sunt mortui, seù perpetui, qui minoris æstimantur valoris, qui excedere non possunt ad valorem ducatorum sex cum dimidio, & septem. Tertiò, quidam per quatuor, vel quinquè præbuntur annos, & hi minoris æstimantur valoris, quia præbentur, non magis quàm ad octo, vel octo cum dimidio. Quartò, & vltimò:

mò: quidam sunt, absquè termino, sed quandocunquè qui minoris æstimabuntur valoris, quàm cæterorum censuum: vndè excedere non possunt ad valorem ducatorum decem, vt supra dixiimus per Bullam Nicolai V. & Gregorij XIII.

Si quis vult ad censum tollere ducatos centum, aut plus, aut 49
minus, prout eget, & locum non habet, vt censum fundet, secundum Nicolai Bullam, &c. An possit ab amico locum petere, fundandi censum?

Respondeo si locus ab amico liberè, sponteq; coram testibus datur, pro qua donatione, factus est iàm verus dominus illius: nullum est impedimentum, quo minus facere non possit, ac proindè esset verum instrumentum tàm coram Deo, quàm coram S. M. Ecclesia, ac proxima; si verò donatio illa non fuit liberè, ac sponte facta, sed tantùm hoc faciunt, vt contractus legitimus appareat in futurum censum exigendo. E contra, quoniam contractus in fraudem Iustitiæ, ac Charitatis proximi fabricatus est; cum nemo alteri obligare possit quidquid suum non est; in quo facto, ne dum acriter reprehendendi sunt, ac puniendi, secundùm Bullam supra allatam, emptor, & venditor, verum etiam Notarius, testes, ac dans possessionem, cum omnes in fraudem Iuris testarent, nimirum, in futurum censum exigendo, super locum, in quo nullum habetur dominium, ac potestas, quæ est in contractu necessaria.

An liceat alicui, accipere pecunias ab alio sub ratione 50
vsuræ?

Respondeo, quòd nullo modo licet aliquem inducere ad mutuandum sub ratione vsuræ; licet tamen accipere pecunias ab eo, qui hoc facere paratus est, nimirum vsuras exigere, ac recipere propter pecunias mutuatas, ac proindè quis propter aliquem bonum finem, videlicet; ratione necessitatis iustæ, &c. potest, vt suæ subueniat iustæ necessitati, petere pecunias, ab eo, quem scit certò non aliter mutuaturum, nisi sub ratione vsuræ.

An liceat vsurario, pecunias concedere, vel eas apud eum 51
deponere?

Respondeo, quòd si quis pecunias vsurario committit alias non habenti pecunias, vndè vsuras exerceat, vel vt copiosius per vsuram lucretur, daret materiam peccandi, atquè esset particeps culpæ, sed si quis vsurario, suas committeret pecunias (habenti

iam

iam aliunde, vt vsuras exerceat) vt tutius seruentur, non peccaret, sed solum vteretur homine peccatore ad bonum.

52 An liceat alicui mercatori, pecuniam dare ad lucrum?

Respondeo, quòd sic per modum societatis cuiusdam, quoniam non transfertur dominium suæ pecuniæ in illum, sed remanet ipse dominus, ita quòd cum periculo ipsius, mercator cum ipsa negotietur, vel artifex operatur, idcircò sic licitè poterit partem lucri inde prouenientis, expetere, tanquam de re sua.

53 An aliquis, possit obligari ex pecunia sibi mutuata: gratias agendi de beneficio?

Respondeo, quòd non potest de hoc fieri ciuilis obligatio.

54 An vsura, aliquandò fuerit licita?

Respondeo, nunquam; ipsa enim non solum fuit per legem Euangelicam, atquè canonicam prohibita, verum etiam per legem Mosaicam, atquè naturalem, & oppositum tenere, hæreticum est, iuxta illud Deuter. c. 24. Non feneraberis fratri tuo ad vsuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed absq; vsura (si indiget) commodabis.

De Locationibus Animalium.

55 QVot modis, possunt Animalium contractus, locationesq; fieri pro quolibet anno aliquid recipiendi, ac respondendi, absq; vsura, ac mortali peccato?

Respondeo in tribus modis. Primò, per modum locationis, & hoc est quandò quis alicui rustico sua præbet animalia pro certa pecunia, vel frumento, vel pro quantitate alicuius rei annuatim recipienda. Secundò, per modum societatis, locationisquè simul, vt quando quis rustico suos locat boues pro certa frumenti quantitate, atquè apponit de damno, lucroquè rei locatæ, pactum; omnes isti casus, & contractus, sunt ex natura sua iusti, ac legitimi. Attamen possunt aliquando esse iniusti propter locorum, atq; animalium diuersitatem, debent in hoc casu, dantes, ac recipientes ipsa animalia, benè considerare loca, tempora, consuetudinem, ac aliam circumstantiam, per quam inter ipsos damnum oriri poterit; videlicet, æquiparentur partes, quòd reuera ipsarum nulla sit nimis aggrauata.

Imò

Imò duobus alijs modis dari, ac recipi possunt inter ipsos animalia. Primò, per modum mutui, vt quando æstimata, certo traduntur pretio, ac tunc si ea præbens, vult firma esse in tali pretio; lucrum, atquè damnum remanet in eo, qui ea recipit; aliter ipsi casus non erit licitus; est enim idem, ac si tantùm ei mutuasset pecunias. Secundò, per modum custodiæ, ac tunc certum constituitur custodienti salarium, vel certum lucrum, pro animalium cura proueniens, & hoc quoquè licitum, ac iustum est accipere, nisi ex ipsius custodientis culpa, aliquod damnum in animalibus inueniatur: in hoc enim casu aliter esset iudicandum.

Confessores verò, errantes à via veritatis edoceant; atquè ipsos ad verum salutis iter inducant; interest namquè ad suum officium, hoc facere.

Notandum hic in fine, quòd Dominus non tenetur satisfacere damno illato per seruum, vel per animalia defectu ipsiusmet serui, ante iudicis sententiam, modò tale damnum non fuerit ex sua culpa sequutum, tunc enim aliter esset dicendum, vt præcipuè ait Bonacina.

De Venditione, & Emptione.

QVid est Venditio, ac Emptio? 56

Respondeo, quòd est rerum mutatio. Vndè per venditionem, at emptionem, vnum præbetur, & aliud accipitur.

An negotiatio sit licita? 57

Respondeo, quòd duplex est negotiatio, ac rerum commutatio; vna quasi naturalis, ac necessaria; per quam fit rei commutatio ad rem, vel rerum, ac denariorum propter vitæ necessitatem, & talis, non propriè pertinet ad negotiationes, sed magis ad iconomicos, vel publicos, qui habent prouidere, vel domui, vel Ciuitati de rebus ad vitam necessarijs, ac talis negotiatio, est licita, ac laudabilis; alio modo, est commutatio, vel denariorum ad denarios, non propter res vitæ necessarias, sed propter lucrum quærendum, & hæc negotiatio propriè videtur ad negotiatores, pertinere, secundùm philosophum, ac ista iustè vituperatur, quoniam quantum est de se, deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit; sed lucrum moderatum fit, atquè

ordi-

ordinetur ad suæ domus substentationem, vel ad subueniendum indigentibus, vel cum aliquis negotiationi intendit, propter publicam vtilitatem, nè res necessariæ ad vitam patriæ desint, ac lucrum expetit, non quasi finem, sed quasi laboris stipendium; hæc certè negotiatio, erit licita.

58 An vendere rem carius, quàm quis emerit: sit semper negotiatio?

Respondeo, quòd non; sed solum tunc cum quis rem emit hac intentione, vt illam carius vendat.

59 An qui emerit rem aliquam, non intentione vendendi, possit illam vendere carius, quàm emerit?

Respondeo, quòd potest licitè quis facere, si tamen rem emptam in aliquo meliorauerit, vel si pretium rei mutuatum est secundum diuersitatem loci, ac temporis; vel propter periculum, cui se exponit transferendo rem de vno loco, ad locum. Est quidem hoc modo emptio, vel venditio, licita.

60 An liceat Clericis, negotiatio?

Respondeo, quòd non; attamen eis licet vti prima commutationis specie, quæ ordinatur ad necessitatem vitæ, emendo, vel vendendo?

61 An liceat alicui, rem suam vendere, quantum potest?

Respondeo minimè; quoniam ad iustam commutationem, duo requiruntur; puta debitum, atquè æqualitas, inter ementem, ac emptionem debetur considerari pretium à lege statutum, vel à consuetudine, vel à prudentium iudicio; quod tamen pretium non est puntuale, quoniam paruus defectus, ac paruus excessus, non tollit iustitiam; nam parum, pro nihilo reputatur: morali existimatione; si enim quis rem suam notabiliter venderet plus quàm valeret, vltra vsuram, & mortale peccatum, tenetur, omnia restituere; similiter dicendum est de illo, qui emit viliori pretio, quo potest.

62 An liceat, carius vendere, ratione temporis?

Respondeo, quòd non; nisi aliquod damnum ipse vendens, pateretur vendendo talem rem: vg: quis vendendi habet aliquid carolenis decem, & tali pretio alijs rem similem vendidit de facto; si verò habeat ipse aliam rem eiusdem pretij, quam fortè tenet pro subuenienda aliqua necessitate, vel damno accidenti sibi, vel rebus: si deindè accedat aliquis, & dicat. Amice: vende

mihi

mihi ipsam talem rem, cuius similem decem alteri vendidisti carolenis: & vendens dicit: egò dico tibi, quòd hæc res inseruit mihi pro reparando aliquo damnò, vel necessitate, si vis eam tibi vendo hoc pacto, vt tenearis ad solutionem damni futuri, quòd quidem non futurum esset si hanc haberem rem: si emptor rem hanc cum hac conditione emeret, teneretur ad damnum sequutum resarciendum, & venditori in hoc casu liceret carius hac rem vendere, quàm aliam rem similem: rationi damni: exemplum esse potest pe trabe; quis vendit trabem decem carolenis alicui, habet insuper aliam trabem, quam tenet, vt reparet domus parietem apertum iam, in hoc casu; si accederet aliquis, & esset contentus (declarato damno imminente in domo à venditore) emere trabem, & se obligare ad damna sequentia per negationem trabis venditori in domo sua: profectò ipse venditor poterit hac ratione trabem plus vendere, quam priorem trabem illi alio venditam decem carolenis.

Nihilominus venditor videat, vt cautè hoc faciat, & ex iusta, ac vera causa, nè propter auaritiam, aliquod animæ suæ detrimentum patiatur,

An venditor, teneatur manifestare defectum rei venditæ? 63

Respondeo affirmatiuè; quando scilicet defectus notabiliter est ementi damnosus; si verò defectus rei est paruus, sufficit ei solum, minuire pretium, nimirum quantùm ille rei venditæ defectus extimabitur.

An quis emens rem raptam, teneatur illam restituere? 64

Respondeo, quòd sic; puta: si scienter, ac malitiosè rem, quis emit raptam, mortaliter peccat, ac restituere tenetur nè dum id, quòd emit, verum etiam fructus ab ea collectos, ac de omni rei melioratione, etiam si res empta fuit alienata, atquè deperdita; si verò ignoranter, ac bona fide emit, tenetur tantum reddere rem, & fructus extantes, non autem mortaliter peccat, nisi ignorantia esset crassa.

An emẽs blandas, vel alios fructus ipsorum tempore, vt postea cariùs vendere possit, committat vsuram? 65

Respondeo, quòd si hoc faciat, vt vitam lucretur suam, ac suorum, non committit vsuram; maximè quando aliud negotiationis genus facere nescit, & non habet, vt vitam posset substentare, modò carestiam inducere, non intendat; si verò id faciat

ex auaritia, vt alios compellat ab eo emere, ac ipse suo vendat modo, vel careſtiam inducere intendat, dico quòd committeret vſuram; ac proindè tenetur omnia pauperibus, vel Eccleſijs erogare.

66 An quis emendo aliquid, ante ſuum tempus, cum pacto determinato, (puta quis in menſe Maij, alicui ruſtico centum præbet ducatos, pro centenis tritici menſe Auguſti) committat vſuram, atq; peccatum mortale cum debito reſtitutionis?

Reſpondeo, quòd ſi emens probabiliter credit, tempore ſolutionis, triticum plus valebit notabiliter, quòd ſic; ſi verò tàm emens, quàm venditor credit, quòd non plus vendi poteſt, ac ſi venditur: non multò pluris, vel minoris, quòd non; nihilominus in tali caſu res benè conſiderari debet; quoniam facilè quis in mortale currit peccatum, ac in vſuram, cum reſtitutionis debito; bonum, piumq; eſt in tali caſu centum præbere ducatos pro tanto frumento, quanto ſuo ſolutionis tempore valebit.

67 An quis negotians locum pergens longinquum, ducatos ferendo mille, aut plus, vel minus, emendi cauſa aliquid ad vendendum; ſi pro itinere aliquòd patitur damnum, poteſt rem emptam aliquo pluris vendere, quàm valet, ſecundùm legem, comunemq; pretium, nè de ſuo capitali, aliquòd damnum patiatur?

Reſpondeo minimè; nam ſicut talis, in alijs ſuis negotijs, emptoribus non ſuum computat lucrum ita, nec ex ipſis ſuum damnum recompenſare debet quoniam in rebus venialibus, valor: non computatur laboris, ac periculo lucrandi, perdendi, & non perdendi, ſed legali legi, comuniquè pretio.

68 Si quis vendit ſubhaſtani, ſeù ad incantum carius: an peccet mortaliter, ac teneatur de omni minoratione rei venditæ, ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſi hic facit alios multos venire ad incantum, vt rem venalem incantent (qui verè emere nolebant) vt rem ſuam carius vendat, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur, quoniam contra proximum, atquè iuſtitiam agit. Similiter, qui minoris valoris emit, hoc autem non quando nulla fuit interpoſita malitia, ſed quando alios facit ab incantu diſcedere, qui verè emere volebant, nè pretium in rem vendendam, augeatur.

69 An liceat alicui, ea vendere; quibus, in alijs caſibus, non licet vti?

Re-

Respondeo si quis facit, vel vendit ea, quibus homines possunt benè, ac malè vti, quòd sic; quoniam faciens ipse, ac vendens illa, non intendit ad malum finem facere, vel vendere, sed ad bonum commune, vel ad priuatam vtilitatem, quòd quidem iustum est facere, ac seruare; si verò facit, ac vendit ea, quibus homines benè possunt vti, attamen probabiliter scit, quòd ad malum finem emuntur, quòd non; quoniam qui causam damni dat, damnum fecisse videtur; & vltra mortale peccatum, de omni, ex illis rebus venditis, vel factis, damno exequutó, tenetur satisfacere, si vult saluari.

In rebus venalibus, quot pretia statuuntur? 70

Respondeo, quinque; primum, deficiens; secundum, mediocre; tertium, summum; quartum, excedens, idest quòd excedit terminum; quintum, & vltimum, superexcedens; puta illud quòd notabiliter, summum pretium excedit. Ille ergo qui vendit, potest licitè ei vendere, qui pecuniam statim præbet, ac rem suam pro medioeri, vel deficienti pretio; ei autem, qui non statim pecuniam præbet, potest eam ad terminum vendere pro summo pretio, & quasi puntuali, quòd autem est in termino, qui excedit, non debet, nec licitè potest secundum iudicium prudentum virorum: non autem potest alicui vendere pro alijs pretijs idest excedente, vel superexcedente; Porrò ille, qui emit, non potest licitè emere pro pretio deficiente, etiam si statim pecunias præbet, quia hoc est contra iustitiam, & æqualitatem si autem ex eo quòd aliquis non statim pecunias præbet, mercator, ad aliquod damnum incurrit non debet vendere, sed omninò ille instat, ac rogat, vt ei talem suam rem vendat, potest ad iudicium boni viri damni compensationem mercator accipere, de illo inquàm damno, de quo supra loquuti sumus.

De Restitutione.

QVid est Restitutio? 71

Respondeo est iterum statuere alterum in ius possessionis suæ, & hoc, siuè temporale, siuè spirituale. Vndè si quis aliùm trahit à Religione, vel à bona via, tenetur facere, quòd posset, vt eum in pristinum statum restituat. Similiter, de quocunquè damno proximo illato temporali. Vndè si quis tol-

lit aliquid alienum, vel occidit, vel mutilat, &c. tenetur iudicio viri prudentis, præcipuè confessoris, seu Prælati, satisfacere illius domui, iniuriæ, ac damno, etiam per tale ablatum sequenti. Eius hæredes, solum tenentur satisfacere damno illato; ac proindè si tollens, vel homicida, vel mutilans, ad accusationem aduersarij, sit morti condemnatus per iudicis sententiam, adhuc est in ipso restituendi obligatio, si damnum fuit sequutum.

Hic autem nota, quòd grauius quis peccat occidendo corporaliter, quàm spiritualiter, nisi etiam spiritualem mortem proximo intendat afferre: vt aiunt D. Thomas, & Caet. 1. 2. q. 73.

72 An quis aliquid inueniens, illud restituere teneatur?

Respondeo, quòd si res inuenta, nunquàm fuit ab aliquo possessa, vt sunt lapides pretiosi, in locis, vbi oriuntur, vel aues, vel feræ, vel lapilli, vel gemmæ in littore maris, non tenetur restituere; neque etiam si ipsa res fuerit à principio possessa, vt sunt thesauri, de quibus non extat memoria, cuius fuerint; verum est, quòd per leges ciuiles, ac multos Doctores dare tenetur medietatem domino agri, si tamen in alieno agro inuenerit: quoniam si in agro empto à se, inuentus fuerit thesaurus non tenetur ad dandum aliquid priori Domino: vt indicat apertissimè D. Matthæus c. 14. in parabola inuenientis thesaurum in agro: ait enim ipse, quòd emit agrum, quasi ius haberet totum possidendi thesaurum; at si fuerint inuenta supradicta, aliaue in mari, à nautis in ipsum proiecta ad alleuiandam nauim, &c. si quis accipit hoc animo, & voluntate, vt sibi retineat, peccat mortaliter, ac etiam tenetur ad restitutionem, sicut in furto, & vsura. Diuus enim Augustinus in hom: ait, & etiam habetur, 14. q. 5. c. Si quid inuenisti, & non restituisti, rapuisti, si verò tale inuentum, cuius sit, ignoratur, debetur in Ecclesia preconizari, & si Dominus illius non fuerit ad inuentus, arbitrio boni viri, præsertim Confessarij, vel Prælati, satisfaciat inuentor, modo, quò à talibus viris ordinabitur, maximè quando inuentum excedit valorem ducatorum decem.

Potest nihilominus tale inuentum inueniens, sibi retinere, si certè pauper fuerit, & orare pro domino rei inuentæ, hoc autem fiat cautè, nè propter inordinatam affectionem, quàm ipse inuentor habet, à via salutis aberret.

73 An capiens quis occultè rem suam, apud alium detentam, teneatur ad restitutionem?

Re-

Respondeo, quòd si talis res est penes aliquem, in cuius manibus fuit deposita, & sic furti rem suam accipiens apud alium depositam, grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innocentem: vndè manifestum est, quòd talis peccaret, ac teneretur ad reuelandum grauamen depositarij; sed qui accipit furti rem suam, apud alium iniustè detentam, peccat quidem, non quia grauet eum, qui rem detinet, ac ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad compensandum, sed peccat contra omnem iustitiam dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso, idcircò tenetur Deo satisfacere, ac operam dare, vt scandalum proximorum, si indè fuerit exortum, tollatur.

An hæredes furis teneantur ad restitutionem furti? 74

Respondeo, quòd sic, etiam si ad ipsos, nihil de furto peruenerit, secundum Iura Canonica, lite etiam non contestata cum patre.

An acquisitum in bello, debeatur restitui? 75

Respondeo, quòd duplex est bellum, scilicet; iustum, & iniustum; iustum est illud, quòd fuit ab eo ordinatum, qui potestatem mouendi ipsum habet iusta causa, ac recta intentione, & sic quidquid bellans iustè capit ab hoste, eiusquè coadiutoribus ipsum spontè sequentibus suum facit, suorumquè militum: vndè tota prædicta vnicuiq; debentur secundum propriam virtutem, nec de damnis illatis, tenetur satisfacere, ac restituere aliquid iustè bellantes, si aliter bellum fieri non potest; si autem damna inferuntur personis, quibus non debentur inferri, vel agris, vel villis, & à quibus abstigeri poterant, tenentur semper ad restitutionem; vndè non possunt Clericos spoliare, vel Religiosos, vel peregrinos transeuntes, nec morantes, nec animalia rusticorum, nec agentes accipere, nec damnificare eos, qui non sunt in culpa, maximè, quando bellum fieri potest, sinè his damnis; si verò bellum sit iniustum, iniustè bellantes, restituere tenentur, non solum illata hostibus damna (illis satisfaciendo) verum etiam ea, quæ inferunt hostes, eorum subditis consentientibus, quòd bellum iniustum fieret; excusantur enim subditi iniustè bellantes, quando nimirum credunt bellum esse iustum, aut iniustum, obedientia eos excusat, quousquè ad perfectam veniunt cognitionem, quòd bellum est iniustum; ab hoc non excusantur esteri ami-

ci, non obligati, illi seruire domino bellum mouenti; quoniam eos obedientia, non excusat cum non sint illi subditi: vndè non debent discrimine se committere, ac aliquem; in alterius præiudicium iuuare, & hoc hodiè multi aberrant, multos alienos principes sequentes, iniustè, ac iniquè bellum mouentes, & non aduertunt miseride graui proximorum damno, ac damnatione animæ propriæ.

76 Si quis vincit ludendo: an teneatur restituere?

Respondeo, quòd sic in aliquibus casibus; primò, si lucratus est furtiuè taxillos falsificando, vel aleas, vel per aliquam deceptionem; secundò, trahendo alterum adludendum, qui ludere nolebat, hoc autem non est intelligendum solum detractione per cautionem, sed de exhortatione; quando nimirum ipsum per nimiam trahit importunitatem, qui aliàs ludere nolebat; tertiò, ludendo cum eis, non habentibus nisi aliena, vt sunt mulieres nuptæ, bona, vltra dotem, non habentes, familiæ filij, Clerici, atq; Religiosi non habentes bona, nisi Ecclesiæ beneficia, quibus non restituendum est, ac satisfaciendum, sed suis dominis, superioribus, vel Ecclesijs; quartò, toties, quoties moniales leges, ad restitutionem ludentes obligant, nisi essent, per contrariam consuetudinem, abrogatæ.

Extra istos quatuor casus, nullus ludens ex necessitate salutis, restituere tenetur, ac satisfacere, sed solum de consilio, pœnitentiæquè habitu, ac tale lucrum pauperibus est præbendum, vel Ecclesijs; licet quidam affirment, quòd etiam ex necessitate salutis teneatur ludens satisfacere, ac restituere: tamen secundum veriorem doctrinam hortandus est, quòd sic malè acquisita per ludum bona, pauperibus erogentur, vel Ecclesijs.

Vndè talis dicens se non esse obligatum, non est ipsi peccatori absolutio neganda, sed confessarius ipsum absoluat, ac exhortet, vt à ludo imposterum desistat.

77 An quis turpiter (idest turpi causa, vt ex meretricio) lucratus sit aliquid, teneatur restituere?

Respondeo, quòd pium, ac laudabile est, vt quis talis semper exhortetur, quòd illud elargiri velit pauperibus, vel Ecclesijs; non verò tanquam res aliena accepta. Verùm est, quòd si quis meretrici, vel puero pecuniam promittit, ità quòd propter talem promissionem consenserit, ac peccatum expleuerit, tamen non tenetur

netur de necessitate salutis, illud, quòd promisit dare; quoniam in pari causa turpitudinis, conditio possidentis est melior. Attamen de salutis necessitate restitutio attendenda est, tanquam res de alienis rebus acceptis, in duobus casibus.

Primò. quando à religioso, vel à religiosa claustrali aliquid recipitur: quoniam tunc vltra sacrilegium per fornicationem patratum, committitur aliud sacrilegium, puta ab eo, vel ab ea pecuniam, vel quid notabile accipiendo cum expræsso restitutionis præcepto non ipsis, sed religioni, quoniam claustrales religiosi, ac religiosæ nihil dare possunt, cum omnia, quæ habent, suæ sint Religionis, ac Ecclesiæ; & id, quòd dictum est de claustralibus religiosis, sic est dicendum de quocunq; alio dare non potente; nam quamuis tale acceptum, non sit sacrilegium, cum non sit illud de Ecclesia, ac Religione, tamen tale lucrum, semper restituendum erit, tanquam res aliena ab alio accepta non illi, qui turpiter dedit, sed ipsius domino, ac superiori, vt debet cum claustralibus facere religiosis.

Secundò, in casu, quando hæc erunt, videlicet, aliqua mulier solum solita erat pro fornicatione, quinquè petere carolenos, vel iulios, ab aliquo homine simplice duos ducatos petit; in hoc casu mulier ipsa, vltra fornicationem, facit iniustitiam notabilem isto homini, superfluum petendo, quòd ab alijs petere non solebat, cum debito strictè illud restituendi, quòd quinquè remanet carolenis, vel iulijs; in isto enim casu, non est seruata iusta proportio; ac proindè aduertant tales, quia secus labentur in plures laqueos vnum fornicationis, alterum iniustitiæ: tu verò Christianæ lector, talibus occurrentibus casibus, stude animorum saluti.

Hic autem est notandum; quòd si mulier aliqua, nunquam ab alio fuit cognita, vel si cognita, tamen à nemine scitur; petit, ac accipit ab amante non solum ducatos duos, verum etiam decem, viginti, &c. & hoc maximè quandò ipsa mulier est nobilis in patria sua, ac nimis honorata, aliter profectò erit intelligendum, quoniam in tali casu, quælibet mulier, petere, ac recipere potest tale pretium, & maius, prout erit conditio sua, quamuis malè petat, & accipiat. Potest inquam talis mulier tantum petere, & recipere, quantum ille honor, ac fama in propria æstimabitur persona. Et id, quòd dictum est de muliere; erga virũ dicendũ est

de

de viro erga mulierē; nimirū, quòd ipse vir fornicans debeat in tali casu soluere, ac satisfacere mulieri, suisq; parentibus tantū, quantum, honorem, ac famā bonam in ipsis diminuit propter suā fornicationē, arbitrio boni, ac prudentis viri, præsertim confessarij, hoc autē non quandò mulier ipsa spontè, & liberè consentit, sed quando ab eo fuit per vim cognita; pium, ac laudabile est semper mulieri, suisq; parentibus damnū illatum compensare, & tantum, quantum ipse damnum intulit: quia licet mulier ipsa sponte, ac liberè ad fornicationem inclinat, ob quod, non strictè restituere, seù compensare tenetur damno famæ, honoris, &c. quia nimirum scienti, & volenti, nulla fit iniuria; nihilominus debet fornicans ipse considerare, quòd femineus sexus fragilis est, & hominum fortior, ob quàm fortitudinem, debet homo ipse fornicans considerare debet id, quòd femina non considerat, pium loquendo, &c.

78 Si quis religiosus in religione professus, suam damnificat religionem, quid facere debet pro satisfactione?

Respondeo, quòd debet prius elaborare, ac diligenter quærere, num rem datam possit habere, & religioni restituere; secundò, debet suos supplicare parentes, si haberet, vt pro beneficio animæ suæ, dignentur suæ dare Religioni tantum quantæ perditionis ipse causa fuit, modò propter talem restitutionem, vel dictum scandalum non veniat magnum; quoniam si scandalum magnum, tàm in propriam personam, quàm in proximorum venit, non debet dicere, & quærere, quandoquidem scandalum præcepto restitutionis præualet, neque parentes ipsius, in tali casu tenentur suæ religioni ex præcepto satisfacere, sed summa ipsorum perfectione, & charitate circa parentem, tertiò, saltem se debet à victu & vestitu abstinere, quantum potest, & secundum virtutem, ac sapientiam, quam in se habet laborare, vt tandem in finem sua Religio habeat id, quòd à se damnificatum fuit, & quando istorum prædictorum modorum nullus esse potest, debet habere contrictionem, ac bonam voluntatem satisfaciendi si posset; ad impossibile enim nemò tenetur; quoniam Deus, qui infinitè misericors est, de non possibilibus, suam non obligat creaturam.

79 An vsurarius, teneatur restituere quidquid de pecunia vsuraria acquisiuit?

Re-

Respondeo, quòd super hoc multi multa dicunt, nihilominus hic dicendum est cum D. Thoma 2. 2. q.78. art.3. quòd si talia fuerunt per vsuram extorta, quorum vsus est ipsa eorum consumptio, puta denarij, triticum, vinum, aut quid simile, non tenetur homo ad restituendum, nisi id, quod accepit; quoniam id, quod de tali re est acquisitum, non est fructus huius, sed rei humanæ industriæ, nisi fortè per donationem talis rei, alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis; tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti; illæ verò res, quarum vsus, non est earum consumptio habent vsum fructum, sicut domus, & ager, & alia huiusmodi; & idcircò si quis domum alterius, vel agrum per vsuram extorserit, non solum domum alterius, vel agrum, verum etiam fructus perceptos recompensare debet, quoniam sunt fructus rerum, quarum, alius est dominus, ac proindè ei debentur ex iustitia.

Si quis defunctus, bona fide suis hæredibus aliquid restituere relinquens; si postea tales hæredes, non restituunt. An liberaretur ipse defunctus à pœnis Purgatorij? 80

Respondeo, si ipse defunctus, veram habuit in morte contritionem, ac pœnitentiam de rebus restituendis alienis, alijsquè suis peccatis, culpam absoluentem; ex qua causa in Purgatorium descenderet, non staret in ipso loco, plusquàm stare debebat, vt quia sui hæredes, suam non fecerunt restitutionem; quoniam parentum culpa, ac pœna, nullum damnum defuncto ipso præbent, sed solum hæredibus, restituere nolentibus, hoc aiunt multi Sacri Doctores, præsertim D. Thomas lib. 6. art. 13. in dist. 45. q. 1. art. 3. Nauarr. c. 17. n. 68. Item: sciendum est per supradictos Sacros Doctores loc. præcit. quòd non solum hæredes non restituentes mortaliter peccant, verum etiam nimium eleemosynam differentes, ac præces, & missas pro ipso defuncto tardantes sinè causa legitima.

Si quis vsurarius in morte sua, omnia bona alicui conuentui, vel Ecclesiæ tradiderit, tenetur nè ipse conuentus, vel Ecclesia recipiens, restituere, ac satisfacere quidquid debebat ipse vsurarius restituere? 81

Respondeo, quòd sic; quoniam Conuentus, vel Ecclesia non potest prius accipere vsurarij hęreditatem, nisi integrè restituatur id, quod tenebatur vsurarius ipse restituere, si tamen rei dominus

ſcitur; quandoquidem vſurarius non poteſt alteri, non ſuum relinquere, ac teſtari: ſi verò rei dominus ignoratur, poteſt tunc conuentus ipſe, vel Eccleſia acceptare, ac tenere omnia, & pro illo cuius res eſt orare, ac alia bona opera ſpiritualia exercere, quoniam Eccleſia, & pauperes, verè ſunt oblitorum bonorum heredes; & id quod dictum eſt de Conuentu, & Eccleſia, dicendum eſt de vſurarij filijs, nempè: ſi filij vſurarij ſciunt id, quod ipſorum pater eis reliquit, non fuiſſe ſuum, ſed alterius, illi reſtituere debent ſi dominum cognoſcunt, ſi verò neſciunt illum, atq; ipſi pauperes ſunt, equidem poſſunt pro ipſis retinere id quod à patre relictum fuit eis, ac orare, & ſimilia opera exercere pro anima illius, cuius tale erat bonum; ſi quidem tunc ipſi filij vſurarij, inter cæteros pauperes computantur reſpectu talium rerum oblitarum, ſcilicet quarum dominus ignoratur, ac proindè verè ſunt talium rerum poſſeſſores. Nihilominus hoc faciendum eſt de cõfeſſoris, vel Prælati licentia, ac conſilio, nè propter propriam paſſionem, à diabulo allaqueetur.

82 An venditor alienarum rerum; poſſit pro ſe aliquid retinere rerum venditarum, abſquè reſtitutionis præcepto?

Reſpondeo, quòd ſi à Domino rerum venditarum venditori pretium ſignanter donat; puta, cum quis alteri, decem lini libras præbet, vt pro ſingula libra quinquè venditor ipſe, exigat carolenos, vel iulios, & vt de ſuperfluo lucro ei dicat, fac, vt tibi placet; in hoc caſu, ſi venditor ipſe tales libros lini maiori pretio vendit, quàm dominus dixerat, non tenetur ſuperfluum quinq; carolenorum, vel iuliorum reddere; quoniam iam pactum initum fuit à Domino dicente, ſibi, ſic, de ſuperfluo lucro, fac, vt tibi placet, his enim verbis clare patet, expræſsè conceſſiſſe, vt pro ſe venditor retineat ſuperfluum pretij præfixi ab ipſo, & hoc intelligendum eſt taliter, vt ipſe venditor talem rem iuſto vendat pretio; quia ſi contrarium fuerit, profectò ipſe venditor tenetur reſtituere emptori totum illud, quod ſuperat pretium iuſtum: ſi verò pretium non datur ſignanter, ſed vel plus, vel minus, pro vt talis res vendi poteſt, equidem retinere aliquid minimè poteſt, abſquè mortali peccato, ac reſtitutionis præcepto, etiam ſi res vendatur plus ex ſua cauſa, ac induſtria; quia ſcilicet rem multũ laudauit, quoniam ipſe tunc ſuum ſolitum fecit officium circa rem vendibilem; ſi verò ipſe totam circuit ciuitatem, vt rem talem ven-

vendat, in qua talis res data ipsi fuit, vt vendat: ac si non plus ipsam rem vendere potest, quàm quinquè carolenis, &c. tunc ipse venditor ad aliam pergendo Ciuitatem, vel oppidum, &c. causa talem rem vendendi maiori pretio, sed iusto, non tenetur superfluum restituere; quoniam illud pretium super ans pretium præfixum; non dependet ab ipsa re vendita, sed ex vendentis industria, incommodo, ac labore, dummodò talem rem suo periculo de ciuitate in ciuitatem transferat: quia si eam transfert aliò cum periculo Domini ipsius rei, aliter certè erit dicendum; nimirum; quòd totum debeat ipse venditor pretium domino restituere, habita tamen satisfactione rei venditæ ab ipso: quoniam qui habet incommodum, debet etiam habere commodum, vt nos docet illa naturalis, ac communis sententia.

Si multi, vnum damnificant, cui omnes satisfacere tenentur, si 83
vnus ipsorum satisfaciat damnificato, liberantur nè omnes alij à præcepto restitutionis?

Respondeo, quòd si multi vno tempore, vel etiam in diuerso furantur, ac damnificant proximum in rebus, ac bonis domus, pro quibus damnis, omnes tenerentur satisfacere damnificato; si ipsorum vnus, ad integrum restituat, ac satisfaciat damno proximò allato, profectò omnes alij liberantur à præcepto restitutionis, &c. nihilominus illi, qui soluit, ac satisfacit, tenentur omnes restituere, ac compensare partem suam prout singulo fuerit taxatum. At si multi in vna caterua, vel in pluribus, proximum offendunt, non in rebus, ac bonis domus, sed in honore, ac fama, tunc oportet necessariò, quòd vnusquisquè pro se restituat, ac satisfaciat proximò ipsi famam, ac honorem læsum; quoniam in hoc casu, non fiunt multi, vnum corpus, vt fiunt in casu prædicto: sed diuisum, ac distinctum omninò, & minimè vnus potest pro alio satisfacere proximò, & restituere ipsi honorem, & famam læsam à multis, sed requiritur, vt quilibet personaliter faciat, id quod possibile est, vt resarciat honorem, ac famam proximi læsam.

An debeat quis famam, & honorem per legem ablatum resti- 84
tuere? puta quis in Hispania pro furto, vel infamia frustratus est, vel ad triremem condemnatus, liberatus à pœna legis, se in aliam transfert regionem, nimirum Italiam; vbi benè, sanctèquè viuit; pro qua bona fama, & sancta vita ab omnibus populis, vbi habi-

tat pro bono, ac sancto teneretur, elapsis annis quindecim, aut plus, minusuè ab Hispania in Italiam vnus accedit, ipsum frustratum agnoscens, & populis dicere incipit: ò gentes, caueatis queso ab hoc homine malo, siquidem est latro, ac infamis, & pro tali in Hispania fuit condemnatus, & pœnam passus; an inquam talis teneatur ad restituendam famam illi, qui iustè, & sanctè viuendo, à populis tenebatur in bonis?

Respondeo, quòd aliqui Doctores affirmant, talem non tollere ipsi in Hispania frustrato, &c. famam, & eorum ratio est, quoniam fama, & honor, per legem ablatus, semper, & vbiquè habent, vt reum priuent bona fama, & honore, ac proindè semper, & vbiquè ipse infamatus existit. Quàm ob rem ille ex Hispania veniens, magis ad bonum comune tenetur, quàm ad priuatum seruandum, & tenetur ipse talis communitati personarum, vbi latro, & infamis existit, manifestare ob bonum publicum scelera sua.

Alij verò, & melius, asserunt, quòd hic talis in hoc casu teneretur ad restitutionem famæ, & honoris illius miserabilis, & sic in veritate, tenendum est; quia si ille homo in Hispania pro furto, vel infamia, honorem suum, ac bonam perdidit famam; tamen in Italia, benè, ac sanctè viuendo in primum honorem, ac famam rediјt, & sic homo ille manifestans facta hominis infami, ac pessima mala, vbi ipsum videt viuere honorate, ac in bona hominum opinione, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. Et quòd diximus de homine infamia in Hispania, & sancte, ac in bona fama in Italia viuente, dicimus etiam de illo, qui infamatus est in propria Ciuitate, & non ab omnibus pro tali scitur; ac ideo si quis infamij scelus alijs hoc ignorantibus aperit, quod erat occultum, peccat mortaliter, & ad restitutionem famæ tenetur, quotiescunquè enim quis à proximo aliquid notabile de fama tollit lethale contrahit crimen, & illud restituere, ac compensare tenetur.

Et illa regula, quæ inquit. [Semel malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali: certè fallit, quando quis per tres annos continuos à tali abstinet peccato, & multò magis si quindecim abstinet annis. Et sacri Doctores volunt, quòd de peccatis magna retractatione retractatis à proximis, licet grauissima sint; accusare, nec murmurare permittunt.

Si quis proximò bonam detrahit famam, quæ bona fama ablata, ob longum tempus, non recordetur ab ijs, quibus dicta fuit. An debeat talem bonam ablatam famam oblitam, restituere? 85

Respondeo, quòd non; quoniam dum ipsa bona fama ablata: ob longum tempus ignoratur, nulla de ea memoria existit, nec existere poterit in futuro, non solum non debet quis illam tollens restituere, verùm etiam malum facit restituendo illam, quoniam de nouo resurgeret propter talem restitutionem, & sic erit nouissimus error peior priore: propterea non erit obligatus in hoc casu, tollens famam bonam restituere; sed solum confiteatur negligentiam suam in non restituendo proximò famam suo loco, & tempore. Diximus supra. (Nec existere poterit in futuro) quoniam si quis aliquo modo dubitat, quòd in futuro illa ablata fama existere poterit, profectò illam restituere tenetur, ac proindè sit quisquè talis sollicitus, & non dubiosè pigritans circa suæ animæ salutem.

Verum tamen est, quòd multi sacri Doctores volunt, quòd etiam infamans teneatur bonam restituere famam ablatam, licet ob longum tempus ipsa iniuria ignoretur, & credatur, quòd hęc existere poterit in futuro: dicunt enim, quòd quamuis ignoretur, & credatur. An possit existere in futuro, nihilominus potest aliquo tempore recordari: ambæ opiniones sua non carent probabilitate: tu autem lector, sequi poteris, quàm tibi ex corde placuerit.

Quot casus, in qualibet restitutione, considerantur? 86

Respondeo octo; nempè: quis, quid, vbi, quantum, cui, quando, quomodo, quo ordine.

Primò. Quis; idest non solum tenetur, restituere rapiens, verùm etiam quicunq; causa efficax fuit, famæ ablatæ, &c. & quisquè talis restitutionis famæ, vel cuiuscunquè rei præceptum incurrit in nouem casibus hiscè versibus contentis: puta.

Iussio, consilium, consensus, locusquè, recursus.
Particeps, mutus, non obstans, non manifestans.

Iussio; idest iussione insolidum participando, ac proindè quis consentiens, seù simul cum alio iubens, tenetur de omni damno, etiam si nullam habuerit vtilitatem: similiter exequens iussionem.

Consilium; nimirum participando in consulendo, cum scilicet alicui

alicui datur consilium ad furandum, vel rapiendum; tenetur certè dans tale consilium ad restitutionem, si latro cui donauit consilium aliàs non fuisset facturus furtum tale sinè consilio, at si omninò erat tale furtum commissurus etiam sinè consilio, profectò, non obligatur consulens ad restitutionem faciendam, quãquam non excusaretur à mortali crimine.

Consensus: nimirum: quando quis, vt furtum, vel quid simile fiat consensu expræsso consentit; ita, vt sinè eius consensu, non fuisset tale furtum, &c. sequutum: similiter; furtum, vel rapinam suo nomine factam esse ratificans, est ad restitutionem obligatus; quoniam ratihabitio, mandato comparatur per Sacros Canones, sacrosquè Doctores.

Palpo; puta: quando quis participiat palpando, nimirum laudando, atquè adulando latronem de furto, vel rapina; ita, quòd probabiliter credit, quòd ex hac adulatione sit latro ipse ad damnificandum proximum, motus: quandoquidem talis adulatio, est quidam consensus.

Recursus, nimirum participando per recursum; quando scilicet fur, aut latro recursum habet ad aliquem cum rebus, & spolijs: vnde scienter receptans rem furtiuam, ac ipsum furem, tenetur ad restitutionem omnis damni patrati, si tamen aliàs non fuisset factum: puta si non habuisset fur talem cõmoditatem recurrendi, furtum minimè fecisset.

Particeps, idest ille qui participat scienter, ac malitiosè de re furtiua illam comedendo cum alijs, vel recipiendo, ac proindè obligatur ad restitutionem quò ad suam partem.

Mutus, idest ille, qui rem vidit furatam, ac sinè suo aliquo periculo posset furtum impedire, vel aliter, & tamen ex propria malitia tacet; qui enim à socio iniuriam non repellit cum potest tàm est in vitio criminoso ipse, quàm ille, qui facit.

Non obstans; vt si Iudex cui ex officio, prouidere incumbit, nè damna subdito inferantur, non curat, nec delinquentes punit, ità quòd propter hoc furta, & rapinæ venientes, tenetur ad restitutionem omnis damni per ipsum sequuti quoniam damnis obuiare potens est, & nolit, (præciso omni suæ personæ, vel alterius periculo, ac quocunquè scandalo) ipsa damna velle censetur.

Non manifestans, nimirum, qui participat non manifestando,

vt

vt putà, quòd res sit furtiua, & hoc posset sine periculo manifestare, atquè interrogatus à iudice tacet: omnes prædicti, tenentur ad restitutionem sub præcepto culpæ lethalis.

Secundò, quid, idest rem alienam non solum ablatam, verum etiam id, quod bona fide possidebatur, & quis talia furans tenetur non solum adhæc restituenda, verum etiam damnis satisfacere, & fructus talium rerum perceptos reddere, ac honorem famam restituere si læsa fuerit alteri, & si res reddenda fuerit consumpta erit, reddendum æquiualens.

Tertiò, vbi; idest si restitutio facienda consurgit ex actione iniusta, fieri debet in tali loco, quòd Dominus indemnis remaneat; si verò consurgit ex re aliena, quæ bona fide possidebatur, fiat restitutio, vbi res habetur.

Quartò, quantum; idest æquale, ac si res ablata est quantitatis incertæ, fiat restitutio arbitrio boni viri, præsertim Confessoris, vel Prælati, maximè quando restitutio valorem excedit ducatorum decem.

Quintò, cui; idest regulariter fiat domino rei, nisi causa rationabilis obstet; si verò restitutio fieri debet ex eo, quòd dare, ac recipere prohibitum est, (vt in symonia) detur Ecclesiæ, vel pauperibus: vbi verò sola acceptio est prohibita, restituatur damnum passum, vt in vsura.

Sextò, quando; idest, vt animum quisquè habeat promptum, quàm citò restituendi, & cum tempus erit opportunum, citò, & actualiter faciat restitutionem.

Septimò, quomodo; idest per se, vel per alium fide dignum, & occulta, occultè, publica, publicè restituendo.

Octauò, & vltimò: quo ordine; idest vbi potest in omnibus satisfieri, nullus est ordo in restitutionibus; si verò non potest in omnibus satisfieri, prius restituendæ sunt res alienæ, quæ adhuc extant in sua specie, deindè certa, & postea incerta.

De Vestimentis.

An sit peccatum mortale pretiosis vti vestimentis? 87

Respondeo ex D. Thoma 2. 2. q. 169. art. 1. quòd esset peccatum mortale, si fieret ex inordinato affectu per superabundantiam, ac per defectum; quantum ad superabundantiam contin-

tingit inordinatio affectus tripliciter; puta: vno modo per hoc, quòd aliquis ex superfluo cultu vestium inanem hominum gloriam quærit, prout vestes, & alia huiusmodi pertinent ad quemdam ornatum. Alio modo secundum quod homo per superfluum vestium cultum, delicias quærit, secundum quòd vestis ordinatur ad corporis fomentum; tertiò, modò secundum quòd nimiam apponit sollicitudinem in exteriori vestium cultu, etiam si non sit aliqua inordinatio ex parte finis; ex parte autem defectus similiter duplex esse potest inordinatio per affectum: vno modo ex negligentia hominis, qui non adhibet studium, vel laborem, in hoc quòd exteriori vestium cultu vtatur: vndè Philosophus 7. Ethic. ait, quòd ad mollitiem pertinet, quòd aliquis trahat vestimẽtum per terram, & non laborat ad leuandum ipsum: alio modò ex eo, quòd ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam inanem, ac falsam ordinat: vndè D. Aug. lib. de Serm. Domini in monte inquit. Non in solo rerum corporearum nitòre, atquè pompa, sed etiam in ipsis sordibus, ac luctuosis esse posset iactantia, atquè ideò periculosiorem, qui sub nomine seruitutis Dei, decipit. Et Philosophus 4. Ethic. ait, quòd semper abundantia, & inordinatus defectus ad iactantiam pertinet.

An S. Matris Ecclesiæ Prælati, pretiosis vtentes vestimentis, mortaliter peccent?

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2, q. 169. art. 1. ad 2. quòd illi qui in dignitatibus constituuntur, vel etiam ministri altaris, & id genus, pretiosis vtuntur vestibus, non propter inanem gloriam, sed ad significandum excellentiam sui ministerij, vel diuini cultus minimè peccant, sed potiùs actus Religionis exhibentes placent Deo excellenti, si verò induuntur sacratas vestes cum vitio, seù vana gloria peccant grauiter.

88 Qua veste, debent Clerici vti?

Respondeo, secundùm Bullam Sixti V., quòd nigro debent Clerici vti vestimento, vel alio honesti coloris nigro debent propinqui, nec nimis longo, nec nimis breui, & talia indumenta illa sunt, quibus modesti, ac religiosi Sacerdotes in qualibet Prouincia vtuntur, & sic de barba, ac capillis capitis intelligendum est, ac etiam de pileo.

89 Clerici, vestem portantes partitam, aut tabandam: an peccent mortaliter?

Re-

Respondeo, quòd sic per eamdem bullam, etiam si solum primam habent Tonsuram, vt videre est apud Argumentum in dist. 80. Similiter, peccaret mortaliter vtendo viridibus, aut rubris vestibus. Idem est dicendum de veste polymita, & quacunquè alia notabiliter irreligiosa, vel pretiosa, nisi iusta hoc, concedatur causa.

An peccent mortaliter Religiosi mendicantes, qui præ cæteris fratribus, vilioribus vtuntur vestibus? 90

Respondeo per D. Thomam loco præcitato, quòd non semper (qui vilibus vtuntur vestibus, præ cæteris fratribus) peccant; at si hoc faciunt propter iactantiam, vel superbiam, vt se ipsos cęteris præferant, vitium superstitionis est. Si verò faciant propter carnis macerationem, vel humilitatem spiritus, ad virtutem temperantiæ pertinet. Præcipuè autem competit vilibus vti vestimentis, illis, qui alios, & verbo, & exemplo ad pœnitentiam hortantur, vt fecerunt Prophetæ. Vndè quædam Glos. Matth. c. 3. inquit. Qui pœnitentiam prædicant, pœnitentiæ habitum protendant.

An mulieres ornantes se, semper peccatum mortale committant? 91

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra art. 2. quòd circa mulierum ornamentum, sunt eadem attendenda, quæ supra diximus de exteriori cultu. Et insuper aliud quoddam speciale erit adnotandum: videlicet; quando mulieris cultus ordinatur adhoc, vt nimirum viros ad luxuriam prouocet, iuxta illud prou. c. 7. ecce parata ad decipiendum animas: profectò talis mulier mortaliter peccat, dat enim causam peccandi: at si mulier ornat se pretiosis vestibus, vt suo placeat viro, nè propter vxoris ineptitudinem, in adulterium labatur, potest licitè huic rei operam dare absquè peccato; illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec habere volunt, nec etiam habere possunt pro statu, in quo inueniuntur; non possunt, absquè peccato appetere, vt virorum aspectibus placeant ad concupiscendum; quia hoc est eis dare incentiuum peccandi, ac proindè: si hac intentione se ornant, vt alios incitent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si verò ex quadam leuitate (ex vanitate procedente) propter iactantiam quamdam hoc faciunt, minimè peccatum committunt mortale, sed solùm veniale, & idem est dicendum de viris, quãtum ad hoc.

92 An mulieres possint sinè peccato, nudatis capillis incedere?
Respondeo, quòd non, vt D. vult Augustinus epist. ad possidium, vbi dicit, quòd fęmina capillos debet velare. Apostolus pariter iubet, vt caput mulieres velarent. Possent nihilominus aliquæ mulieres à peccato excusari, quando hoc non facerent ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamuis talis consuetudo haud laudabilis sit.

93 An mulieres, vti possint figmentis, ad colorandam faciem, absquè peccato?
Respondeo per eumdem D. Thomam loc. præcit. quòd mulierum fugatio, est quædam species fictionis, quæ non potest esse sinè peccato; nihilominus non semper est cum peccato mortali, sed tunc solùm quando fit propter lasciuiam, vel contemptum Dei, & in his casibus loquitur Ciprianus lib. de habitu Virginum. Sciendum tamen est, quòd aliud est, fingere pulchritudinem ex aliqua causa prouenientem; puta: ægritudine, vel aliqua huiusmodi causa; quandoquidem est licitum, vt ait Apostolus, quia Corinthiorum c. 12. [quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorem circumdamus.

94 An liceat mulieri, veste vti virili, vel è contra?
Respondeo, quòd non; vt videre est specialiter apud D. Thomam loco prędcit. art. 2. nisi propter aliquam causam necessitatis; vt causa occultandi se, ab hostibus, & simili.

De Decimis.

95 AN Christiani teneantur decimas soluere?
Respondeo, quòd sic; vt habetur 16. q. 1. atquè dictum est Augustini aientis, quòd decimæ requiruntur ex debito, ac qui eas dare noluerit, res alienas inuadunt.

96 Quare Christiani, decimas soluere tenentur, si nec Christus, nec eius Apostoli, aliquid de decimarum solutione, dixerint?
Respondeo per eumdem D. Thomam loc. præcit. quòd præceptum de solutione decimarum, datum fuit à Christo in Euangelio, quantum ad id, quòd est mortale peccatum: per Matthæum dicentem. Dignus est operarius mercede sua: & ab Apostolo 1. Cor. c. 9. quis militat suis stipendijs vnquam? & paulò post; qui altari deseruiunt, cum altari participant, &c.

Quia-

Quare ante legem non fuit præceptum aliquod de decimis soluendis? 97

Respondeo per eumdem D. Thom. quia in illo tempore non erant determinati ministri diuini cultus, sed dicitur, quòd primogeniti erant Sacerdotes, qui duplicem accipiebant portionem, atquè ideò etiam non erat pars determinata diuini cultus ministri exhibenda, sed vnusquisq; quando occorrebat, propria sponte dabat, quòd sibi videbatur, ac etiam Abraham præbuit decimas Melchisedech Gen. c. 28.

Si Christiani omnes ex præcepto tenentur decimas soluere, cur 98
in multis terris non soluuntur?

Respondeo per eumdem D. Thom., quòd laudabiliter Ecclesiæ ministri decimas non requirunt, vbi sinè scandalo requiri nō possunt propter dissuetudinem, vel propter aliquam causam; nec proindè sunt in statu damnationis, qui non soluunt in locis in quibus Ecclesia non petit, nisi fortè propter obstinationem animi voluntatem non soluendi haberent, si ab ipsis peterentur decimæ.

De quibus rebus sunt decimæ soluendæ? 99

Respondeo per eumdem D. Thom., quòd de omnibus possessis ab homine.

An debeant dari nunc decimæ personales, quæ in lege veteri, 100
de præcepto non erant?

Respondeo per eumdem D. Thom., quòd in veteri lege quælibet tribus, tot possessiones habebat, quot Dei ministri prouideri sufficienter poterant, nec leuitis interdicebatur, quin de alijs operibus possint honestis lucrari; sed Christianus populus, vbiquè diffusus est, atquè multi possessiones non habent, ac viuunt, de aliquibus negotijs, decimas non soluendo. Ministri etiam nouæ legis arctius interdicuntur, nè sæcularibus negotijs se immisceant. 2. ad Tim. c. c. & quidem decimæ personales à Christianis, soluendæ sunt: vndè 16. q. 1. c. decimæ: atquè ex Augustino habetur aiente: quòd decimæ de militia, de negotio, ac artificio, reddendæ sunt.

An de malis acquisitis, sint decimæ soluendæ? 101

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd malè acquisita sunt in dupplici differentia. Primò, si ipsa acquisitio iniusta sit, videlicet, si interuenit rapina, furtum, vel vsura, atq; huiusmodi;

& de his non debet decima solui, sed certè acquisitum hoc modo, restitui debet domino, cui prius erat. Nihilominus de fructibus agri empti ex vsura, dari debent decimæ: alio modò aliqua acquiruntur turpiter, vt per meretricium acquisita, sicut & acquisita ab histrionibus: de his profectò, & similibus decimæ solui debent, sicut de alijs decimis personalibus fieri solitum est. Ecclesia tamen eas recipere haud debet, quamdiu existunt in peccato, nè videatur, eorum peccatis communicari; sed postquàm poenituerint, possunt vtiq; ab ipsis decimæ recipi libentissimè.

102 An de herbis, alijsuè flosculis, ac minutissimis oleribus, decimæ solui debeant?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non, nisi fortè propter antiquam Patriæ consuetudinem.

103 De quibus rebus in veteri lege determinabatur, decimas solui debere?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd in leuitico cap. vltimò, non mandabatur decimas solui, nisi de frugibus, pomisquè arborum, ac animalibus, quæ sub Pastoris virga transeunt.

104 An quando quis perdidit, per furtum, vel rapinam, res aliquas, aut per vsuram, teneatur de illis rebus perditis, decimas soluere?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; vsquèquo illas recuperauerit, nisi fortè propter culpam, vel negligentiam suam tale damnum incurrisset, quia in his non debet Ecclesias, suosq; ministros damnificare.

105 Si res fuit vendita, non soluta decima, quis soluere decimam tenetur; venditor: An Emptor?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd Ecclesia tàm ab emptore, quàm à venditore decimam petere potest; venditor enim Ecclesiam, suosquè ministros defraudauit; atq; emptor habet penes se rem emptam, quæ est Ecclesiæ debita; attamen soluente vno, alter soluere non tenetur.

106 An teneatur homo, obligatus Dominis, detrahere census, ac tributa, & post decimas soluere?

Respondeo per eumdem Diuum Thomam, quòd decimæ non cadunt sub tributo, & ideò tenetur homo decimas soluere de fructibus excrescentibus, antequam detrahantur tri-

tributa, vel censas, & ex integris fructibus.

An prius detrahi debeant mercedes metentium, & operariorum, & postea de residuo decimas præbere? 107

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; sed debent solui decimæ de fructibus terræ integris; dicitur enim Gen. c. 28. cunctorum, quæ dederis mihi, offeram tibi.

Queis debent decimæ solui? 108

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd solis Clericis sunt soluendæ.

Quibus Clericis, debent decimæ solui? 109

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd personales decimæ Ecclesiæ debent solui, seù Parochiæ in qua homo habitat, decimæ verò prædiales, rationabiliter magis ad Ecclesiam pertinere videntur in cuius terminis, prædia sunt; attamen iura determinant, quòd in hoc obseruetur consuetudo diù obtenta.

Quæ prædiales decimæ dicuntur, & quæ personales? 110

Respondeo per eumdem D, Thomam, quòd vt colligi potest ex c. ad Apost. & c. Pastoralis de decimis, atquè cap. de Parochijs; decima prædialis est de ijs, quæ ex prædijs proueniunt; scilicet, frugibus pomis, nucibus, atquè de huiusmodi fructibus, tàm terræ, quàm arborum; Personales verò de ijs sunt, quæ ex negotiatione proueniunt, artificio, scientia, militia, venatione, ac huiusmodi industrijs personarum. Quædam verò decimæ partim prædiales sunt, partimquè personales, sicut sunt illæ, quæ de animalibus proueniunt eorumq; fętibus, quæ prædiales à prædijs vndè viuunt, dicuntur, & personales, propter custodiam, eorumquè curam.

Quando vno tempore in vna Parochia agni pascuntur, alioq; tempore in alia, decimæ solui debent? 111

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd proportionaliter vtriq; Ecclesiæ, seù Parochiæ solui debent.

Quid, si ouile, in vna fuerit Parochia, & in alia oues pascantur? 112

Respondeo per eumdem Diuum Thomam, quòd magis illi Ecclesiæ; seù Parochiæ debetur, in cuius territorio grex pascitur.

An Clerici teneantur decimas soluere? 113

Re-

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd habentes Ecclesiasticas possessiones, atquè populo spiritualia ministrantes, in quantum tales, decimas soluere non tenentur; de alijs verò prædijs, vel aliter ipsis prouenientibus tenentur decimas dare sicut alij.

114 An Parochialis Ecclesia, prædia habens in territorio alterius Ecclesiæ Parochialis, teneatur decimas soluere?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non.

115 An religiosi, qui curam animarum non habent, nec populo spiritualia dispensant, decimas de prædijs suis soluere debeant?

Respondeo, quòd sic (per eumdem D. Thomam) de iure communi; habent tamen aliquam immunitatem secundum concessiones eis diuersas à Sede Apostolica factas.

116 An Clerici teneantur Summo Pontifici decimas dare?

Respondeo per D Thomam, quòd sic, si eas fortè exigat.

117 An teneantur pauperes, ad decimas soluendas?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd decimæ, debent cedere ad subuentionem Clericorum; ac proindè ipsi pauperes, debent decimas soluere, ad hoc vt ipsi Clerici, ministriq; Ecclesię, possint commodè viuere.

118 An Summus Pontifex dispensare possit, nè aliquis teneatur decimas soluere?

Respondeo per eumdem Diuum Thomam, quòd sic; ratione necessitatis, vel vtilitatis, vt iàm, in cap. nobis de decimis, habetur.

119 An retrahentes homines à decimarum solutione, in aliquam incurrant pœnam?

Respondeo, quòd Clem. cupientes de pœn. habetur. Religiosi, quia aliqua proferre, præsunt in sermonibus, vel alibi ista intentione, vt à decimarum Ecclesijs debitarum solutione retrahant audientes excommunicantur.

120 An Religiosi prædicantes, Confessionesquè audientes, conscientiam facere teneantur, decimas non soluentibus?

Respondeo, quod vt supra dicta habetur Clem. cupiētes, quòd si à Clericis requisita fuerint, quibus debentur decimæ, vel eorum nomine prædicantes, informare populum tenentur de soluendis decimi, eisquè præcipitur sub æternæ maledictionis intermina-

·110·

tione, quòd in prima dominica quarta, & vltima quadragesimæ, atquè in fœstis Ascensionis, Pentecostes, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, Assumptionis, ac Natiuitatis semper Virginis Mariæ, populis prædicando, eos sic informent; quòd si scienter post posuerint: Confessiones audientes similiter si fuerint simul modo requisito, atquè conscientiam non fecerint eis, qui ipsis confitentur, suspensi sunt ab officio prædicationis, illis donec faciant conscientiam, si de hoc commoditatem habuerint faciendo; & hoc non adimplentes, ac prædicando contra dictum interdictum, sunt ipso iure, ipsoquè facto excommunicati.

Quem fructum, fideliter soluentes decimas consequuntur? 121

Respondeo, quòd vt habetur in c. decimæ, & in c. reuertimini 16. quæst. 1. abundantiam merentur fructuum, sanctitatem, multa deuitant mala, vt in c. 6. habetur. Maiores 16. q. 7. Principatus: item bonitatem; quandoquidem fiscus hoc tollit, quòd Christus non accipit.

De Vectigalibus.

AN liceat vectigalia exigere? 122

Respondeo principaliter per D. Thomam 4. sent. d. 16. quæst. 4. art. 2. quæstiuncula 3. quòd publicanorum officium, qui vectigalia exigunt publica, ex propinquo peccatum adnexum habet, quamuis sinè peccato quandoquè exerceri possit, & hoc, quando authoritate fit Principis, & causa vtilitatis communis ad terræ defensionem nimirum, & non immoderata recipiunt theloneа, scilicet tributa.

Quæ differentia est inter tributum, & vectigal? 123

Respondeo, quòd tributum est, quòd Principi tribuitur pro regimine generali; vectigal verò est, quòd redditur Principi in aliquibus certis locis de mercimonijs, quæ deferuntur pro reparatione, & custodia. Vectigal dicitur, quòd Principi datur, quando per patriam deuenitur, vt sunt Procuratores, & similes.

An sit licitum, pedagia exigere? 124

Respondeo per D. Thomam de Regimin. Princip. lib. 2. c. 12. quòd Iura permittunt principibus pedagia, vt in ciuitate stratæ sint liberæ; & transeuntibus securæ; vndè in eis seruantibus prædicta,

dicta, officiales Principum, ipsa merita possunt exigere, ac proficiscentes debitè obligantur persoluere.

Quis potest pedagia imponere ad exigendum?

125 Respondeo, quòd in cap. super quibusdam de verb. signif. in Glosa, Princeps, vel Rex, vel ille cui à Lateranensi Concilio commissum fuit, vel qui ex longa consuetudine, de qua nulla extat memoria in contrarium, hoc habet.

126 An tales potestatem habentes, pedagia imponendi, ea imponere possint, sinè iusta causa.

Respondeo, quòd non; imò sic imponentes, rapinam committunt.

127 Quæ causa iusta dicitur, pedagia imponendi?

Respondeo, quòd sunt publicæ necessitates, sicuti Pontes, publicæ domus, defensio stratæ, atquè huiusmodi, vt habetur 24. q. 3. Si quis romipetas c. innouamus de treg. & pace; & in c. peruenit; & in cap. cum Apostolus de cens. & lib. vectigalia ff. de publ. & ibi per Doctores.

128 De quibus debent pedagia solui?

Respondeo, quòd vt habetur in lib. omnium c. de Vict. debent solui solum de his, quæ causa deferuntur negotiationis, vel mercimonij.

129 An de emptis rebus ad vsum vitæ, vel familiæ, solui debeant pedagia?

Respondeo, specialiter per Hostien. ac Rom. in c. super quibusdam de verbis signif. quod non.

130 Quæ pœna eorum est, qui pedagia exigunt de rebus pro vsu vitæ cedentibus?

Respondeo, quòd vt habetur in lib. Vniuersi c. de Vectigal. est capitationis pœna, ac etiam de his, quæ deferuntur Iuris gratia colendi, vel ad se defendendum.

131 A quibus pedagia exigi possunt?

Respondeo, quòd ab omnibus, Ecclesiasticis personis exceptis, nisi fortè ipsi causa negotiationis different, vt habetur in c. quamquam de censibus 6.

132 Quæ pœna est pedagia exigentium ab Ecclesiasticis personis?

Respondeo, quòd vt habetur supra immediatè, si particularis est persona, pęna est excommunicationis, si Collegium, vel vniuersitas ciuitatis, vel castri, vel villæ, pœna est interdicti.

133 An

An pedagium fraudantes, teneantur ad restitutionem? 133
Respondeo principaliter per dom. Panorm. in cap. innotuamus de tregua, & pace, quòd sic, si pedagium habet conditiones supra positas; quia peccant fraudando, atquè ad restitutionem tenentur, aliàs non.

An Christiani teneantur pedagium infidelibus soluere? 134
Respondeo, quòd non; nisi per hoc, quòd nimirum ab ipsis retineantur in transitu, vel etiam si ex pacto haberent, & infideles Christianis fidem seruare in suis pactis, vt habetur 22. quæst. 4. Innoc. & 23. quæst. 1. noli, & Archid. in cap. Si quis romipetas 24. quæst. 3.

De Accusatione, & Iudicio.

AD quid fuit Accusatio instituta? 135
Respondeo, quòd nè aliquis substineatur, quasi innocens, qui culpam habet, vt principaliter est videre apud D. Thomam 4. sent. dist. 41. art. 1. q. 2.

An Accusatio, in scriptis fieri debeat? 136
Respondeo, quòd sic, vt habetur 2. q. 8. c. Accusatorum.

Quis dicitur Accusator? 137
Respondeo ille, qui aliquem coram Iudice accusat, ac criminalem sibi mouet quæstionem.

An homo, vel peccatum, accusari debeat? 138
Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra, quòd aliquando contingit, vt aliquòd factum reputatur licitum ex ignorantia alicuius circumstantiæ, & ob id cur si homo accusatur quandoquè ità, ac factum ipsum accusari potest.

An teneatur homo, de necessitate accusari? 139
Respondeo per eumdem Diuum Thomam 2. 2. q. 68. artic. 1. quòd si crimen tale fuerit, quòd reipublicæ in detrimentum vergit, ad accusationem homo tenetur; dummodò possit sufficienter probare, quòd ad accusatoris officium spectat, videlicet cum peccatum alicuius, vergit in multitudinis corruptelam corporalem, seu spiritualem; si autem tale non fuerit peccatum, quòd in multitudinem redundet, vel etiam si sufficiens probatio adhiberi non possit, non ad accusationem intentandum tenetur, quia ad hoc nullus tenetur, quòd non potest debito modo perficere.

140 Quomodò accusatio iniusta redditur?

Respondeo per eumdem D. Thomam loc. præcit. art. 3. quòd in accusatione, duplici ratione contingit esse peccatum; vno modo, ex eo, quòd aliquis iniustè agit eum contra, qui accusatur, falsa ei crimina imponendo, quòd calumniari est; alio modo ex Reipubl. parte, cuius bonum principaliter in accusatione attenditur, dum aliquis malitiosè peccati punitionem impedit, quòd iterum contingit dupliciter; vno modo, fraudem in accusatione adhibendo, & hoc ad præuaricationem pertinet; nam præuaricator dicitur, quasi variator; quia aduersam adiuuat partem: prodita causa sua; alio modo totaliter ab accusatore desidendo, quòd tergiuersari est; in hoc enim quòd desistit ab hoc, quòd cœperat, quasi terga vertere dicitur.

141 Quæ pœna debetur ei, qui in accusatione defecerit?

Respondeo per eumdem D. Thomam loco præc. art. 4. quòd quia ille, qui malè accusat contra accusati personam peccat, & contra Rempublicam propter vtrumquè punitur; & hoc est, quòd Deuter. c. 19. dicitur: cumquè diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium; reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit; quòd pertinet ad iniuriam personæ, & postea quantum ad iniuriam Reipublicæ subditur: [Et auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere; æqualitas itaquè Iustitiæ hoc requirit, vt nocumentum, quòd quis quasi alteri intentat, ipse patiatur secundùm illud Exod. c. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente; atquè adeò iustum est, vt ille, qui per accusationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipse etiam pœnam similem patiatur, & dicitur pœna talionis.

142 An accusatus, teneatur dicere interroganti veritatem?

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra q. 69. art. 1. quòd sic, si ab eo secundum Iuris formam exigitur, aliter peccaret mortaliter; si autem iudex exigit, quòd non potest iuris ordinem, accusatus ei respondere non tenetur, si per appellationem, vel aliter licitè subterfugere potest; attamen mendacium dicere non licet.

143 An accusatori liceat, se defendere?

Respondeo, quòd reo, qui accusatur, licet se defendere, veritatem

tatem occultando, quàm confiteri non tenetur per conuenientes modos aliquos; puta, quòd non respondeat ad quod non respondere non tenetur: non autem ei licet, vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere, quàm confiteri tenetur, neque etiam dolum aliquem, vel fraudem adhibere; quoniam fraus, atquè dolus vim mendacij habent, & hoc est calumniosè se defendere, quòd non licet.

De quibus peccatis, Iudex potest secundum Iuris formam, accusatum interrogare? 144

Respondeo, quòd quando præcessit infamia super crimine aliquo, vel aliqua expræssa apparuerint indicia, vel etiam cum probatio processit semiplena, de peccato tali potest iudex interrogare, atq; accusatus tenetur respondere.

An mulier, de Adulterio accusata, penitus occulto, teneatur veritatem Iudici confiteri interroganti? 145

Respondeo per eumdem D. Thomam lib. 5. q. 8. art. 2. quòd non; nec iudex debet de hoc ab ipsa iuramentum exigere de veritate dicenda; quia occulta, diuino iudicio solum reseruantur, iuxta illud primæ Cor. c. 4. Nolite antè tempus iudicare, quousq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.

An in peccatis omnibus requiratur accusator, vt puniantur? 146

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 67. art. 2. quòd non, in notorijs peccatis, quæ non solum sunt iudici manifesta, sed etiam alijs, ità quod modò nullus reus crimen inficiare potest, sed statim ex ipsa euidentia facti conuincitur, si autem esset iudici manifesta, & non alijs, vel alijs, & non iudici, tunc necessaria est iudicis discussio.

An iudex, iudicare possit, non sibi subiectum? 147

Respondeo per eumdem Diuum Thomam vbi supra artic. 1. minimè; nisi sit aliquo modo ipsi subiectus, vel per commissionem, vel potestatem ordinariam, quia non posset exercere vim coactiuam contra talem, per quam constringatur ad seruandam suam sententiam.

An iudex debeat iudicare secundum veritatem, quam nouit? 148

Respondeo per eumdem D. Thomam loco precit. art. 2. quòd non, secundum id, quòd nouit, tanquam persona priuata, secundum, quod est persona publica, cognoscit in communi per leges publicas, vel diuinas, vel humanas, contra quas nullas probatio-

nes admittere debet: in particulari autem negotio per instrumenta, ac testes, aliaquè huiusmodi legitima documenta, quæ debet sequi iudicando magis, quàm id, quòd ipse nouit tanquàm persona priuata, ex quo tamen ad hoc adiuuari potest, vt districtas discutiat probationes inductas, vt possit earum defectum inuestigare, quòd si eas non possit, de iure eas repellere, debet in iudicio sequi.

149 An iudex, aliquem iudicare possit, absquè accusatore?

Respondeo per eundem Diuum Thomam vbi supra artic. 3. quòd in criminibus, non potest iudex aliquem in iudicio condemnare, nisi accusatorem habeat, attamen publica infamia, habet accusatoris locum. Vndè super illud Gen. c. 4. Vox sanguinis fratris tui, &c. & Gloss. Euidentia perpetrati sceleris accusatorem, non eget.

150 An iudex, licitè pœnam relaxare possit?

Respondeo per eundem D. Thomam, vbi supra art. 4. quòd est differentia inter iudices, quia supræmus iudex, nimirum princeps, cui plenariè est publica potestas commissa si ille, qui passus est iniuriam velit eam remittere, poterit reum licitè absoluere, si hoc publicæ vtilitati viderit non esse nocumentum, sed iudex inferior, non habet potestatem reum à pœna absoluendi per leges à superiore sibi impositas.

151 An semper sit lautum iudicare?

Respondeo per eundem D. Thomam 2. 2. q. 60. art. 2. quòd iudicium, in tantum est licitum, in quantum est Iustitiæ actus; ad quòd tria requiruntur; primò, vt procedat ex inclusione Iustitiæ; secundò, quòd procedat ex authoritate præsidentis; tertiò, & vltimò, quòd proferatur secundum rectam intentionem prudentiæ.

152 An peccatores, alios iudicare possint?

Respondeo secundum D. Thomam, quòd illi, qui sunt in grauibus peccatis, non debent iudicare eos, qui sunt eisdem peccatis adnexi, vel etiam minoribus, vt D. ait Chrisostomus in Matthæum; ac præcipuè hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica, quia ex hoc in aliorum cordibus scandalum generatur, si autem occulta sunt, atquè iudicandi necessitas immineat, propter officium, potest cum humanitate, ac timore, vel arguere peccatorem, vel iudicare.

An

An iudicium ex suspitione procedens, semper sit peccatum? 153

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra art. 3. quòd suspitionis gradus triplex est; primus, vt homo ex leuibus indicijs, dubitare præsumat de alicuius bonitate, & hoc est peccatum veniale, quia ad humanam tentationem pertinet, sine qua vita ista non ducitur; secundus, gradus suspitionis est, cum aliquis pro certò malitiam alterius extimat ex leuibus indicijs, & hoc si est sine contemptu proximi: vnde Gloss. super illud 1. Cor. c. 4. Nolite ante tempus iudicare: inquit sic. Ac si suspitiones euitare non possumus, quia homines sumus, iudicia attamen; idest diffinitiuas, firmasquè sententias continere debemus; tertius, gradus suspitionis est cum aliquis iudex, ex suspitione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc ad Iustitiam directè pertinet, vndè mortale peccatum est, ac damnatio æterna.

An dubia, sint semper in meliorem partem interprætanda? 154

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra art. 4. quòd sic; quia ex hoc ipso, quòd aliquis de alio, malam habet intentionem, absquè sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum; nullus autem alium debet contemnere, vel nocumentum aliquòd inferre, absquè causa cogente, atquè ideò vbi non apparent manifesta indicia de alicuius malo, debemus eum, vt bonum habere, meliorem partem interprætando, de quo dubium est.

An personarum acceptio, sit in iudicio licita? 155

Respondeo per eumdem D. Thomam q. 63. art. 4. quòd homo in iudicio, debet pauperi subuenire quantum fieri potest; nihilominus, sinè iustitiæ læsione, alioquin non habet illud; quòd dicitur exodi c. 23. Pauperis quoquè non misereberis in iudicio; & ita per acceptionem personarum iudicium corrumpitur, quia acceptio talis personarum quamdam habet inæqualitatem, inquantum alicui attribuitur personæ, præter proportionem suam, in qua æqualitas consistit iustitiæ, ad quam iudex, inæqualitatem oppositam, reducere debet.

An inferior, superiorem iudicare possit? 156

Respondeo per eumdem D. Thomam 4. sent. dist. 47. art. 2. q. 2. minimè authoritate propria, sed benè superioris authoritate, sicut in iudicibus patet de legatis.

An iudex, innocentem condēnare possit, si per testes conuincatur? 157

Re-

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 64. art. 4. quòd iudex aliquem sciens innocentem esse, qui falsis conuincitur testibus, debet diligentius examinare testes, vt occasionem comperiat innoxium libertandi, sicut Daniel fecit; si autem hoc non potest facere, eum superiori relinquere debet iudicandum. Si autem etiam hoc non potest, non peccat, secundum allegata, atquè approbata sententiam ferens; quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui asserunt, innocentem esse reum tali crimine.

158 An carnifex, sequi debeat iudicis sententiam iniustam, innocentem interficiendo?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd si sententia intolerabilem continet errorem, carnifex, non debet obedire, aliàs excusarentur peccato lethali carnifices, qui martyres interimunt varij tormentorum generibus; si verò iniustitiam manifestam non continet, non peccat, iudicis præceptum exequendo, ipse enim non habet discurrere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed iudex cui ministerium exibere debet.

159 An iudices, meretrices, vel similia tolerantes peccent?

Respondeo per eumdem Diuum Thomam q. 10. art. 11. minimè, imò rectè talia mala tolerant, ne aliqua impediantur bona, vel etiam nè aliqua peiora incurrantur: vt D. ait Augustinus lib. de ordine: Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinis.

160 An iudices, iudæos ritus suos seruare tolerantes, peccent?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd non; quia licet ipsi iudæi ritus suos seruando peccent, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus; attamen hoc bonum prouenit, quòd testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura nobis reputatur, quòd credimus, atquè adeò in suis ritibus tolerantur.

161 An iudices Machometistarum, aliorum ritus tolerantes peccent?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd sic; quia tales ritus, cum nihil veritatis habeant, nec aliquid vtilitatis afferant, nullo modò sunt tolerandi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum, puta: scandalum, vel dissidium, quòd ex hoc posset prouenire, vel impedimentum eorum salutis, qui paulatim sic tolerati hæreticorum, atquè paganorum ritus aliquando Ecclesia

tole-

tolerauit, quando nimirum magna erat infidelium multitudo.

An aliquis possit se alterius iudicio submittere, qui eius non sit subditus? 162

Respondeo per eumdem D. Thom. q.97. art. 1. quòd sic; sicut Christus iudicio se subdidit spontanea voluntate, atquè etiam arbitrio; vt patet ex Euangelijs.

An falsum testimonium mortale sit peccatum? 163

Respondeo per eumdem D. Thom. q.70. art. 4. quòd falsum testimonium triplicem habet deformitatem; vno modò experiurio, quia testes, non admittuntur, nisi iurati, & ex hoc semper mortale est peccatum: in alio modo ex violatione iustitiæ, & sic etiam est peccatum mortale in suo genere, sicut & quælibet iniustitia cum proximo, falsus testis suam iustitiam tollat: tertiò, ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum; & ex hoc non habet falsum testimonium, quòd semper sit mortale peccatum.

An testimonium alicuius, repelli possit, absquè eius culpa? 164

Respondeo per eumdem D. Thom. q.70. art. 3. quòd testimonium non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem, atq; ideò quidquid est, quòd probabilitatem auferat, in contrarium testimonium reddit inefficax; redditur autem probabile, quando aliquis in veritate testificanda; non est infirmus, quandoquidem propter culpam, sicut infideles, infames, &c. Item illi, qui publico crimine, rei sunt, qui nec accusare possunt; quandoq; autem, absquè culpa, & hoc est, vel ex defectu rationis, vt patet in pueris, amentibus, personisq; coniunctis, atquè domesticis, vel quibus impetrari potest; de quibus probabile est, quòd de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem; ac sic patet, quòd alicuius testimonium repellitur, & propter culpam, & absquè culpa.

An testes, possint pro testimonio ferendo, pretium accipere? 165

Respondeo per eumdem D. Thomam q.71. art.4. quòd accipiunt, non quasi testimonij pretium, sed quasi laboris stipendium expensas, quia nemò militat stipendijs suis vnquam, vt ait Apostolus ad Cor. c.9.

A quibus accipi possunt expensæ? 166

Re-

Respondeo per eumdem Diuum Thomam, quòd vel ab vtraquè parte, cum sint communes vtriquè parti; vel ab ea à qua inducuntur.

167 An quilibet teneatur ad testimonium ferendum?

Respondeo per eumdem D. Thomam q. 70. art. 1. quòd distinguendum est, quia aliquando testimonium requiritur alicuius, aliquando non requiritur; si requiritur à superiori, cui in his, quæ ad iustitiam pertinent, obedire tenetur, sic in his quibus secundum ordinem iuris, testimonium ab eo exigitur; quia in manifestis, atquè in his, in quibus infamia præcessit, manifestum est, quòd tenetur testimonium ferre; si autem in alijs requiritur non à superiore, cui obedire tenetur, vel eius authoritate, tunc distinguendum est, quia si testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab iniusta morte, seù pœna, vel à falsa infamia, vel etiam ab aliquo damno; tunc tenetur testificari, & etiam non requiratur, tenetur facere, quòd in se est, vt veritatem denunciet alicui, qui ad hoc possit prodesse, dicitur enim Psalm. 81. Eripite pauperem, & egènum de manu peccatoris liberatè: atquè prouerb. cap. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & Rom. 1. dicitur qui morte non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: vbi Gloss. ait: Consentire est tacere, cum quis possit redarguere; super his verò, quæ pertinent ad considerationem alicuius, non tenetur quis ferre testimonium, nisi cum à superiore compellitur secundum ordinem iuris, quia & si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur, vel immineat periculum accusatori, non est iurandum, quia in hoc periculum sua sponte se ingessit; alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet, eo nolente.

168 An Clerici possint ad testificandum compelli?

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd operari, & cooperari ad hominis occisionem, non competit ministris altaris, atquè adeò secundum iuris ordinem compelli non possunt ad testimonium ferendum in causa sanguinis.

169 An duorum, vel trium testium sufficiat testimonium?

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra artic. 2. quòd secundum Philosophum lib. 1. Ethic. certitudo non est, similiter quærenda in omni materia; in actibus enim humanis, super quibus constituuntur iudicia, atquè exiguntur testimonia, non

potest

potest haberi certitudo demonstratiua, eo quòd sint circa contingentia, ac variabilia, & ideò sufficit probabilis certitudo, quæ, vt in pluribus veritatem attingat, ac si in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile, quòd magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum vnius, & ideò cum reus sit vnus, qui negat, sed multi testes asseuerant, idem cum actore rationabiliter institutum est iure diuino, atquè humano, quòd dicto testium stetur; omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, scilicet principio, medio, & fine; vndè secundum philosophum in primò lib. de cœlo omne, & totum in tribus ponimus; ternarius quidem constituitur asserentium, cùm duo testes conueniunt cum actore, & ideò requiritur binarius testium; vel ad maiorem certitudinem, vt sit ternarius, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus: vndè & Ecclesi. in c. 40. dicitur. Funiculus triplex, difficile rumpitur.

An testium discordia, testimonio præiudicet? 170

Respondeo per eumdem D. Thomam, quòd in aliquibus principalibus circumstantijs, quæ variant substantiam facti, puta in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam testimonij, quia si discordant in talibus, videntur singulare in suis testimonijs, atquè de diuersis loqui videlicet: si vnus dicat, hoc factum esse in tali tempore, & loco, alius, alio tempore, & loco, non videtur de eodem facto loqui; non tamen præiudicatur testimonio, si vnus dicat se non recordari, & alius asserat determinatum tempus, vel locum; si autem sit discordia in aliquibus circumstantijs non pertinentibus ad substantiam facti: puta; si tempus fuerit nubilosum, vel serenum, vel si domus fuerit pincta, aut non, aut aliquid huiusmodi, talis discordia, non præiudicat testimonio; quia homines non consueuerunt circa talia, multum sollicitare: vndè facilè à memoria elabuntur; quin immò aliqua discordia in talibus, facit testimonium credibilius, vt Diuus ait Chrisostomus in Matthæum; quia in omnibus concordaret, etiam in minimis viderentur ex condicto eumdem sermonem pro ferre; quòd tamen iudicis prudentiæ relinquitur discernendum.

An quis debet testimonium ferre de his, quæ sibi committuntur in secreto per confessionem, vel sub secreto? 171

Respondeo per eumdem D. Thomam q. 70. artic. 1. quòd de

 his,

his, quæ sunt commissa homini secretò per confessionem, nullo modo testimonium ferre debet, quia res huiusmodi non scit vt homo, sed tanquam Dei minister, ac maius est in Sacramento vinculum, quolibet hominis præcepto, vt alibi diximus. Circa verò ea, quæ aliter homini sub secretò committuntur, distinguendum est; quandoquè enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare teneatur; nimirum si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel temporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, vel aliquid aliud est huiusmodi, quos quis propalare tenetur, vel testificando, vel denunciando; & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quàm alteri debet; quandoquè verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur; vndè potest obligari ex hoc, quòd sibi sub secreto omittuntur, ac tunc nullo modò ea tenetur prodere etiam ex superioris præcepto, quia fidem seruare, de iure est naturali: nihil autem potest homini præcipi, quòd de Iure sit naturali: sicuti non potest præcipi ipsi ea, quæ sunt de Iure diuino, vt sæpè sæpiùs diximus.

172 Quis leges iudiciales, ac humanas condere potest?

Respondeo principaliter per D. Thom. 1. 2. q. 60. art. 3. quòd quia lex, propriè, primò, ac principaliter respicit ordinem ad communem bonum: ordinare autem aliquod bonum commune, est, vel totius multitudinis, vel alicuius generis vice totius multitudinis; ideoquè legem condere, vel ad totam pertinet multitudinem, vel ad publicam personam, quæ totius multitudinis curam habet.

173 Quales dicantur esse leges humanæ?

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra q. 95. art. 3. quòd vt Isydorus, ait: erit lex honesta, iusta, ac probabilis secundum necessaria, vtilis, manifesta quoquè nè aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate scripta.

174 An leges semper sint obseruandæ, prout verba sonant?

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra q. 6. art. 6. quòd communis lex ordinatur ad communem hominum salutem, atquè in tantùm vim, ac legis rationem obtineat: Secundum verò, quòd ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet: vndè Iurisperitus, inquit, quòd nulla ratio Iuris, aut æquitatis benignitas

pati-

patitur, vt quæ labitur per hominum salutem introducuntur ea, non duriori interpretatione, contra ipsorum commodum perducamus ad veritatem. Contingit autem multoties, quòd aliquid obseruari communi saluti est vtile, vt in pluribus, quòd tamen in aliquibus casibus maximè nociuum est: quia igitur legislator non potest singulares omnes casus scire, interim proponit legem secundùm ea, quæ in pluribus accidunt, suam ferens intentionem ad communem vtilitatem: vndè si eueniat casus, in quo talis legis obseruatio sit damnosa communi vtilitati, ac saluti, non est obseruanda, sicut in ciuitate obsessa, statuitur lex, quòd ipsius Ciuitatis portæ maneant clausæ; ac proindè vtile esset communi saluti, vt in pluribus: tamen si eueniat casus, quòd hostes insequerentur aliquos ciues, per quos ciuitas conseruatur, perniciosissimum esset ipsi ciuitati, nisi eis portæ aperirentur: idcircò in tali casu portæ essent aperiendæ, contra legis verba, vt redundaret vtilitas communis, quam legislator intendit. 174

An semper leges humanæ mandentur propter peccatum mortale? 175

Respondeo, quòd lex, quæ pœnam infligit grauem, vt quando iubet aliquem occidendi, mutulandi, vel vt remigandi penam ferat reus ipse, vel in carcerem, aut in exilium properet, vt per longum tempus ibi commoretur: aiunt Doctores, quòd semper propter peccatum mortale mandatur lex. Idem est dicendum: quando Summus Pontifex, vel Episcopus mandat excommunicationem suspensionem, ac interdictum. Vndè Ecclesia (probant Canones) non infligit fidelibus talem pœnam, ac censuram, nisi ob culpam mortalem. Si verò lex, puta, tàm Imperialis, quàm Ecclesiastica pœnam in mandatis leuem infringit, licet tenere, obuenialem mittere culpam.

An leges humanæ possint mutari? 176

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra q. 97. artic. 2. quòd sic ex hoc aliqua maxima, atquè euidens vtilitas ex nouo statuto proueniat, vel ex hoc, quòd maxima necessitas, ex eo, quòd lex consueuerat, aut manifestam iniquitatem continet, aut eius obseruatio: est plurimum nociua. Vnde dicitur à Iureperito, quòd in rebus nociuis constituendis: euidens debet esse vtilitas, vt recedatur ab eo iure, quòd diù æquum visum est.

An Princeps suis subijciatur legibus? 177

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra q.6.art.5. quòd Princeps dicitur esse solutus à lege in quantum ad vim coactiuam legis: nullus enim propriè cogitur à se ipso, nec aliquis in Principem potest iudicium condemnari ferre, si contra legem agat; sed quantum ad vim directiuam legis Princeps, subditur suis legibus propria voluntate: secundum, quòd dicitur extrau. de const. c. cum omnes: quòd quis Iuris in alterum statuit, ipse eodem vti debet, & sapientis authoritas patere legem, quantum ipse tuleris.

De Oratione, & Adoratione.

178 QVid est Oratio?

Respondeo secundum Damascenum, quòd est pius mentis affectus in Deum tendens, in vocem prorumpens; de consecr. dist. 29. quando autem.

An Oratio sit necessaria?

Respondeo secundum D. Thomam 3.p.q.39. art.5. quòd post Baptismum, necessaria est homini iugis oratio, ad hoc, quòd coelum introeat, licet ei per baptismum remittantur peccata; remanet attamen peccati fomes interius pugnans, & mundus, ac Dęmon exterius etiam pugnant, ac proindè signanter dicitur Luc.c.3. quòd Iesu baptizato, & orante, apertum est coelum; quia nimirum fidelibus necessariam est oratio post baptismum.

179 An Oratio cadat sub praeceptum?

Respondeo secundum supradictum Thomam 4. sent. d.15.q.4.art.1.q.3. quòd oratio cadit sub praecepto, & determinatè, atquè indeterminatè, determinatè quidem ad aliquas orationes ex praecepto tenentur illi, qui ex officio medij sunt inter Deum, ac populum constituti, tanquam Sanctae Matris Ecclesiae ministri; vndè ex officio incumbit ipsis, ad Deum praeces (in persona Ecclesiae) fundere. Et ideò ex statuto Ecclesiae tenentur ad horas canonicas persoluendas; sed indeterminatè ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipso, quòd tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quae non nisi diuinitus dantur: vndè alio modò procurari non possunt, nisi ab ipso petantur, & etiam ex hoc ipse, quòd charitatis praecepto tenetur proximum, sicut se ipsum diligere, tenetur ei in necessitate beneficus esse, non solum per corpo-

rales

rales eleemosinas; sed etiam per spirituales, quarum vna est oratio; sed omnibus, qui Ecclesiæ ministerio non funguntur, videtur ab Ecclesia determinatum tempus orandi statutum esse, cum Canonum statuto teneantur diebus festiuis, diuinis officijs interesse, vt ministris pro populo orantibus, suam intentionem confirment.

An Oratio sit meritoria, ac semper habeat efficaciam? 180

Respondeo per supradictum D. Thomam 2.2.q.83.art.7.quòd contingit aliquando, quòd oratio pro alio facta, non impetret etiam si fiat piè, ac perseueranter, & de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum, quòd est ex parte eius, pro quo oratur, iuxta illud Hier. c. 15. Si steterint Moyses, ac Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; nihilominùs oratio meritoria erit oranti, qui ex Charitate orat; secundum illud Psalm. 4. Oratio mea in sinu meo conuertetur; Gloss. Et si non prosit, ego tamen non sum frustratus mercede mea.

An Oratio debeat esse vocalis? 181

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 82. art. 12. quòd duplex est oratio; communis, ac particularis; communis quidem oratio est, quæ per ministros S. M. E. in persona totius populi fidelis offertur. Et idcircò oportet, quòd talis oratio innotescat toti populo, pro quo offertur, quòd non posset fieri, nisi esset vocalis: & ideò rationabiliter institutum est, vt ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes etiam alta voce pronuncient, vt ad notitiam omnium possint peruenire; Oratio verò particularis est, quæ offertur à particulari persona quacunquè, siuè pro se, siuè pro alijs fratribus, ac de huiusmodi orationis necessitate, non est, quòd sit vocalis; adiungitur tamen vox tali orationi triplici ex ratione; Primò, ad excitandam interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuetur in Deum, quia per exteriora signa, siuè vocum, siuè etiam aliquorum Sanctorum, mouetur mens hominis secundum apprehensionem, ac per consequens secundum affectionem: Et D. Thomas item in 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 1. inquit, quòd propter hoc etiam cantus ab Ecclesia instituti sunt. Vndè D. Augustinus, inquit de se ipso, quæ flebatur vberrimè in hymnis, & canticis suauè sophantis Ecclesiæ, & quòd voces illæ influebant auribus eius, & eliquebatur veritas; idest cor eius; ac ideò in singulari oratione tantùm est vocibus; & huiusmodi signis vtendum,

quan-

quantum proficit ad excitandum interius mentem; si verò mens, propter hoc distrahatur, vel qualitercunquè impediatur est à talibus cessandum, quòd præcipuè contingit in his, quorum mens, sinè huiusmodi signis, est sufficienter ad deuotionem parata. Vndè psallebat Dauid Psalm. 26. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea; atquè de Anna legitur lib. 1. Reg. c. 1. quòd loquebatur in corde suo; Secundò, adiungitur vox orationi, quasi ad redditionem debiti, vt scilicet homo seruiat Deo excellentissimo, secundum illud. Totum, quòd ex Deo habes, non solum mente, sed etiam corpore redde; quòd præcipuè competit orationi secundum quòd est satisfactoria. Vndè dicitur Oseæ cap. vltimò; Omnem aufert iniquitatem, accipe bonum, & reddimus vitulos labiorum nostrorum; Tertiò, vox adiungitur ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, iuxta illud Psalm. 15. Iactatum est cor meum, & exultauit lingua mea; nec ideò oratio vocalis profertur ad hoc, quòd aliquod ignotum Deo manifestetur, sed ad hoc, vt mens orantis, vel aliorum in Deum excitetur.

182 An attentio requiratur in oratione?

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 83. art. 1. quòd præcipuè habet locum in oratione vocali; circa quòd sciendum est, quòd necessarium dicitur aliquid dupliciter; vno modo, per quòd melius peruenitur ad finem, & sic attentio, absolutè est orationi necessaria; alio modo aliquid dicitur necessarium, quia nimirum res, non potest exequi suum finem. Est autem triplex orationis effectus: Primus, quidem communis actibus charitate informatis, & meritorijs; & ad hunc effectum, non ex necessitate requiritur, quòd attentio adsit orationi per totum, sed sufficit attentio primæ intentionis, quia aliquis talis ad orandum accedens sic, reddit totam orationem meritoriam, sicut contingit in omnibus alijs actibus meritorijs: Secundus, effectus orationis est ei proprius, quòd est impetrare, & ad hunc effectum, sufficit prima intentio, quàm Deus principaliter attendit: si autem prima intentio desit, oratio non est meritoria, nec impetratoria, illam enim Deus orationem non exaudit: si ille, qui orat, non intendit, quòd orat: vt moralis, ait Gregorius: Tertius, effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet spiritualis quædam refectio mentis, & ad hoc ex necessitate requiritur in

ora-

oratione attentio: vndè 1.Cor.c.14. dicitur. Si orem lingua,&c. mens mea, sinè fructu est.

Sciendum tamen est, quòd triplex est attentio, quæ in oratione vocali potest adhiberi; nam vna est, quæ attenditur ad verba, nè aliquis in eis aberret: Secunda, quæ attenditur ad sensum verborum: Tertia, qua attenditur ad finem orationis; scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria, & hanc etiam possunt habere Idiotæ, & interdum tantò abundat hæc intentio, vt mens feratur in Deum, taliter, vt omnium aliorum rerum mens penitus obliuiscatur, vt ait Vgonius de S. Victore. 183

An Oratio, debeat esse diuturna? 184

Respondeo per eumdem D. Thomam loco præcit. artic. 14. quòd oratione loqui possumus dupliciter; vno modo secundum se ipsam, alio modo secundum causam suam; causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio; quòd quidem in nobis debet esse continuum, vel actu, vel virtute; manet enim virtus huius desiderij in omnibus, quæ ex charitate facimus; sed ipsa oratio secundum se considerata, non potest esse assidua; quia oportet etiam alijs rebus occupari; vniuscuiusq; autem rei quantitas debet esse proportionata fini; sicut quantitas potionis, sanitati; vndè & conueniens est, vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad excitandum interioris desiderij feruorem; cum verò hanc mensuram excedit, ita quòd sinè tędio durare non possit, non est vlterius protendenda.

Quæ sunt partes Orationis? 185

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra art. 17. quòd ad orationem tria requiruntur; quorum primum est, vt orans, accedat ad Deum, quem orat, quòd significatur nomine orationis; quandoquidem oratio est ascensus intellectus in Deum ex Damasceno: secundum, quòd requiritur est: petitio, quòd significatur nomine postulationis, siuè petitionis, vt aliquid proponatur determinatè, vt cum quis petit iuuari à Deo, quòd dici solet supplicatio, siuè solum factum narretur, iuxta illud Ioannis c. 11. Eccè quem amas infirmatur, quòd vocatur, insinuatio: Tertiò, requiritur ratio impetrandi, quòd petitur, & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis; ratio quidem ex parte Dei, impetrandi, est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri; iuxtà illud Daniel c. 9.

Prop-

Propter temet ipsum, inclina Deus meus aurem tuam; Et adhoc pertinet obsecratio, quæ est sacra contestatio, vt cum dicimus. Per Natiuitatem tuam, libera nos Domine; ratio verò impetrandi ex parte petentis, est gratiarum actio, qua Deo gratias agentes de beneficijs acceptis, potiora accipere meremur, vt in collecta dicitur, & proindè Gloss. 1. ad Timoth. 2. ait, quòd in Missa, obsecrationes sunt, quæ præcedunt consecrationem, in quibus quædam sacra commemorantur; orationes sunt in ipsa consecratione, in qua mens, in Deum eleuari maximè debet. Postulationes autem sunt in sequentibus petitionibus; gratiarum actiones, in fine; in pluribus Ecclesiæ collectis, hæc quatuor possunt considerari; ex: gratia in collecta Sanctissimæ Trinitatis: primo, dicitur. Omnipotens Deus; & hoc pertinet ad orationis ascensum in Deum: secundò, dicitur; qui dedisti famulis tuis, &c. & hoc pertinet ad gratiarum actiones: tertiò, dicitur; præsta quæsumus, &c. & hoc pertinet ad postulationem; in fine dicitur. Per Dominum nostrum, &c. & hoc pertinet ad obsecrationem.

186 Quæ obseruanda sunt, vt oratio semper exaudiatur?

Respondeo per eumdem D. Thomam in 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 7. q. 3. quòd Glossa super illud D. Luc. c. 2. quis vestrum habebit amicum, &c. inquit, quòd quatuor conditiones requiruntur adhoc, vt oratio sit efficax; nimirum, vt petatur piè, ac pro se, & perseueranter, & ad salutem; quandoquidem est aliquid repugnans in impetratione, prouidentiæ Dei, ad quam oratio dirigitur; & ad hoc impedimentum tollendum, quatuor ponuntur conditiones præ allatæ; quibus positis, semper oratio habet efficaciam impetrandi; potest ergo esse impedimentum in oratione; vel ex parte orantis, si orationem inordinatè promat, & ad Deum dirigat; & ad hoc remouendum: dicitur, piè, in quo importatur modus Latriæ; & alio nomine pietas appellatur; secundum quod oratio modificari debet, & quandoquè aliquis piè petit, qui pietatis virtutem non habet, sicut aliquando, quis iustè aliquid facit, qui iustitiæ habitum non habet; & sic etiam peccatores, aliquando possunt piè orare; vel est impedimentum orationis, ex eo quod petitur, interdum enim petenti non expedit, vt de Apostolo clarum habemus exemplum: quia à Domino petebat, vt ab ipso remoueretur Angelus Sathanæ; quòd quidem ipsius salutem expediens minimè fuit; & ideò additur (ad salutem); vel impedimen-

men-

mentum est ex parte eius, pro quo fit; quòd impedimentum, non potest esse, quando oratio fit pro se ipso, sed pro alio, & idcircò additur alia conditio, nimirum, quòd fiat pro se; vel potest esse impedimentum propter intermedium inter orationem, & consequutionem debito; & hoc excluditur per hoc, quòd dicitur: perseueranter; possumus enim à Deo bona temporalia petere, vt in eis finem constituamus, vt ait D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 6. quæ deberemus petere, vt quędam adminicula, quibus adiuuemur ad tendendum in beatitudinem, in quantum, scilicet, vita corporalis substentetur.

Pro quibus est orandum? 187

Respondeo per D. Paulum 1. ad Timoth. c. 2. aientem. Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. Et D. Thom. 2. 2. q. 31. art. 2. ait, quòd aliquod beneficium est, quod possumus omnibus impertiri, si non in speciali, saltem in generali, vt cum oramus pro omnibus fidelibus, & infidelibus; & idem in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 1. q. 1. ait, quòd pro infidelibus oratur, sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi prius ad fidem conuertantur; similiter, & pro excommunicatis orari potest, quamuis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt, & tamen fructum minimè colligunt, quandiù in excommunicatione manent, sed oratur, vt detur eis spiritus pœnitentiæ, & vt excommunicationis vinculis enodentur.

Propter quid fiunt orationes in horis canonicis? 188

Respondeo per D. Thom. in quod lib. 7. art. 18. quòd orationes, quæ fiunt in horis canonicis sunt ad quoddam bonum spirituale, quod quidem vergit in bonum comune ad salutem Ecclesiæ, vt auertatur ira Dei à populo Ezechiel. c. 13. Non opposuistis vos murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini. Gloss. petimus dimicantes, ac diuinæ scientiæ resistentes.

An Sancti cognoscant orationes nostras mentales? 189

Respondeo per eumdem D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 4. quòd in beatis, vt ait Gregorius cap. 11. moral. in verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis, quæ circa nos aguntur etiam quantum ad interiores motus cordis; maximè autem excellentiam ipsorum decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas,

vel voce, vel corde: & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt.

190 An Sancti inferiores, debeant orari?

Respondeo secundum D. Thom. vbi supra art. 11. quòd Deus vult inferiora, per omnia superiora iuuari; & ideò oportet non solum superiores, sed etiam inferiores sanctos implorare, alioquin esset solius Dei misericordia imploranda; contingit tamen quandoquè quod imploratio sancti inferioris sit efficacior; vel quia deuotius imploratur, vel quia Deus vult eius sanctitatem declarare.

191 Cur imploramus sanctos, eorum nominibus, cum sola anima sit in Paradiso, dicendo S. Petre, vel S. Paule, ora pro nobis?

Respondeo secundum eumdem D. Thom. vbi supra, quòd quia Sancti viuentes, meruerant, vt pro nobis orarent, proindè inuocamus eos nominibus quibus hic vocabantur; quibus etiam nobis magis innotescunt; & item propter fidem resurrectionis insinuandam, vt legitur Exod. c. 3. Ego sum Deus Araham.

192 An Oratio, vel Adoratio determinatum requirat locum?

Respondeo per eumdem D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 3. quòd in adoratione principalior est interior deuotio mentis; res verò secundario requisita, sunt exteriora, seù corporalia signa mens autem interius apprahendit Deum, quasi non comprahensum aliquo loco, at corporalia signa, est necessarium quod in terminato loco, ac situ fiant; & ideò determinatio loci non requiritur ad orandum principaliter, quasi sit de necessitate ipsius, sed secundum quamdam decentiam, sicut & corporalia signa.

193 An adoratio actum requirat corporalem?

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra art. 2. quod, vt ait Damascenus, quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili, duplicem Deo adorationem offerimus; puta spiritualem, quæ consistit in interiori actu intellectus, ac voluntatis Deo excellenti debitam reuerentiam exhibentis; & etiam corporalem, ac sensibilem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione, & quia in omnibus actibus latriæ, exterius, refertur ad id, quod est interius, tanquam ad principalius, proindè ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, vt nimirum per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subijciendum se Deo; connaturale est enim nobis,

vt

vt per sensibilia, ad intelligibilia procedamus; & ita adoratio corporalis, etiam in spiritu sit, quatenus ex spirituali deuotione procedit, ac ad ipsam ordinatur.

Si Deus, est vbiquè; cur requiritur determinatus locus ad eum orandum? 194

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra art. 3. quòd requiritur, propter Deum, qui adoratur, quasi ipse loco concludatur, sed propter ipsos adorantes; & hoc triplici ex ratione: primò, quidem propter loci considerationem; ex qua spiritualem deuotionem concipiunt adorantes, vt magis exaudiantur, vt de Salomone patet 3. Reg. c. 8. secundò, propter sacra mysteria, ac alia signa sanctitatis, quæ ibi continentur: tertiò, propter concursum multorum adorantium; ex quo fit oratio magis exaudibilis, iuxta illud Mattic. 18. vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo: ibi sum ego in medio eorum.

Qui actus debent corpore fieri in Adoratione? 195

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 74. artic. 2. quod genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum; prosternimus, etiam nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.

An aliqua creatura possit adorari? 196

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra q. 80. quod triplex est adoratio; vna, quæ dicitur latrìa, quæ est seruitus, quæ soli Deo debet cultum exhibere, & est virtus Cardinalis, reduciturquè ad iustitiam; secunda, est Dulìa, & est seruitus, quæ exhibetur homini; tertia ex Hyperdulìa, & est seruitus, quæ exhibetur alicui excellenti creaturæ; solus Deus adorari debet adoratione latriæ, sed creaturæ possunt in quadam magna excellentia etiam adorari possunt adoratione Hyperduliæ.

Cur soli Deo debeatur Latria? 197

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra q. 81. artic. 1. quod cum seruus dicatur ad dominium, necessè est, quòd vbi est propria, & specialis ratio dominij, ibi sit propria, & specialis ratio seruitutis; manifestum est autem dominium conuenire Deo secundum propriam, & singularem quamdam rationem, quia ipse omnia fecit, & quia summum in omnibus rebus obtinet principatum, idcirco debetur ei specialis ratio seruitutis, ac talis seruitus nomine latriæ apud græcos nuncupatur.

198 An Deus possit adoratione Duliæ adorari?

Respondeo per eumdem D. Thomam 3.p. q. 25. art. 2. quòd Deo Patri debetur honor latriæ propter Deitatem, & honor duliæ, propter dominium, quo gubernat creaturas. Vndè super illud Psalm.7. Domine Deus meus in te speraui: ait Glossa. Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia; Deus omnium, per creationem, cui debetur latria.

199 An tota Trinitas, sit adoranda vna adoratione latriæ, vel tribus?

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 84. art. 1. quòd quia vna est excellentia trium personarum, vnus honor, & reuerentia eis debetur, & per consequens vna adoratio; in cuius figura legitur de Abraham. Gen. c. 18. quod tres viri ipsi apparuerunt, & tamen illis facit sermonem deprecationis, ac si essent vnum: dicens. Domine si inueni gratiam, &c.

200 Cur ter genua flectimus, ad inuocationem trium personarum?

Respondeo per eumdem D. Thomam vbi supra; quòd trina genuflexio, signum est ternarij personarum; non autem diuersitatis adorationum.

201 Qua adoratione, adorari debet humanitas Christi?

Respondeo per eumdem D. Thom. 3. sent. dist. 9. q. 1. artic. 2. q. 1. quòd humanitas Christi, potest considerari dupliciter; vel pro vt intelligitur non coniuncta verbo; & hæc consideratio, est in intellectu tantum, & sic non debetur sibi latria; sed Hyperdulia; vel pro vt intelligitur vnita verbo; & sic potest honorari honore vno cum verbo, & debetur ei latria; vel alio honore à verbo, & sic debetur ei Dulia; & isto modo loquitur Glossa super illud Psalm. 98. Adorate scabellum pedum eius, &c. Caro Christi non est adoranda illa adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur.

202 An debeat adorari humanitas, vna adoratione cum verbo?

Respondeo per eumdem D. Thom. 3. p. q. 25. art. 1. quòd in eo, qui honoratur, duo possumus considerare, scilicet eum, cui honor exhibetur, & caussam honoris; & quia honor debetur toti rei subsistenti, & non partibus, quoniam si manus, vel pes osculari videntur in Episcopis, & papa, honorantur hec partes non secundum se, sed qnatenus sunt ordinatæ ad totum, honor enim est totius; causa autem honoris, est id, ex quo ille, qui honora-

tur,

tur, habet aliquam excellentiam; & ideò si in vno homine sunt plures causæ honoris; puta Prælatio scientiæ, & aliqua alia virtus; erit quidem illius hominis; vnus honor ex parte eius, qui honoratur; plures tamen secundum causas honoris: homo enim est, qui honoratur; & propter scientiam, & propter virtutem; sic ergo in Christo, cum sit tantum vna persona diuinæ, & humanæ naturæ, est quidem eius vna adoratio, & vnus honor ex parte eius, qui adoratur, sed ex parte causæ, qua honoratur; possunt dici plures adorationes esse; vt scilicet alio honore honoretur, propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam: si autem ponerentur in Christo plures personæ, sequeretur, quòd simpliciter essent plures adorationes, & hoc est, quòd in Synodis reprobatur, videlicet in capitulis quintæ Synodi, atquè in capitulis Cyrilli.

Qua adoratione adoratur hostia consecrata? 203

Respondeo secundum D. Thom. 4. sent. dist. 9. q. 91. art. 2. q. 6. quòd adoratur adoratione latriæ.

An adorans hostiam non consecratam, quam credit esse consecratam, sit idolatra? 204

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra, quòd adorans hostiam, oportet adorare cum conditione, nimirum si est consecrata; nec tamen oportet, quòd hæc conditio, semper sit actu explicita, sed sufficit, quòd habitualiter teneat illam adorans. Vndè non peccet talem hostiam quis adorans, quia non adorat creaturam, sed Christum secundum intentionem suam. Vbi nota, quòd Sacerdos fingens, & non verè consecrans, quantum in se est facit populum idolatrare, quoniam affert ei puram creaturam ad adorandum.

Qua adoratione debent adorari imagines Christi? 205

Respondeo per eumdem D. Thomam 2. 2. q. 81. art. 3. quòd imaginibus, non exhibetur religionis cultus, secundum quod in se ipsis considerantur, quasi res quædam, sed secundum, quòd sunt imagines ducentes in Deum incarnatum; motus autem, qui est in imaginem, prout est imago non consistit in ipsa, sed tendit in id, cuius est imago, ideòque imaginibus Christi exhibeatur religionis cultus, non diuersificatur ratio latriæ, ac ita habet adorari latriâ.

206 Cur imagines faciant Christiani, quæ prohibebantur in veteri lege, Exodi c. 20.

Respondeo per eumdem D. Thomam 3. sent. dist. 9. q. 1. art. 2. q. 2. quòd ante Incarnationem Christi, cum Deus incorporeus esset, non poterat imago poni, & ideò prohibitum erat in veteri lege, ne imagines fierent ad adorandum, & præcipuè quia proni erant ad idolatriam, si quidem tunc temporis totus terrarum orbis vitio Idolatriæ maximè tenebatur; at post quàm Verbum Deus factus est homo potest de ipso pingi imago, cum habeat sibi coniunctam hypostaticè naturam humanam, quæ simul cum ipso adoratur, ac proindè nunc de Deo potest fieri figura corporalis, propter rationem allatam, & propterea in lege Euangelica permittitur, vt imagines de Deo fiant.

207 Cuius authoritate introductæ fuerunt imagines ad orandum eas?

Respondeo per eumdem D. Thom. 3. p. q. 25. artic. 3. quòd Apostoli, familiari instinctu Spiritus Sancti, quædam Ecclesijs tradiderunt seruanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in obseruatione Ecclesiæ per successionem fidelium: vndè ipse inquit 2. ad Thes. c. 2. State, & tenete traditiones, quas didicistis, siuè per sermonem, scilicet ore prolatum, siuè per epistolam, scilicet scripto trāsmissam; & inter huiusmodi traditiones, est imaginum Christi adoratio: vndè & B. Lucas dicitur depinxisse Christi Iesu imaginem, quæ Romæ habetur.

208 Qua adoratione debet Crux Christi adorari?

Respondeo per eumdem Diuum Thomam 3. sent. dist. 9. q. 1. art. 2. q. 4. quòd Crux Christi, etiam ipsa, in qua Christus pependit, potest dupliciter considerari; vel in quantum Crucifixi est imago; & sic adoratur eadem adoratione, sicut Crucifixus, scilicet latria. Vndè ad eam alloquimur, sicut, & ad Christum, dicentes: O Crux aue, spes vnica; vel in quantum est res quædam, & sic, cum non pertineat ad personam Christi, sicut pars eius, non potest eadem adoratione adorari cum verbo, sed adoratur in quantum est res quædam Christi, adoratione Hyperduliæ, sed aliæ Cruces non adorantur, nisi vt imago, & ideò adoratione latriæ.

209 Qua adoratione, adorantur claui, lancea, & alia instrumenta passionis Christi?

Re-

Respondeo per eumdem D. Thomam 3. p. q. 25. art. 4. quòd quantum ad rationem contactus membrorum Christi, non solum adoramus Crucem, sed etiam omnia, quæ sunt Christi: vnde ait Damascenus lib. 4. Pretiosum lignum, vt sanctificatum tactu sacri corporis, & sanguinis decenter adorandum, claui indumenta, lacea, & sacra eius tabernacula, quæ sunt presepe, spelunca; huiusmodi ista tamen non repræsentant imaginem Christi sicuti Crux, quæ dicitur Signum filij hominis, quòd apparebit in cœlo, cum venerit ad iudicandum, propterea dicitur, Matt. c. 24. Mulieribus ab Angelo. Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum: non dicit lanceatum, sed Crucifixum; & idem est, quòd Crucem Christi veneramur in quacunquè materia, non autem imaginem clauorum, vel quorumcunquè huiusmodi; & sic debent adorari adoratione Hyperduliæ, ratione superius dicta.

Qua adoratione, adorari semper Virgo Mater Dei? 210

Respondeo per eumdem D. Thomam loc. præcit. art. 5. quòd cum latriæ adoratio soli Deo debeatur, & nulli creaturæ puræ, & semper virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solùm veneratio Duliæ, eminentius tamen, quàm ceteris creaturis, in quantum est ipsa Mater Dei; & ideò dicitur, quòd ei debeatur non qualiscunquè Dulìa, sed Hyperdulia.

Cur non adoratur adoratione latriæ, sicut Crux, cum Christo fuerit coniunctior? 211

Respondeo per eumdem D. Thom. loc. præcit. quòd Crux non est capax venerationis, prout in se consideratur: sed B. semper Virgo secundum se ipsam venerationis est capax, & proindè non est similis ratio; D. idem Thom. 3. sent. dist. 9. q. 1. art. 2. q. 4. ait, quòd si consideretur honor, qui exhibetur Cruci, in quantum est res quædam ratione Christi, non est tantus, quantus ille, qui exhibetur semper Virgini, sed Cruci exhibetur quidam honor, in quantùm est imago, qui non exhibetur matri.

An Reliquiæ Sanctorum, sint adorandæ. 212

Respondeo per eumdem D. Thom. vbi supra art. 6. quòd sanctos veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios, ac amicos nostros intercessores, & ideò eorum reli-

quias

quias qualescunquè, honore congruo, in eorum memoria, venerari debemus, ac præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, ac sunt corpora Christi configuranda per gloriosam resurrectionem: vndè & ipse Deus huiusmodi reliquias conuenienter honorat, in eorum præsentia miracula faciendo, non tamen latria eis debetur, quo modo gentiles Deos eorum honorabant.

De Voto.

213 QVid est Votum, & quot considerantur in voto? Respondeo secundum omnes Theologos, quòd votum nihil aliud est, quàm promissio facta Deo de meliori bono, ad quòd aliàs homo non tenetur: in quo breuiter octo consideranda sunt.

Primò, quod Votum, duplex fieri potest; nempè sollemne, & priuatum; sollemne, quando in manibus fit Ecclesiæ superioris, vt quidem facere solent religiosi, ac religiosæ in aliqua approbata religione professantes, clericiquè omnes, sacros accipientes ordines. Simplex verò quando homo inter se, ac Deum vouet, non autem procedendo per manus Ecclesiæ, nimirum per manus superioris, vt religiosis accidit.

Secundò, quòd Votum, potest fieri cum conditione, ac simpliciter, seù sine conditione: fit votum cum conditione, quando quis dicit: volo hoc, vel illud facere, atquè obseruare, si Deus hanc gratiam mihi concedet; quòd quidem votum non ex præcepto ad obseruantiam obligat, nisi conditio adueniat, ac compleatur: vt enim in logicali decursu dici solitum est. Conditionalis propositio, nihil ponit inesse: at statim ac conditio aduenit, & completur: tale votum ineuitabiliter ex diuino præcepto ad obseruantiam eius obligat; vt apertè patet ex illo Psalm. 75. Vouète, & reddite domino Deo vestro. Vouète, de consilio; reddite verò de præcepto diuino. Si quidem Deo facere votum, est consilium, at posito, quòd factum fuerit ipsum votum, sub præcepto obligat accedente conditione. Deus enim non irridetur; & certè huc spectat etiam illud Deuter. c. 24. Cum votum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, ac si moratus fueris, reputabitur tibi in

pec-

peccatum; Votum sinè conditione, quod dicitur votum simpliciter est quando quis dicit: volo, vel intendo hoc, vel illud facere, ac obseruare sinè aliqua conditione, quod votum statim, & immediatè ad id, quod promissum fuit obligat, ac proindè sub præcepto ad obseruantiam talis voti, quis taliter vouens, tenetur.

Tertiò, quòd votum dicitur promissio: vbi nota, quòd ad promissionem voluntatis requiritur deliberatio, ac propositum; quibus non aduenientibus, promissio appellare minimè potest, nec votum. Hinc est, vt multa vota non sint valida; primò, non valent puerorum, ac stultorum vota; quandoquidem ipsorum ratio, non est expedita, ac perfectè libera; quod quidem in voto simpliciter, & absolutè requiritur; Secundò, non valent vota in angustijs facta, vel ex leuitate animi; vt cum quis ex passione aliqua, intellectum obnubilante, vouit, indeliberatè; secùs verò dicendum est, si cum deliberatione vouit, etiam in breuissimo tempore aduenienté; quoniam voluntatis deliberatio, cum sit mentis actus, citissimè fieri potest, modo ratio sit libera, ac sana in promissione; quod quidem Confessoribus, ac Prælatis discretis relinquitur considerandum, diligenter circumstantias contemplantes: Tertiò, non valet votum, cum quis promittit id quod suum non est, quia votum dicitur quòd sit promissio; promissio autem est de re propria, nemò enim rem non suam promittere potest, cum in ipsam ius, ac dominium non habet; ex quo fit, vt quis rem non suam per votum promittendo, non teneatur dare illam, ac tale votum adimplere, nisi forte ille cuius erat res promissa, consentiat, ac sibi complaceat condescendere in adimpletionem talis voti, donando rem vouenti per votū promissam, vt Deo reddat. Vndè hac ratione, religiosorum vota non tenent tanquam, & illa puerorum, atquè stultorum; quanquam multi Sacri Doctores dicant, posse religiosos, aliqua facere vota, quæ obedientiam non impediunt, non est profectò secundùm veram doctrinam, præsertim Diui Thomæ; religiosi namquè, ac professæ, nec aliquod tempus, nec se ipsos, & se ipsas in sua habent potestate, at nemo promittere alteri potest, quod suum non est, vt supra diximus: Quartò, non valent vota seruorum, filiorum familias, & coniugum; quoniam promittunt, quod suum non est, seù quod non est sui iuris, sed eorum, in quorum ipsi potestate sunt, secus

verò dicendum est, de talibus post pubertatis annos, Deo castitatem seruare promittentibus; oportet autem, quantùm ad promissionem, ac votum pertinet considerare, num ille qui vouit, & promisit, id quòd in sua erat potestate promiserit; quòd si sic; tunc votum, ac promissio facta tenent; si secus verò: votum, ac promissio facta minimè tenent, nisi dominus rei consentiat, ac sibi complaceat, vt alius de sua re vtatur in bonum finem: quomodò est votum. Similiter si coniux Deo vouit castimoniæ votum, absquè sui viri consensu, vel vir, absquè vxoris consensu, non valet votum propter mutuam coniugum potestatem in singulum ipsorum; quòd expressit Apostolus 1. Corinth. c. 7. dicens. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Quartò, quod cum votum dicitur de bono, non est cum sit de malo; idcircò tale votum non obligat; quinimmò peccat volens tali modo: verùm qui votum facit, nimirum aliquid obseruandi, quòd mortale est peccatum, mortaliter peccat: similiter peccat mortaliter, qui votum facit venialiter peccandi, & licèt apud aliquos, oppositum videatur, dicentes; quòd ille, qui vouit venialiter peccandi, solùm peccet venialiter; non est secundum veram doctrinam; quoniam facere votum peccandi venialiter; magnam esset Deo iniuriam facere, ac irreuerentiam. Item non leuiter peccat ille, qui vouit aliquod non obseruare, ac facere, quòd cedit in bonum spirituale, ad quod aliàs non tenetur, vt cum quis facit votum non intrandi religionem, vel non prędicandi, vel prælaturam non acceptandi; & ratio est, quia suum firmat animum, ac voluntatem, illud non faciendi bonum, ad quod fortassis Spiritus Sanctus induceret, ac obligaret: quapropter votum dicitur, quod sit de meliori bono; per melius autem bonum, illud intelligitur, ad quòd homo aliàs non tenetur: vndè si quis Deo aliqua obseruare, ac facere promittit, ad quæ prius tenebatur, vt sunt Iuris, ac naturalia præcepta, nullum votum, nullaquè promissio Deo facta esse dicitur; quoniam votum est de bono meliori aliàs non debito. Vota verò stulta, vt in Sabatho, vel feria sexta faciem non lauare capillos capitis non accommodare, ac similia promittere, relinquenda sunt potius quàm obseruanda; quia votum debet esse de bono vergente in honorē Dei, Sanctæquè M. E. ac animæ propriæ, vel proximi salutem.

Quin-

Quintò, quòd votum Latriæ est actus, ad Deum propriè pertinens; vndè cum sanctis vota fiunt, Deo facta intelliguntur; vt nimirum ipsi sancti orent, ac intercedant pro vouentibus, Deo; idcircò omnis voti transgressio, mortale est peccatum; si enim promissio facta hominibus obligat, multò magis obligabit promissio facta Deo, omnium rerum conditori, modò ipsa promissio, non sit de malo facta; vndè malè vouens, ne dum mortaliter peccat, verùm etiam tale votum adimplens, delinquit, agendo contra debitum cultum religionis.

Sextò, quod votum dicitur: promissio facta Deo; vnde aduerte, quòd nullus homo ordinarius ipsum dispensare, vel commutare potest; possunt tamen Prælati S. M. E. iudicare, ac declarare, votum ipsum quandoquè non tenere, consideratis conditionibus personæ temporis, aliorumquè requisitorum; maximè autem inuestigare debent vouentis intentionem; quoniam forsan non intendebat se obligare quocunquè casu; quòd etiam si intendisset, votum, fuisset indiscretum, & ideò in casu, in quo vouens intendisset, non se obligasset ad votum; proindè faciliter prælatus, poterit declarare, quòd tale votum non teneat, ipsumquè dispensare; tunc enim prælatus dicitur dispensare, quando consideratis conditionibus existimat, votum non obligare: vndè dispensatio, sinè iusta causa impediente, vel per quam maius impediretur bonum, dispensatio minimè dici debet, sed dissipatio potius; & sic vouens postea ad obseruandum remanet obligatus.

Septimò, quod votum commutans, vel dispensans, debet semper proportionatam facere commutationem; habita tamen prius conditione personæ, ac facultate, alijsquè ad hoc spectantibus; puta: si quis votum habet peregrinationis, & hoc commutari oportet; debet ille talis pauperibus erogare, & ad aliud opus, tantùm expendere, quantum expendisset, secundùm conditionem suam, eundo, ac redeundo, & etiam pro itineris labore, ieiunia, orationes, aliaq; mortificationes sunt iniungendæ, quæ nimirum ab ipso vouente fieri, ac seruari possunt.

Octauò, & vltimò, quod votum Castitatis propter religionis ingressum, ac votum castitatis propter ordinum susceptionem, in aliquo sunt æqualia, & in aliquo diuersa; in aliquo sunt æqualia, circa matrimonium scilicet contrahendum; tantùm enim impedit, ac dirimit Contractum Matrimonij votum Castitatis, propter

ter ingressum religionis, quantum votum propter ordinum susceptionem; sunt verò in aliquo diuersa; quia castitatis votum propter religionis ingressum, ne dum obligat vouentem extrinsecè ad non contrahendum, verùm etiam intrinsecè, quod nimirum nunquam liceat Summo Pontifici super illud dispensare, sicut ei licet super votum castitatis propter sacrorum ordinum susceptionem; quandoquidem votum castitatis, propter ingressum religionis est de iure diuino, super quod Summus Pontifex nullam habet dispensandi, vel relaxandi potestatem, sicut habet super illud propter sacrorum ordinum susceptionem factum; quia votum castitatis in susceptione sacrorum ordinum, est de iure Ecclesiastico solùm super quod Summus Pontifex, plenissimam habet dispensandi potestatem, vt sæculares sacerdotes contractus ineant matrimoniales, & vxoribus copulentur, vt clarum in Ecclesia græca, habemus exemplum: sunt autem hic pro vberiori doctrina, alia quamplura diligenter adnotanda.

214 Primò, quòd votum modici valoris, non obliget ad mortale peccatum; vt cum quis vouet vnum dicendi Pater noster, & vnam Aue Maria. Nauar. c. 12. n. 10. & 4. Dominicus Sotus lib. 8. de Iust. & Iure q. 2. art. 5. paruulus enim defectus, & paruulus excessus iustitiæ haud contradicit. Verum est, quòd oppositum videre poterit apud alios authores Caetanum 2. 2. q. 89. art. 4. Cordubam in summa q. 188. aientes in primis; quòd si quis vouet, vel iurat, quotidiè dicendi vnam coronam, & omittit vnum, duo, vel tria Pater noster, & totidem Aue Maria; non peccaret mortaliter, sicut si quis emittendo votum dandi quotidiè eleemosynam vnius scutati, & fraudaret in elargiendo minimam partem, quemadmodum etiam cum quis iurando, vel vouendo non amplius furandi ex tali horto, vel vinea, vel domo, & postea furatus est rem minimam; sicut etiam quis vouendo, ac iurando non amplius ludendi, & postea ludit rem minimam; in quibus casibus hiscè similibus peccatum non incurritur mortale, quia res transgressa, respectu totius est in minima quantitate. At si quis vouit quolibet die vnum recitare Pater noster, vel vnum pauperi erogare quatrinum, aiunt isti Doctores, quòd hic talis committeret mortale peccatum talia vota non adimplendo asserentes: quod frangere votum, vel iuramentum de re minima est frangere illud in totum, ac notabiliter; quæ quidem opiniones probabiles am-

ambæ ſunt; ego verò illam Nauarri, & Soti amplecterer, vt mitiorem; durum eſt enim dicere, quòd Deus, qui infinitè miſericors eſt infinitè ſuam diligens creaturam, ipſam obliget ad peccatum mortale, pœnamquè æternalem pro omiſſione rei valdè minimæ.

Secundò, nequè votum factum à filia ex patris reuerentiali timore, obligat ad mortale per eumdem Nauar. c. 25. n. 11.

Tertiò, nequè vota parentum in filios facta, obligant ſub mortali, niſi filij talia vota approbantes ſe obligent. Silueſt. verb. votum n. 11.

Quartò, nequè votum acceſſoriè; puta, quis vouit vnum principaliter, nimirum introeundi religionem, & alterum vouit acceſſoriè, vt nimirum caſtitatem colat; hic talis abſolutus à primo, erit à fortiori abſolutus à ſecundo: ſimiliter ſacerdos cęcus, non obligatur ad recitationem diuini officij, & conſequenter, nec obligatur, vt audiat recitantes.

Quintò, ſi quis vouit, vel iurauit alicui Eccleſiæ, vel pauperi vnum præbere doleum vini, vel vnum ęquum; non requiritur ad hoc implendum vt melius doleum vini, vel meliorem ęquum, illis quos habet, præbeat, ſed ſufficit, vt res tales, ſint mediocres, & acceptabiles.

Sextò, qui vouit Eccleſijs, vel pauperibus dare tantum, hodiè ſi hoc tale non præbetur hodiè, non proindè liberatur à tali voto, licet tranſierit talis hodierna dies, ſed vt tenetur dare hodie, ſic tenetur cras, & poſt cras, quouſquè tale ſoluat votum. Azor c. 14. q. 11.

Septimò, qui aretiorem vouit religionem intrare; ſi poſtea laxiorem ingreditur, ac faciat profeſſionem; ad nil vltra tenetur, vt patet de Regul. lib. 6. c. 4. quamquam hic talis mortale commiſerit peccatum.

Octauò, ſi quis vouit religionem ingredi, ſi ea ſibi non placet in nouitiatu egredi poteſt, etiam ſi animum, vouendo, habuiſſet in ea perſeuerandi, dummodò non intendiſſet ibi ad perpetuò commorandum. Nauar. c. 48. n. 84.

Nonò, ſi quis vouit introeundi aliquam particularem religionem, eius debet aliquot perquirere monaſteria, ad habitum recipiendum; ſi verò in comuni vouerit, aliquod diuerſarum religionum in ea Prouincia Nauar. c. 48.

Deci-

Decimò, si Summus Pontifex religionis votum commutaue-rit in alia penitentiæ opera, poterit Episcopus, postea eadem opera commutare. Sylu. verb. votum 4. §. 7.

Vndecimò, vota nouitiorum, irritare minimè potest Prælatus, ac si sunt vota personalia, post professionem debentur per religionis votum; si autem sunt vota purè realia, vt sunt præbere eleemosynam, & similia, si potest præbere, ac facere tenetur. Victoria n. 48. ante enim professionem, nouitiorum voluntates, non dependet à voluntate Prælati, quæ adhuc sunt liberæ, quo ad rationem voti religiosis; idcircò ante professionem, ad sæculum redire pro suo libitu possunt; isti tales ad sæculum redeuntes, tenentur ad obseruationem omnium votorum, quæ prius habebant, quamquàm illæ Prælatus ab ipsis votis eos absoluisset, credens nouitium professionem esse facturum. Lopez c. 47. p. p. sui instructorij.

Duodecimò, poterit etiam Episcopus dispensare, si quis nouerit, non petendi ab vxore debitum; hoc enim votum, non est perpetuæ castitatis: similiter dicitur de voto emisso de nunquam contrahendo. Sotus, Sylu. Nauarr. licet Caetanus opusc. de voto non nubendi q. 1. & in opusc. 27. q. 15. prædictis contradicat.

Decimoterzò, si quis votum emiserit intrandi strictiorem religionem, poterit Episcopus dispensare cum tali, vt scilicet in laxiorem transeat; hoc enim non est dispensare in religione, sed in modis, & qualitate illius, vt Syluester docet verb. votum 4. § 3.

Decimoquartò, similiter videtur Episcopus, posse dispensare statum assumendi clericalem; hoc enim non est votum continentiæ, quamuis sit ipsi statui adnexum, sicuti nec religioni, & votum castitatis.

Decimoquintò, ex Medina, quando commutantur vota virtute Iubilei, vel alicuius bullæ, vel ex alia particulari facultate concessa, commutanda sunt mitè, & non tàm rigidè; & minus aliqualiter (inquit ipse) est attendenda gratia, quàm Papa pœnitenti concedit; quia si tunc talia vota, commutanda essent in melius, vel in æquè bonum, sicut non stante facultate, commutanda erant, nihil gratiæ, Papa pœnitenti concessisset, quòd non longè est à probabilitate.

De-

Decimosexto, potest pater filiorum vota, ante annos quatuordecim completos, facta, annullare etiam si post annos ipsos quatuordecim ea sciret, dummodò in annis ipsis quatuordecim elapsis, talia vota, non fuissent à filijs confirmata. Mater hoc facere non potest, nisi pater fuerit mortuus, ac ipsa tutrix, ac curatrix remaneat; quoniam tutor, & curator secundum Sacros Doctores præsertim per Clau. Reg. in cap. 10. n. 31. posset tanquam pater pupillorum vota commutare, ac relaxare: similiter per eamdem Clau. Reg. loc. præcit. n. 28. in fine possunt etiam Domini seruis suis facere, vt eorum vota inualida reddere; domini enim tanquàm patres habentur, modo serui ipsi, nec patrem, nec tutorem habeant, & nec antea fuissent vota facta, quàm accessissent ad dominos suos; tunc enim non possunt; nihilominus possunt, secundum Azorium c. 17. §. 10. super vota, quæ in ipsorum dominorum præiudicium vertunt.

De Iuramento.

QVid est Iuramentum, & quot considerantur in iuramento? Respondeo, quòd Iuramentum est diuini testimonij inuocatio, ad aliquid confirmandum, vt tollatur controuersia; in quo decem sunt consideranda. 215

Primò, quòd Iuramentum dupliciter dici potest; puta: Assertorium, & Execratorium; assertorium iuramentum est, quando tantùm Deus, vt testis vocatur, quando nimirum dicitur. Per Deum, ita est negotium; execratorium verò est quando non tantùm Deus, vt testis vocatur, verum etiam, vt iudex, vt quando quis dicit. Si non est, vt dico, nunquam Deus benefaciat mihi, nunquam eius faciem videam, vel quid huiusmodi, quòd execratorium iuramentum, est assertorio grauius; quia in eo, duplex est Dei inuocatio, nimirum, vt testis, & vt iudicis.

Secundò, quòd quando iuramentum est ad inuicem promissorium, non peccat mortaliter secundus, si primus iurans, suum non adimplet iuramentum: v. g. vnus sub iuramento alteri promittit centum prebere oues, ex alia verò parte ille cui talis centum ouium fuit facta promissio centum promittit præbere ducatos, vt correspondeat amori donantis centum oues; si in hoc casu primus iurans, centum non præbet oues, quas soluere, ac præbere

pro-

promisit, periurius est, non autem periurius est secundus, centum non soluendo ducatos: si verò secunda promissio non fuit facta ratione primæ promissionis, sed aliter, periurius etiam est ipse secundus, sicuti, & primus promittens; talis enim secunda promissio, non dicitur ratione primæ promissionis facta à mortali excusantis peccato, iuxta illud. Frangenti fidem, fides frangatur eidem; sed simpliciter omninò ad obseruationem obligat.

Tertiò, quòd Iuramentum diuini testimonij dicitur inuocatio; Deus, qui super omnia est excelsus; non est in testimonium pro leui causa inuocandus; qui ergo leuiter iurat, semper peccat, licet non semper mortaliter.

Quartò, & quia Deus summa est veritas, non est in alicuius falsitatis testimonium inuocandus; qui enim iurat mendacium quocunquè modo, siuè dicat per Deum, siuè per fidem, per Crucem, per Cœlum, vel alio modo, quando cum aduertentia præsumit falsum iurare, semper mortaliter peccat, secus verò dicendum, si inconsideratè iure.

Quintò, debet igitur qui iurat aliquid facturus, semper habere animum, ac voluntatem illud faciendi, ac satisfaciendi; nam aliter iurando se facturum aliquid, quod facere non intendit, atquè seruare, mortaliter peccat, & quicunquè iurat, vel sub iuramento aliquòd promittit, seruare tenetur, iuxta suum posse, propter honorem Dei, qui fuit in testimonium vocatus, nisi postea appareat, quod in detrimentum salutis æternæ vergat.

Sexto, quòd Iuramentum Dei dicitur inuocatio, Deus, qui est summum bonum, non debet quis eum in testimonium alicuius rei illicitæ inuocare, & ideò qui aliquid illicitum iurat facere, ac seruare, etiam si sit veniale peccatum, mortaliter peccat, & quamuis apud aliquos oppositum videatur, dicentes, quòd si quis iurat peccandi venialiter, peccet venialiter, & si iurat peccandi mortaliter, peccet mortaliter, non est secundum veram doctrinam tenendum; sed vt supra; quia quis iurando peccandi venialiter; magnam iniuriam Deo summo bono facit, grauiter etiam peccat mortaliter, qui iurat aliquod non faciendi bonum, quamuis ad illud non teneatur; puta ad non faciendum bonum, ad quod Spiritus Sanctus ad faciendum obligaret, vt supra de voto diximus; ideoquè talia rei illicitæ iuramenta facta, seruanda non sunt, sicut nec facienda; imò qui iurat aliquod illicitum facere,

statim

statim periurius est, atquè mortaliter peccat; iuramentum enim associari debet iudicio discretionis, & iustitia, & veritate, vt Ierem. c.4. patet. Et iurabit, viuit Dominus in veritate, & iudicio, & iustitia.

Septimò; quod Iuramentum diuini testimonij inuocatio dicitur, proindè non potest quilibet homo dispensare, sed solum S. M. E. prælati, cum legitima causa, vt diximus de voto: quando igitur dubium est. An licitum sit, vel illicitum: quando licitum est, attamen alicuius magni boni impedimentum apparet, dispensatio, ad summum pertinet Pontificem, quamquam aliqui velint, quòd etiam Episcopus possit in hoc dispensare, ac prouidere.

Octauò; quod Iuramentum contra votum non valet, ita temerarium est; quoniam votum (secundum DD. sacros præcipuè per D. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 8.) magis in Domino obligatorium est, quàm iuramentum, simpliciter loquendo.

Nonò: quod Confessor tempore Iubilei, omnia vota, atquè iuramenta commutare possit, exceptis Religionis, Castitatis, ac Hierosolimitanis; licet quidam contrarium dicant; nimirum quod non possit iuramenta dispensare: quod non est tenendum secundum veram doctrinam, quoniam æqualem vim, & obligationem habet votum, ac iuramentum, vt videre licet apud Petrum de Arrag. 2.2. q.88. art.12.

Decimò, quod omnis vouens, vel iurans possit secundum multos sacros Doctores præcipuè Sotum lib.9. de Iust., & Iure q.4. art.31. ex sua authoritate propria votum, ac iuramentum suum mutare, quando scilicet in melius sit, ac Deo gratius est; non autem in æquale, vel in votum, vel in iuramentum, super quod fuit ius acquisitum; videlicet, quis alicui Ecclesiæ diuiti cum voto, ac iuramento centum promittit præbere ducatos; quòd votum, ac iuramentum, non solum secretum est apud ipsam Ecclesiam diuitem, verùm etiam apud alios, ob quam secretitudinem, nullum ius Ecclesia ipsa super vouentem, ac iurantem præbendi centum ducatos, acquisiuit. In hoc similibusquè casibus; posset ipse vouens, vel iurans authoritate propria, ducatos illos centum, alteri operi magis pio, vel alteri Ecclesiæ minus diuiti, vel pauperibus præbere. Sciendum est, quod supra dicitur. (se-

cretum) quòd si votum, ac iuramentum illud ducatorum centum Ecclesiæ diuiti, cui votum ipsum, vel iuramentum factum fuit, cognitum est, ob quam cognitionem, Ecclesia ipsa diues vouenti, vel iuranti, gratias egisset, aliter erit intelligendum; puta: quòd non possit tunc vouens, vel iurans, sua propria authoritate, suum commutare votum, vel iuramentum, quamuis millies ducatos ipsos centum, operi magis pio elargiretur, quia ob talem publicitatem, ac gratiam datam, ipsa Ecclesia diues, ius (super vouentem, ac iurantem ipsi præbendi ducatos centum) acquisiuit, & sic ius habet petendi, ac exigendi tales ducatos centum ipsi promissos. Et tunc necessaria est Episcopi dispensatio, & commutatio; Confessor verò aliquem videns pœnitentem hoc, similibusquè casibus innodatus, ei dicat semper, vt suum consulat prælatum, maximè quando ille cui ipse dare promisit, est à se longè manens, & nesciens pro certo. An egeat, vel non egeat, interdum enim apud Mundum, diuites esse apparent, qui verè diuites non sunt: quod fortasse significare volunt illa verba Ecclesiast. cap. 5. dicentis. Vbi multæ sunt opes, multi sunt, qui comedunt eas.

De Blasphemia.

216 QVid est Blasphemia, & quomodo quis propter blasphemiam in mortale labitur peccatum?

Respondeo, quòd blasphemia est diuinæ bonitatis Excellentiæ derogatio, vt quando Deo summo bono id attribuitur, quod ei non conuenit; puta: cum dicitur, quod Deus non sit iustus; vel negatur ab eo, quod ei conuenit; vt quando quis dicit, ac affirmat. Deum, non habere prouidentiam de omnibus; vel cum vsurpat sibi officium aliquod, quod Dei est proprium; nimirum hominum corda discernere, quæ huiusmodi actiones, & loquutiones, semper mortalia sunt peccata, ex genere suo; venialia esse possunt ex subiectione; quando nimirum quis nescit, quid dicit, exit verbum ab ore eius. Similiter venialia dicuntur peccata; quando assumit nomen Dei in vanum, vel sanctos, vel Sacram Scripturam, S. M. E. Sacramenta, ac sacrificia ex quadam leuitate; non autem quando nimis irreuerenter; puta despiciendo, irridendo, vel alio modo turpiter ipsa talia nominando; nam si tur-

si turpiter; semper sunt mortalia peccata tales loquutiones, tanquam illæ, quæ Deo summo bono non conueniunt. Immò potest etiam quis Deum ipsum summum bonum blasphemare in corde tantum, sinè voce, labiorumquè motione; & hoc dupliciter fieri solitum est. Primò, in intellectu, vt quando credit Deum non esse Trinum, vel non esse iustum, vel aliquid huiusmodi. Vndè hæretici omnes Deum blasphemant, vel affectu tantum, vt quando ex ira, vel aliqua passione, ita in corde suo dicunt, sicut damnati: vel secundò modo in intellectu, ac affectu, vt quando falsas habet opiniones de diuina bonitate, ac ex impetu passionis, Deum ipsum blasphemat. Præterea sententia est multorum Doctorum, præcipuè Nauarr. in Manual. c. 27. n. 62. quòd possit confessor, hoc blasphemiæ peccatum absoluere, modo non sit in foro iudiciali inductum, vel per Prælatum reseruatum; ac pro eo debitam imponere pœnitentiam arbitrio seueri, & prudentis confessoris.

De Peccato in Spiritum Sanctum.

QVid est peccatum in Spiritum Sanctum, & quot sunt eius species? 217

Respondeo, peccatum in Spiritum Sanctum est, cum quis se desperat de Dei misericordia; vel si satis præsumit, vel inuidit, vel doluit de diuina gratia fratris, bonorumquè omnium multiplicatione, vt licentius peccare possit, vel malitiosè veritati agnitę contradicit; vel non de præteritis penitere peccatis statuit, vel obstinatè in futurum, firmat esse à peccatis præseruatum; quod quidem peccatum est in Spiritum Sanctum inter omnia alia grauissimum: vndè Christus hoc ostendere volens sic, inquit Marc. c.3. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemauerint, qui autem blasphemauerit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Cuius peccati in Spiritum Sanctum sex sunt species. Prima, desperatio de diuina misericordia; secunda, præsumptio de diuina iustitia; tertia, inuidia fraternæ gratiæ; quarta, impugnatio veritatis agnitæ; quinta, impœnitentia; sexta, obstinatio: quæ omnia semper ex genere suo, mortalia sunt peccata, & grauissima, quando nimirum ha-

bent expræssum rationis, ac voluntatis consensum peccandi mortaliter tales peccatores; illud namquè peccatum in Spiritum Sanctum propriè dicitur, quando voluntas potest, ac scit alicui resistere malo, attamen ex sua praua malitia, & temeritate, illud eligit patrandum, quòd semper est contra Spiritus Sancti bonitatem. Quòd peccatum in Spiritum Sanctum tribus modis irremissibile esse dicitur: primò, peccatum Luciferi, quod nullo modo remitti potest ordinariè loquendo; secundò, peccatum, quod in se non habet congruentiam; licet enim ex congruo Dei, omne peccatum remitti possit; & hoc modo quodlibet peccatum, dummodò sit mortale, irremisibile est; tertiò, contrariè; videlicet, quando culpa contrariam habet dispositionem circa ipsius remissionem; in his verò tribus casibus peccatum in Spiritum Sanctum, irremisibile esse dicitur; per illud namquè diuinæ contrariatur charitati ipsum remittendi peccatum; & hoc principaliter propter desperationem, atquè obstinationem; dicitur ergo peccatum in Spiritum Sanctum irremisibile, non quia Deus non possit illud remittere, licet ex certa peccatoris malitia, ac temeritate fuerit commissum; sed quia rarò, aut nunquàm in hoc sæculo, quantum ad culpam remittitur; vir enim quis, aut rarò potest se præparare ad gratiam diuinam habendam, tanta peccati grauitate depræssus. Verùm tamen est, quod licet quis in hac vita scelestè vixerit, & sic finierit suam vitam, non proindè est de diuina desperandus misericordia, potest enim Deus in illo instanti égressionis animæ talem dare gratiam, vt actum eliciat contritionis, vel dilectionis ipsius super omnia; incompræhensibilia namquè sunt iudicia eius; & inuestigabiles viæ eius; vt ait Apost. & D. Augustinus huc flectens, sic ait: De quocunq; pessimo in hac vita constituto, non est desperandum, nec pro illo oratur imprudenter, de quo feratur.

De superstitioso Cultu.

218 QVid est superstitiosus Cultus, & quando quis propter illum, mortaliter peccat.

Respondeo, quod superstitiosus cultus est actus malus, contra religionem, per quam Domino, tanquam creatori omnium rerum visibilium, ac inuisibilium, ac gubernatori, debitum

exhi-

exhibemus cultum. Vndè qui non facit, nec obſeruat id, quod inſtitutum fuit à Spiritu Sancto, vel ab Apoſtolis, vel ab antiqua Eccleſiæ inſtitutione, ac traditione; mortaliter peccat; item Paganorum, vel Iudæorum cultum, ac ceremonias inſectando à Sancta Matre Eccleſia prohibitas; vel ſi apud ſe breuia cum certis characteribus, nominibus ignotis, ac ſuſpectis tenet, vel ſomnia, aut aliàs ſuſpectiones ſequendo; vt cum quis dicit ſe furta inuenire; vel per quamdam crucem, vel aliquod aliud, ſignum intra manum exiſtentia, ſe, vel alium quàmprimùm obiturum eſſe pronunciat; ſemper hic talis mortaliter peccat. Similiter ſi corpora Sanctorum, vel ipſorum reliquias publicè honorat, antequam à S. M. E. fuerint approbata; vel emat, vel furatur ea, etiam vt honorificentius collocet ipſa; ac ſi vendat, ſymoniacus talis efficitur; & ſi furatur talia, ſacrilegus dicitur; & minimè eſt abſoluendus, niſi priùs ab hoc deſiſteret, ac reſtitueret illi, qui fuit in tali caſu damnificatus; ac proindè tribuat, ac reſtituat Prælato, vel Parocho tales reliquias, vt in Eccleſia, vel ſacreſtia, vt priùs, honorificè collocentur. Inſuper peccant hoc genere peccati, & grauiſſimè, idolatræ, nigromantes, maleſini, incantatrices mulieres, & quicunquè alij diabolo cultum, ſiuè expræſſum, ſiuè occultum exhibentes; licet enim cum diabolo continuum habeamus bellum; tamen nullo modo cum ipſo familiaritatem vllam habere debemus; ac proindè caueant omnes, ne cum diabolo aliquod ineat pactum; ipſe namq; eſt pater verſutiæ, ac mendacij; nec quærantur noui modi orandi, ac depræcandi non à S. M. Eccleſia conſtituti, & ordinati.

Vndè ſcies, hoc Diuinationis genus, à Perſis ortum duxiſſe; 219
& quatuor ſunt ſpecies, ſicut quatuor ſunt elementa, in quibus fieri ſolent; ac proindè prima ſpecies diuinationis vocatur Geromantia à Geos, quòd terram denotat, & manthos, quòd diuinationem ſignificat, & ſic habes, quod Geromantia, ſit diuinatio facta in elemento terræ: ſecunda, ſpecies diuinationis Hydromantia nuncupatur; & hæc fit in elemento aquæ, & ſumit ſuum vocabulum ab ydor, quod aquam ſignificat: tertia, ſpecies diuinationis Aeromantia dici ſolet, & fit in elemento aeris, & ſumit ſuum nomen ab aere: quarta, ſpecies tandem ſpecies diuinationis Pyromantia ſolet appellari, & fit in elemento ignis, & ſumit ſuum nomen à Pyr, quod ignem ſignificat, quæ omnes denomi-

nominant illos, quos habent, diuinos; sic enim dicti sunt, quasi Deo pleni; diuinitate enim plenos esse simulabant.

De Symonia.

220 SCiendum est, quòd huius Symoniæ materiæ totum pondus sistit in verbis Saluatoris aientis. Gratis accepistis, gratis date. Oportet enim, & sacramenta, & beneficia, ac cęteras res spirituales, gratis dare, & gratis accipere; quia nullus potest vendere, nec emere talia cum sint Dei, & non nostra, nulloquè pretio extimabilia, & ipse met Dominus præcipit, ea gratis dare. Vbi ergo interuenit aliquod pretium, vt pecunia, vel obsequium, seù fauor temporalis, siuè præces, maximè pro indigno; siuè quæcunquè alia res quæ pecunia, potest extimari, iam est symonia. Et definitur à sacris Theologis sic. Symonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod, spirituali adnexum: & per emancipationem, ac venditionem, intelligitur omnis contractus non gratuitus, vt renunciatio, & transactio, cum fiunt pro pretio in spiritualibus, propter permutationem beneficiorum, quam potest facere Episcopus si viderit expedire; ita tamen, quòd liceat partibus de hoc, vel super hoc pacisci, absquè periculo symoniæ: spiritualia autem sunt omnia sacramenta, ingressus monasterij, prædicationes, correctiones, ac Prælatorum punitiones; officia mortuorum; orationes, ac similia. Adnexa verò spiritualibus, vt corpus adnectitur animæ; sunt beneficia Ecclesiastica, quæ nunquam vendi possunt, tanquàm purè corporalia, imò emere, vel vendere beneficia, semper symoniacum est: quia quando vnum, non potest vendi, sinè altero, vendito vno, alterum non potest inuenditum relinqui. Adnexum verò spiritualibus non tanquàm corpus ad animam, sed tanquàm ei colligatum, vel coniunctum, sicut ornamentum iungitur vesti. Est ius patronatus; quod quidem cum sit spirituale, nec emi, nec vendi potest; tamen possessio, seù illud temporale, cum quo coniungitur, potest vendi; quòd si venditur ius patronatus cum eo gratis. Calices verò, & paramenta, sunt spiritualibus adnexa, tanquàm fini: vndè materia vendi potest: nam vna Ecclesia, potest alteri vendere calices, & paramenta, modò non plus vendantur, eò quod sint benedicta, vel consecrata. Et similiter intelligendum est de sepultura;

nam

nam si in ea nunquam fuit aliquis sepultus; potest vendi, quia non dùm factus est locus ipse religiosus, nisi sit in loco sacro, vel in Ecclesia, vel cemiterio, vel nisi Episcopi authoritate fuerit constructa; secùs si in ea fuit aliquis sepultus. Potest tamen vendi locus, vbi fuit olim Ecclesia, vel cemiterium pro necessitate pauperum, vel Ecclesiæ corporibus mortuorum, priùs ad alium locum delatis; quoniam intelligitur vendi sola materia, & non aliquid spirituale, vt diximus supra. Ex institutione autem Ecclesiæ, Vicedominatus, vel Gastoldionatus, Vicaria, Iconomatus, & Aduocatia, dicuntur spiritualibus adnexa, quæ vendere, dicitur symoniacum, quia prohibitum.

Hic autem nota duo. Primum, quòd sacerdotes, alijquè ministrantes, debent de altari viuere, seruandæ tamen sunt consuetudines Ecclesiæ in oblationibus, quæ fiunt pro missis, pro anniuersarijs, prò officijs, mortuorumquè sepulturis: non tamen sacerdotes, antequam talia spiritualia exhibeant, exigere huiusmodi consuetudines; ita quòd nolint exhibere spiritualia, nisi priùs soluantur: sed gratis debent priùs spiritualia exhibere, deindè consuetudines exigere: quas etiam si qui nolunt exhibere, possunt superiores, ipsos cogere ad soluendum, vt praxis curialis edocet in dies.

Secundum, quòd moniales, non possunt aliquid petere pro ingressu alicuius puellæ, absquè symoniæ periculo, nisi monasterium sit adeò tenue, quod non possit puellam ingressuram cum alijs substentare; tunc enim potest alimenta petere, sed pactum facere, ante monasterij ingressum, periculosum est. Aduertendum tamen est quò ad pœnam peccati, quòd qui fuerit ordinatus symoniace, vel à symoniaco scienter; est ipso iure suspensus, nec ministrare potest. Qui autem recipit beneficium symoniacè; tenetur illud restituere cum fructibus, nec potest repetere pecuniam datam pro hac causa, quia turpiter dedit: pecunia enim symoniaca, debet dari Ecclesiæ, in cuius iniuriam data est, vel est pauperibus, egenisq; eroganda, vt alibi diximus, &c.

De Adiuratione.

QVid est Adiuratio, & quomodò quis propter Adiurationem peccet? 221

Re-

Respondeo, quod Adiuratio est aliquem ad aliquid propter nominis Dei, vel Mariæ semper Virginis, vel alterius Sancti reuerentiam obligare. Vndè si quis non suum subditum ad adiurandum obligare intendit propter nominis Dei, Mariæ Virginis, vel alterius Sancti reuerentiam ad aliquid: sicuti cum quis aliquem obligaret per iuramentum; quia nimirùm scit hunc, habere tantam reuerentiam, & honorem Deo, Mariæ Virgini, &c. quòd nullo modo adiurans per horum nomina, mendacium diceret, de quo interrogaretur. Exigens namquè in hoc casu, tale iuramentum, suumquè non subditum inducens ad iurandum, minimè à mortali peccato excusaretur, cum sibi officium, ac potestatem, alteri permissam vsurparet; secùs verò si non sic intenderet, &c.

222 Quid est sacrilegium, & quomodò quis per sacrilegium peccet?

Respondeo, quod sacrilegium est rei sacræ, vel loci sacri, vel personæ sacræ violatio; vt furtum in Ecclesia commissum, vel cum locus sacer frangitur, vel sacra percutitur persona etiam si sola fuerit prima initiatus tonsura: quod profectò semper erit ex genere suo, mortale peccatum, quamquam ratione paruæ, vel iocosæ percussionis sit veniale solum; siquidem paruus defectus, Iustitiæ, ac Dei, vel proximi charitati non contradicit.

De Inani gloria.

223 QVid est inanis gloria, & quomodò quis per inanem gloriam peccat?

Respondeo, quod inanis gloria est inordinatus humanæ gloriæ appetitus, quæ humana est, estquè ex genere suo veniale peccatum; quoniam non expræsse contra diuinam gratiã, & charitatem, sed potiùs præter ipsam; attamen potest etiam esse mortale peccatum hac de causa, v. g. si quis gloriam de aliquo quæreret, quod contra Dei esset honorem, nimirum de aliquo peccato mortali; vel cum in aliqua quis tali inani gloria suum vltimum finem poneret, vel cum præfert Deo illud, de quo gloriatur, vel etiam cum testimonium hominum, Dei summi boni præfert.

224 Quid est superbia, & quomodò quis per superbiam peccat?

Re-

Reſpondeo, quòd ſuperbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ; inordinatus quidem dicitur, quia à Dei regulis egreditur pręfixis; vt putà quia homo non eſt de ſtatu ſuo inferiori contentus, ſed inordinatè quærit ſurſum aſcendere, & in altis ſupra virtutem ſuam ponere ſedem, de diuinis parum curans ordinationibus, & hoc ex propria natura, ſemper eſt mortale peccatum, licet ſecundum motus primò primos, poſſit eſſe veniale tales enim primi motus ſunt actus neceſſarij, & non in poteſtate voluntatis exiſtentes; ſed ſi deindè homo animaduertens, & nullo modo curans de diuinis præceptis, dedignatur Deo ſubijci, ac ipſi cohęrere, tales actus fugiendo; peccat mortaliter.

Habet igitur ſuperbia quatuor ſpecies; quarum prima eſt: 225
quando quis æxtimat id, quod habet, non habere à Deo, ſed à ſe ipſo, ac propria virtute, & ſic ne dum grauiſſimum committit peccatum mortale ſi expræſsè hoc facit, verùm etiam in hæreſim labitur, atquè infidelitatem; quidam verò quamuis dicat, omnia ſe habere à Deo, tamen hoc nunquàm, vel rarò cogitat, & ſic de propria virtute, proprijſquè inflatur operibus, ac ſi hæc omnia, à Deo non recepiſſet: verùm eſt, quòd difficile ſit iudicare: quando ſcilicet eius ſuperbia ſit mortale, an veniale peccatum? ſignum euidens eſt, quando ſit mortale peccatum; nimirū quando humanas laudes ad ſe ipſum refert, rariſſimè, vel nunquam ad Deum ſummum bonum referendo.

Secunda ſpecies eſt, quando quis ea, quæ habet, credit quidem ſe habere à Deo, ſed ex proprijs meritis; & hoc perſubtiliter ſcrutari debet; difficilè enim eſt ſcire quando ſit mortale, vel quando veniale peccatum.

Tertia ſpecies eſt; quando quis exiſtimat ſe habere, quod non habet; vt cum putat ſe habere doctrinam aliquam, vel ſanctitatem, vel cum putat ſe eſſe idoneum ad aliqua officia, licet ignoranter, ac ſuperbè decipiatur; ex qua ſpecie ſuperbiæ oritur præſumptio, ſecundum quam ſignum haberi poterit, quādò ſit mortale, vel quando veniale peccatum huius ſpeciei tranſgreſſio, nimirum cum quis putat ſe eſſe idoneum ad regendos ſubditos, defendendum cauſas difficiles, vel ſi medicus eſt ignarus, ſibi perſuadit, ſe eſſe ſufficientem ad curandas graues infirmitates, & ſic eſt dicendum de omnibus alijs officijs, ac exercitijs, in quibus aliquod imminet periculum, præcipuè animæ; ſic enim ſuperbiæ ſi-

gnum apparet, esse mortale peccatum, maximè cum hic talis se ingerit, ad hæc negotia difficillima reparanda, in tali enim casu expræssè videtur mortaliter peccare.

Quarta, & vltima species est quando quis singularitatem appetit, despectis ceteris apparere; & ex hac specie superbiæ, oritur Inuidia; ex qua videri poterit quis quando nimirum hæc prædicta species superbiæ, mortale sit: an veniale peccatum; itaquè cum quis videt, quòd homo sic singularitatem appetit, quòd non vult habere superiorem, aut æqualem, atquè de alienorum excellentia tristatur, eorum quærendo famam, ac honorem obnubilare; tunc euidentissimum est signum, quòd semper mortaliter peccet; quando verò signum euidentissimum peccati mortalis non apparet, non est consequenter de mortali quis peccato condemnandus, sed de veniali. Porrò. Confessor bone, per has quatuor superbiæ species poteris inuestigare; quando scilicet superbia in ipso pœnitente sit mortale, vel veniale peccatum: præterea ipsa superbia, super omnia peccata mortalia prima ponitur, ex duabus rationibus.

Prima, quoniam ex ipsa, tanquàm ab arbore rami, omnia alia nascuntur; siquidem vnum peccatum, alterum causare videtur; & sic superbiens, vult omnibus præesse, & si aliquis ipsi æquetur, dolet, & sic incidit in vitium Inuidiæ; & quia inuidus, de facili tristatur de bono, cui inuidet; idcircò ex Inuidia oritur Ira, & quia quis iratus ardens, vlcisci non potest, incidit in Accidiam; Accidia verò, quæ in exterioribus cumulationem quærit, labitur in Auaritiam; homo tandē Auaritiæ vinculo innodatus, temporalibus repletus bonis, Gulam ad ventrem destinat intemperatè comedendo; & quoniam per vitium Gulæ, venter nimis, ac inordinatè repletur, hinc exoriuntur libidines, quibus allecta caro vitiata, in Luxuriæ vitium infernale, ac inextinguibile vergitur.

Secunda, quoniam ipsa superbia fuit primò in cœlorum habitaculis commissa ab Angelo lucis, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 63. & art. 1. ad 4. quando dixit. Ponam sedem meam in Aquilone, ac ero similis Altissimo, & hoc, non per æqualitatem, sed per quamdam similitudinem, idest reputando se habere suam vltimam beatitudinem cum proprijs meritis, naturaliter factis, quod solius Dei proprium est; propter quod peccatum superbiæ de lucis Angelo, tenebrarum spiritus euasit, infernalibus tortoribus addictus

æter-

æternis. Secundò in terra ab homine fuit hoc superbiæ crimen patratum; nempè à nostro prothoparente Adamo in voluptatis Paradiso propter cibi comestionem; seù vt meliùs loquar, propter comestionem pomi prohibiti à Domino; & verbis serpentis fidem adhibendo, diuinum præteriens præceptum, putans Deum euasurum, &c. nè dum ipsi verum etiam nobis omne malum aduenit: vndè si sola Eua veritum pomum pergustasset, ipsa sola originalem contraxisset culpam, non autem eius posteri, sicut per Adami comestionem contraxerunt, & quamquam Eccl. cap. 25. legatur. A muliere, initium factum est peccati, atquè per illam omnis moritur; hoc intelligendum est initialiter, non autem finaliter, ac efficaciter.

De Inuidia.

QVid est Inuidia, & quomodo per Inuidiam mortale, quis committit peccatum? 226

Respondeo, quòd Inuidia est de alieno bono tristitia ex eo quod bonum tale existimat diminutiuum propriæ gloriæ, vel excellentiæ, & hoc peccatum, communiter accidit illis, qui in aliqua re, volunt esse singulares, & sic reputari ab alijs; nempè in Regno, Prouincia, Ciuitate, &c. diuitijs, scientijs, vel in artibus; & hoc peccatum est, ex genere suo, mortale; quoniam contra diuinam charitatem protendit. Potest nihilominus in rebus paruis veniale esse peccatum; vt accidit in inuidia paruulorum, vel cum in homine inuidioso non interuenit actus voluntatis deliberatus dolens de alieno bono.

De Ira.

QVid est Ira, & quomodò quis propter Iram mortaliter peccet? 227

Respondeo, quòd Ira est inordinatus appetitus vindictæ, qui si est de notabili damno proximi, semper est peccatum mortale, secùs verò si in aliquo paruo, quis vellet vlcisci, vel si actus perfectum libertatis consensum non habet; si quis ex nimia ira blasphemat, aut aliquid dicit, vel facit, quod mortale peccatum est ex genere suo, certè non excusatur à peccato mortali; grauiter enim Dei charitatem offendit.

De Accidia.

228 QVid est Accidia, & quomodò quis per Accidiam peccat? Respondeo, quòd Accidia est de bono diuino tristitia, videlicet cum quis tristatur, quòd Deus, vel Ecclesia præcipit ea, quæ præcipit, ac si in tali tristatur ex eo, quòd odio habet talia præcepta, mortale committit peccatum. Similiter dicendum est: mortaliter peccare, si nimirum propter hoc, à bonis desistit operibus, ad quæ ex humano, vel diuino præcepto facere, ac seruare est obligatus, si verò aliter, minimè peccat.

De Auaritia.

229 QVid est Auaritia, & quomodo per Auaritiam, quis mortaliter peccat?

Respondeo, quòd Auaritia est diuitiarum inordinatus appetitus, qui si nimis crescat, & quis hunc habens diuitiarum inordinatum appetitum, non veretur facere contra Dei, vel proximi charitatem, semper mortaliter peccat; & hoc accidit cùm per fraudes, seù per violentiam, aliena bona rapit, ac retinet ea inuito domino; vel quando quis superfluum habet, supra statum suum, & minimè vult pauperibus erogare, vel Ecclesijs propter suam nimiam auaritiam, maximè cum extrema existit necessitas: proindè, piè lector, pœnitentes huiusmodi admone, qui diuitijs abundantes, miserijs proximi, micisquè à mensa decidunt subuenire nequeunt, sed nesciunt infœlices, quæ sint ipsi tormenta parata.

De Gula.

230 QVid est Gula, & quomodo quis propter Gulam, mortaliter peccat?

Respondeo, quòd Gula est inordinatus ciborum appetitus, qui si adeò inordinatus est, vt homo propter Gulæ delectationem, inhæreat inordinationi, ac intemperatæ sumptioni ciborum, & vltimo fini, peccat mortaliter; quandoquidem agit contra Dei charitatem, & propriam salutem; tunc autem homo inhærere dicitur inordinatæ sumptioni ciborum, ac delectationi

tan-

tanquam fini ſuo; quando nimirum propter hoc Dei præcepta, vel S. M. Eccleſiæ poſtponit, ieiunia frangendo, & de animæ ſuæ, ac corporis ſalute non curando: ſi verò aliquis comedit, vt luxuriam poſſet meliùs adimplere, vel vt ſe ipſum interimeret, profectò non erit peccatum Gulæ, niſi materialiter, ſed formaliter eſſet, vel peccatum luxuriæ; vel odij ſui ipſius, actiones namquè, vt in Phyſicis dici ſolet, in tali ſunt ſpecie, cuius motiuo, ſeù fine fiunt; qua propter mortale quis peccatum committet, ſi in ciborum delectatione inordinata ſuum conſtituet finem, & etiam ſi finis alius erit contra legem Dei, etiam peccabit mortaliter in alia ſpecie peccati, ſecus verò, minimè.

De Ebrietate.

QVid eſt Ebrietas, & quomodò quis per Ebrietatem, mortaliter peccat? 231

Reſpondeo, quòd ebrietas, eſt inordinatus vini appetitus, eſtquè mortale peccatum, illo modo, quo de gula dictum fuit, hoc tamen addendo, quòd nimirum etiam mortaliter peccat, quis naturam vini ſciens, volens potiùs in ebreitatem incurrere, quàm à vino abſtinere; & omne malum, quod indè ſequitur ei imputabitur: vndè Cato ait in ſuis eloquentiæ dictis [Nam nullum crimen vini eſt, ſed culpa bibentis.] Similiter dicitur grauiter peccare ille, qui alios ſtudet inebriari; in quo facto, multi hodiernis temporibus decipiuntur, & non aduertunt graue damnum, ac ſcandalum, quod hoc modo afferunt proximò: vndè hoc clarè oſtenditur per illud Abacuch c. 2. dicentis: væ, qui potum dat amico ſuo mittens falſum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius; idcircò quiſquè ſtudeat ſobriam ducendi vitam, vt eius mens benè expedita, poſſit ad cœlorum ſcandere regem, illo in charitate fruendi, & ſuauiſſimis amplexibus in ſpirituali luctamine illum dulciter, ac amoroſiſſimè oſculandi.

De Luxuria.

QVid eſt Luxuria, & quot ſunt Luxuriæ genera? 232

Reſpondeo, quòd Luxuria eſt inordinatus venereorum appetitus; quod quidem ſemper eſt mortale peccatum ex genere

ſuo

suo, (dummodò in illo plena fuerit mortaliter peccandi voluntas.) cum debito illud peccatum confitendi, secundùm speciem suam; puta, si quis cum aliqua muliere peccauit carnaliter, non sufficit saluti animæ suæ, dicere confessori. Pater, ego cum muliere peccaui; sed necessariò est ei manifestare suum statum, ac etiam mulieris, & hoc tantum in proposito, quantum in actu; mentis enim operisquè peccatum secundùm speciem non differunt, sed solùm secundum perfectum, & imperfectum; quandoquidem perfectius peccatum est exterius, quàm interius: vndè si ab vxorato, peccatum carnis fuit commissum, profectò est adulterium, & idem est de vxore peccante dicendum; si à religioso, vel à religiosa, vel à clerico maioribus insignitus ordinibus tale carnis peccatum erit sacrilegium, cum sit à personis sacris; si à virgine erit stuprum; si à consanguineo, vel affini erit incestum; ac proindè vxorato, & vxoratæ, religioso, & religiosæ, clerico, virgini, consanguineo, vel affini non sufficit pro ipsorum salute, ac peccatorum remissione dicere confessario. Pater, ego peccaui carnaliter cum muliere, vel contra; sed necessarium omninò est conditionem, & statum illius cum qua peccatum fuit factum, explicetur, & sic proportionaliter fieri debet de alijs peccatis. Porrò Luxuriæ, tria sunt genera.

233 Primum genus, quod est grauissimum peccatum contra naturam est; cuius tres sunt species; prima est illa, quæ in sola emissione seminis consistit, vel sinè alicuius mulieris concubitu, vel cum altero, non seruato aliquo vase, nec debito modo à natura instituto; secunda species est grauior, quæ consistit in concubitu masculi cum masculo per vas posterius, vel fœminæ cum fœmina, vel in concubitu masculi cum fœmina per vas retrorsum, seù præposterum; quod peccatum, apud aliquos contra naturam appellatur, vel nefandum scelus; propterea qui tali modo fœmina, vel masculo abutitur, & intra vas innaturale non spargit semen, licet genitale membrum illud intrauerit, non est casus reseruatus Episcopo; quia tales coheundi modi, sodomia, vel scelus nefandum non dicuntur, sed solùm sodomiæ, vel nefandi actus; siquidem sodomia, vel nefandum scelus propriè tunc dicitur, cum intra vas non naturale fuerit semen effusum, ac actus perfectè consumatus, non verò cum contra; immò nec propterea consanguinitas, vel affinitas per talem actum perfectè consuma-

ma-

matum, contrahitur, sicut per vas contrahitur naturale; talis enim Affinitas est, & fit propter humani seminis vnionem, ac commistionem, quæ commistio vt patet per sodomiam, vel nefandum actum haberi minimè potest, licet millies intus intrauerit genitale membrum semen effudens; neque etiam quis per actus sodomiæ, & nefandi sceleris, debet personam confessori manifestare, in quam peccauit, sicuti cum peccat per vas naturale, sed solùm suum exprimat statum, & non patientis, quamquam tale patiens fuerit mater, soror, pater, vel filius eius, siuè sæcularis, siuè clericus; quandoquidem sodomiæ, ac nefandi sceleris peccatum non mutat speciem in pœnitentem, tanquàm in ipsum agentem, sed tantum augetur intra eamdem speciem; qua propter ex communi Doctorum sensu non esset hoc vltimum confitendum necessariò, ac simpliciter; sed solùm esset pium, ac valdè laudabile, maximè cum in patrem, matrem, vel in filium, filiam fuit commissa sodomia. Est nihilominus pœnitenti simpliciter necessarium in peccato sodomiæ, circumstantiam confiteri; nimirum, quando persona, in quam peccatur, fuerit consummatum, corrupta fuerit, & toties, quoties, quis causa fuerit efficiens pollutionis alterius; tunc enim peccatum habitum pollutionis, in patiente, tanquam in se ipsum sodomiam agentem, speciem mutat: vnde sicut quis vxoratus agens sodomiam, vxori facit iniuriam, quæ vxoris iniuria facta per sodomiam, adulterium inducit necessariò confitendum, sicut cum voluntariè polluatur; & in hoc hodiernis temporibus multi aberrant; nempè: talem pollutionis circumstantiam confessori non explicando.

Notandum est hic, quòd quando virgo per sodomiam corrumpitur, hoc non debet intelligi, quòd toties quoties ipsa corrumpitur, toties committitur stuprum ab ipsa, sed solùm in duobus casibus; nimirum per primam pollutionem, & per claustri virginalis aperitionem; non verò in alijs vicibus, & hoc intelligendum est, dummodò ipsa virgo in pollutionem, ac claustri virginalis interruptionem consenserit, quia si contrarium fuerit, maximè cum violentatur, & coactè ab alio cognoscitur, nunquàm animæ suæ virginitatem perdit, in qua consistit tota virginitatis corona, quinimmo duplicatam acquiret in gloria, vt patet de Sancta Lucia aiente: Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicatur ad coronam: & sacri Canones de tali inuoluntaria virgina-

ginalis claustri interruptione loquentes aiunt. Si corpus corrumpitur, mens incorrupta permanet, corrupta dici non debet. Præterea est adnotandum, quòd si quis virginem violauit, quæ postea alijs hominibus coniungitur carnaliter, non hinc sequitur, quòd toties, quoties hæc virgo corrupta cum alijs carnaliter coniungitur, toties ipse violator peccet; solùm enim prima vice peccauit, nimirum cum claustrum aperuerit virginale: similiter, (obiter nota) non peccarent semper mortaliter Summus Pontifex, Rex, magistri (quando discipulum indignum ad Doctoratum promouet) aliquem ad officium gubernationis constituendo, & hic talis sepissimè, imò iugiter malè gubernat, non inquam quoties malè gubernat peccant, sed in sola prima electione, & idem dicendum de magistro promouendo discipulum ignorantem ad Doctoratum, & hic causas iniustè decernit. Tertia, luxuriæ species grauissima est bestialitas, quæ est coitus cum brutis; qui quidem casus non intelligitur reseruatus si intus, non fit effusio, nec maiorem, vel minorem aggrauationem facit in vno bruto, quàm in alio, sed tantùm in vno gradu grauissimum in omnibus brutis; vitio bestialitatis tribuitur pœna mortis; vndè bestialitatem committens, simul comburitur cum animali, cum quo inuentus fuerit; audiatur dominica sententia Exod. c. 22. qui coierit cum iumento, morte moriatur. In foro autem animæ, bestialitatem exercentes, non absoluuntur, si apud se illas retinent bestias, cum quibus ex affectu coeunt; si quidem illas æquiualenter, seù veluti concubinas habent.

Secundum genus luxuriæ, non est contra Naturam, sed peccatum contra naturam reuerentialem, quam debemus cum coniunctis; & dicitur incestus, quod quidem peccatum grauius est cum coniunctis consanguinitatibus, quàm affinitatibus, & quantò propinquior est gradus, tantò grauius peccatum esse dicitur.

Tertium, Luxuriæ est peccatum rationem, vt fornicatio simplex cum muliere soluta non virgine, ac est grauius stuprum cum virgine, sicut grauius adulterium cum nupta, præsertim si vir sit vxoratus, quandòquidem duplex est Adulterium; præterea grauius est sacrilegium si sit cum persona sacra, vel in loco sacro, & item omnia hæc sunt grauiora, si cum violentia fiant; si quidem raptus dicitur; qui aliquando cum excommunicatione est adnexus, aggrauatur magis eius peccatum, cum scilicet multæ circum-

stan-

stantiæ simul currunt, puta; cum quis suam agnoscit consanguineam, vel affinem, Virginem Deo sacratam voto solemni, vel simplici per vim; quamquam enim vnum sit mortale peccatum, quia vnus est actus malus, nihilominus circumstantias plures habet, peccati speciem in infinitum aggrauantes, quæ omnes sunt de necessitate salutis confitendæ. Est autem hic adnotandum. Quòd licet tale prædictum peccatum commissum, plures habeat circumstantias in infinitum aggrauantes, ac proindè necessariò confitendas, tamen hoc minimè erit necessarium, si membrum genitale in claustra intrat pudoris, intusq; semen non effunditur; sufficit enim in tali casu, peccatum ipsum solùm confiteri, sicut confitetur peccatum mollitiei.

Præterea: si aliquis, aliquam mulierem agnouerit, semen intra vas non fudendo, potest quidem postea, absquè vlla Summi Pontificis, vel Episcopi sui dispensatione in matrimonio copulari cum illius filia, sorore, vel matre, modo actus, sit occultus, non verò si sit alijs manifestus; tunc enim esset necessaria summi Pontificis, vel proprij Episcopi dispensatio; quandòquidem Ecclesia, id, quod exterius apparet, iudicat; non verò quod interius latet; hoc enim iudicat Deus, qui est subtilissimus cordium scrutator cum sit infinite, & summè sapientissimus.

Item: potest homo, filiam, vel matrem, vel sororem mulieris, cum qua carnale habuit copulam, in vxorem accipere, modò semen intra vas illius mulieris, non fuerit effusum; hinc enim orietur, quòd matrimonium, cum prædictis impediretur, si semen in vase talis mulieris fuerit effusum, ratione affinitatis, ac sic dirimeret contractum matrimoniale initum: affinitas namquè (vt supra diximus) efficitur, seù contrahitur, ex seminis commistione.

De Furto.

QVid est Furtum, & quandò per ipsum ab homine lethale contrahitur peccatum? 234

Respondeo, quod furtum. Est aliquid notabile tollere, extrema non cogente necessitate, contra proximi voluntatem seclusa compensatione. Ex qua responsione, quisquè faciliter poterit cognoscere omne furtum suum; quando nimirum sit peccatum mortale, & quando veniale.

Dicitur primò: aliquid notabile; quia si quis parum tolleret, furti materiam non excedens, puta: si tolleret duos carolenos, vel duos iulios, equidem haud peccaret mortaliter. Parum namquè pro nihilo reputatur; nec etiam hic talis ad restitutionem teneretur; estò bonum, piumquè sit, tale bonum furtiuum, seù æquiualens ad illud, erogare pauperibus, vel Ecclesijs; & in tali furti summa semper confessarius debet exhortari pœnitentes, vt pauperibus, vel Ecclesijs dispensent; modò tale furtum non fuerit magnum. siuè ex parte furati, siuè ex parte furantis; furtum enim parum, ex parte furati magnum est, quando furatus ipse nimia est affectus paupertate, cui, carolenus, pro tareno, & tarenus pro scutato, & plus inseruiebat; & à contrario peccare non dicitur ille mortaliter; qui à principe quinquè tollit carolenos, vel iulios, vel à Rege decem, quindecim, vel viginti; si quidem hæc omnia pro tota suorum bonorum copia, pro paruo æxtimabuntur; verum tamen est, quòd alij volunt, non solùm à paupere vnum tollere carolenum, vel iulium sit mortale peccatum; verum etiam à quacunquè tollatur persona particulari; cum vnus carolenus, vel iulius, sufficiens sit pro vnius diei victu, ex hoc enim aiunt hi Doctores, quòd proximo graue inferatur damnum, proindè talis pœna mortali est iudicandus, Furtum verò magnum ex parte furantis est; cum quis parum furatus est cum mala voluntate, ac intentione; siquidem in furto, non solùm attenditur id quod furatur, verùm etiam mens, ac intentio furantis; vndè si quis vnum quatrinum tollit cum animo, ac voluntate, reliquos furandi alijs temporibus, qui ad materiam peccati mortalis peruenirent puta, duos carolenos, vel iulios in furto excedendo; vel si per quatrinum illum magnum proximò damnum, ac iniuriam inferret, vel si in furorem cum prouocaret propter talem quatrinum mala intentione ablatum semper peccatum committeret mortale, si quidem ipsius praua intentio est contra proximi charitatem applicata; Deus enim; qui est summus omnium Iudex, cor respicit, & non manus. Et hoc bone lector animaduerte in Macellarijs, Pistoribus, Tabernarijs, Pizicagnolis, similibusquè personis, in platea multis vendentes ponderibus venalia: aliquid plus quam res venalis valeat, accipere intendentibus; vndè tales personæ, Salomonis excellentissimam debent recordari sententiam prouerbiorum cap. 11. Statera dolo-

dolosa abominatio est apud Deum, ac pondus æquum voluntas eius.

Dicitur (non cogente extrema necessitate) quoniam in extrema necessitate, quilibet viuere potest de alieno, cum illo tempore omnia fiant communia, vt in lege erat naturæ; neque tenetur ad restitutionem talis ad fortunam deueniendo fęliciorem; quamquam pium, ac laudabile sit, semper tale ablatum Domino rei restituere, vel pauperibus erogare, vel Ecclesijs; & hoc intelligendum est de victu, ac vestitu, non verò de rebus alijs, minimè ad talem spectantibus necessitatem.

Verùm est, quòd multi Doctores tenent oppositum de vestitu; quòd nimirum deberetur Domino restitui æquiualens vestimento ablato, ad vberiorem talis veniendo fortunam.

Dicitur tertiò, contra proximi voluntatem; quia si quis tollit, siuè paruum, siuè magnum, & Dominus talis rei consentit, ac illi placet; nullum profectò peccatum committet, nec ad restitutionem talis rei tenetur, quia tunc nulli charitati, nec Iustitiæ Dei, vel proximi contrariatur, vt patet; omnis enim habens bonum, hoc dare potest, vel consentire, vt ab ipso tollatur.

Dicitur quartò, seclusa compensatione; vndè si quis suam suscipit rem ab alio detentam, vel æquiualens tali rei, quam non possèt habere per viam Iuris, ac certus est, quòd alijs scandalum non sequatur, vel læsio suæ famæ, nec personæ periculum, nec facit contra conscientiam dictantem, in hoc casu, iste talis nullum committet mortale peccatum; quandoquidem accipit, quod suum est, & non alterius. Similiter est intelligendum de omni damno accepto; quando nimirum compensationem damni illati quis habere non potest via Iuris, vt præsertim contingit, cum quis debet habere à Tenente locum Iustitiæ, quem difficulter ad aliud tribunal hic talis reducere potest, vt v.g. est Princeps.

Possent hic notari ex Angelico Doctore 2. 2. q. 66. art. 3. duo; 235
primum, quòd vt acceptum sit furtum, tria requiruntur; nempè, vt quis vsurpet, & in hoc contrariatur Iustitiæ, quæ vnicuiquè tribuit, quod suum est; secundò, quod sit circa rem possessam, & sic contra distinguitur ad homicidium, ac Adulterium; quia si quis rem acciperet alterius, non quasi possessam, sed quasi partem, non committeret furtum; vt cum quis amputat alicui membrum aliquod, vel si auferret propriam vxorem, quæ coniungi-

tur viro suo, vel etiam si auferret filiam eius. Tertiò, vt occultè vsurpetur alienum; in hoc enim ratio formalis furti consistit; vt nimirum vsurpatio rei, sit occulta proximò facta. Secundum, quòd hic notari debet est, quod furtum, quatuor modis committur: primò occultè accipiendo, & hoc est quædam proditio; secundò, violenter auferendo, & hoc est maior iniuria: tertiò, mercedem non soluendo: quartò, fraudem in mercationibus committendo.

De Scandalo.

236 QVid est scandalum, & quomodò quis per scandalum mortaliter peccat?

Respondeo, quod scandalum, nihil aliud est, quàm aliquid dictum, vel factum minus rectum ruinæ occasionem præbens; itaquè cum quis ex aliquo dicto, vel facto; cuiuscunq; sit generis, sic intendit proximum suum ad mortale trahere peccatum, mortaliter peccat; si verò ipsum ad veniale trahere intendit, venialiter peccabit, modo id quod iste facit, vel dicit mortale, non sit peccatum. Quando igitur quis per dictum suum, vel factum non intendit proximum, ad mortale trahere peccatum, tamen percipit, quòd si dicit, vel facit illud proximus, qui infirmus est in peccatum rueret mortale ex tali occasione dicti, vel facti, si illud quòd facit, vel dicit ex se est malum, vel nec bonum, nec malum ex se; illud dicens, vel faciens, non curans de salute sui proximi, mortaliter peccat; at si illud, quòd dicit, vel facit, bonum est, tamen non est de salutis necessitate, ac percipit proximum suum propter illud scandalizari ex infirmitate sua, atquè in peccatum cadere mortale; peccabit talis, causans scandalum, mortaliter faciens, vel dicens illud, proximè salutem parui pendens; & etiam contra charitatem faciens. Proindè pro illo tunc proximo scandalizato rationem dicti, ac facti assignare debet, & ipsa datà ratione, si proximus ipse ex sua phantasia, adhùc perseuerat scandalizatus, certè omne malum ipsi erit imputandum; siquidem hic talis phariseorum scandalo est oppressus, de quibus ait veritas increata Matt. c. 15. Sinite illos, quia cęci sunt, ac duces cecorum; si verò dictum illud, vel factum est de necessitate salutis, aut ità clarè bonum, vt nullus ex eo, nisi ex sua propria

mà-

malitia, ruere posset in peccatum; hic talis faciens, vel dicens, quid tale minimè mortaliter peccabit, licet proximus ex sua malitia, vel magna spiritus infirmitate scandalizetur; siquidem tale scandalum est receptum, non verò datum. Itaquè cum quis suum proximum ad peccandum trahere non intendit, nec percipit antè, quòd per suum tale dictum, vel factum in mortale rueret peccatum, & tamen factum, vel dictum eius tale erat, ac in tali loco, & tempore, quòd debuisset hoc percipere, si ex hoc, proximus scandalizetur, non excusatur certè à peccato mortali, maximè, si id, quod dicit, vel facit est peccaminosa actio: & sic quando nullum prædictorum currit, vel erit peccatum veniale, vel nullum peccatum; Porrò de huiusmodi scandalo, eiusq; circumstantia, diligenter est à confessario perquirendum à pœnitente, currente causa; totus siquidem Mundus hoc vitio complexus existit, maximè mulieres, quæ ornantes se inhonestè, causa sunt; (ò portentum horrendum, & lachrymis dignum æternis!) infinitorum peccatorum; homines ad lasciuiam, leniter dulcissima libidinis esca prouocantes.

Propterea, ò bone, & fidelissime lector; ne sis, vt alij confessores, qui mulierum obcæcati parabolis, ac excusationibus sictitijs, causa sunt, perdendi tot animas; aduerte, vigila, agnosce astutias diaboli sub verbis mulierum dicentium, quòd vestibus pretiosissimis se ornant, stibio, ac rubro colore suas facies tingunt, vt maritis suis appareant pulchrè! ò verba inuenta à patre mendacij! ò laqueum perditionis æternæ! vtinam sic esset! equidem talis status conditiones, sinè fine plorabo.

De Peccatis Linguæ.

QVid est linguæ peccatum, & quomodò propter linguam peccatur? 237

Respondeo, quod linguæ peccatum, nihil aliud est, quàm dicere, vel affirmare id, quod contra Dei, ac proximi charitatem vergit: vndè, bone lector, duo considerare oportet in hoc: primò, effectum, seù intentionem dicentis, quæ si sit contra Dei charitatem, ac proximi, semper est mortale peccatum; si verò intendit aliquid dicere, quòd non est contra charitatem Dei, ac proximi, minimè peccat mortaliter: secundò, si ex verbis dicentis

tis sequatur scandalum, vel aliquid notabile contra charitatem Dei, ac proximi; sic enim mortale esset peccatum talis loquacitas, propter indescreptionem loquentis, ac peccata proximi occulta pandendo, vel ipsius bona diminuendo quocunquè modo, siuè per verba, siuè per signa, seù nutus, vel etiam per taciturnitatem, si ex hoc, proximi famam denigrare intendit per inuidiam, vel quid simile, mortale, hic talis, committet peccatum, teneturquè ad restitutionem famæ, & si restituere hanc minimè potest, debet aliquibus bonis satisfacere iudicio prudentis Confessoris.

Est autem hic aduertendum, quòd non minus peccat, qui audit, quàm ille, qui dicit, quinimmò plus aliquando; maximè si murmuratorem ex odio murmurati, accidit; vel si ipsum murmuratorem audiendo, maiorem murmurandi præbet illi occasionem: vndè dicebat Dauid factus sum, tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem mortuorum commorantium in circuitu. Si verò quis non libenter audit murmuratorem, sed ex quodam humano respectu tacet, non peccat mortaliter, sed si fortè videat, ex hoc sequi magnam Deo iniuriam, vel magnum proximo damnum, cui respondendo posset remediare, & hoc non facit, sed manet taciturnus peccat mortaliter, maximè si sit Prælatus, vel Pater dicentis, seù murmurantis: hi enim tales, & his similes, suos inferiores repræhendere tenentur, nulloquè modo audire. Quòd si quis dicat, vel audiat proximi sui aliquos defectus, ex quibus famæ denigratio notabiliter non sequitur, nec hic talis intenderet eius famam lædere, non peccat mortaliter, nec ipse dicens, nec audiens; & quod dicimus de detractione, est etiã dicendum de contumelia, per quam proximus in præsentia inhonoratur, & similiter de irrisione, qua proximus contemnitur, qui maximè est diligendus: similiter etiam de maledictione, quam vulgares blasphemiam vocant, vt cum dicitur: veniat tibi malum pascha, mors, & similia.

Et quidem confessor, oportet, dicentis intentionem considerare, quæ si non fuit ad malum finem directa, tamen ex tali loquacitate per ipsius dicentis descriptionem scandalum, vel damnum proximo notabile fuit sequutum, & sic eccè peccatum mortale, & obligatio restitutionis famæ: quisquè enim debet priùs considerare id, quod loquitur. In Adulatione debet etiam considerari finis adulatoris, ipsiusquè intentio, ac effectus; vt puta: si ex adu-

adulatione aliquis efficitur superbus, vel peior, vel audacior ad malum: poterit Adulatio esse mortale peccatum, maximè si adulator hæc omnia sequi intendebat, vel verisimiliter credebat, ac verebatur.

Sunt autem hic, ad maiorem intelligentiam peccati linguæ, septem attentè, ac studiosè pensanda. 238

Primò: an patienter sufferre debeamus iniurias nobis illatas? vndè respondetur, quòd debemus animum paratum habere ad contumelias, si expediens fuerit: siquidem quandoquè oportet, contumeliam illatam repellere, & audaciam inferentis reprimere, vt deinceps talia inferre formidet, tamen hoc facere debemus moderatè, ac prudenter: & hoc facere licet nobis nè bonum multorum impediatur, qui audientes, nos pati tales contumelias, scandalizentur, & cogitent, nos esse malos, ac proindè à nostris prædicationibus auertantur, & sic in primis moribus remanentes, benè viuere contemnant.

Secundò: quòd irrisio fit ore, seù verbis, & cachinis, & hoc facit ipse derisor per turpia verba, & signa, vt aliquis, apud se ipsum perdat gloriam conscientiæ per quamdam confusionem, ac erubescentiam.

Tertiò: quòd est differentia, inter derisionem, contumeliam, detractionem, ac susurrationem; si quidem derisio est conuitium ad deprimendum honorem; contumelia, seù derisio fit, vt contemptus, seù derisus erubescat; detractio fit ad diminuendam famam; susurratio fit ad tollendam amicitiam.

Quartò: quòd est differentia inter contumeliam, conuitium, ac improperium. Vndè defectus culpæ est ille, qui repræsentatur per verba contumeliosa, ac defectus generaliter culpæ, & pœnæ repræsentantur per conuitium, quia conuitium dici consueuit, non solùm animæ, sed etiam corporis. Vndè si aliquis alium iniuriando dicit: quòd sit cęcus, conuitium dicit, sed non contumeliam; improperium verò quis dicit, cum alteri ad memoriam reducit iniuriam illatam, & quòd ipse auxilium præstauerit, vt talis inferatur iniuria illi patienti.

Quintò, quòd est differentia inter contumeliam, ac detractionem; contumelia enim est, cum aliquis manifestè, contra aliquem loquitur; detractio verò est, cum quis loquitur contra aliquem, sed occultè. Item differunt; quia contumeliosus, dero-

derogat honori, detractor verò, lædit famam.

Sextò: quod est differentia inter detractionem, ac susurrationem; vndè licet detractor, ac susurrator, conueniant in hoc, quod vterquè occultè malum de proximo dicit; propter quam similitudinem, interdum vnum, ponitur pro alio. Eccl. c. 5. Non appellaris susurro. Glossa: ideſt, detractor: & quidem detractor, proximi famam denigrare intendit, sed susurro, amicitiam separare.

Septimò, & vltimò, quod detractio, graue est peccatum; vndè post homicidium, quod tollit vitam proximo in actu existenti, ac post adulterium, quod contra ordinem generationis est humanæ, per quam ad vitam datur introitus; detractio secundum suum genus, est peccatum grauius, quàm furtum. Potest quidem aliter esse leuius, ratione circumstantiæ, si nimirum detractio fiat ex infirmitate, & ex promptitudine naturæ, secùs verò si fiat ex magna præmeditatione.

De Correctione fraterna.

239 QVid est correptio fraterna, & quomodò quis peccet mortaliter propter correptionem?

Respondeo, quod correptio fraterna, est charitatis medicina adhibito morbo proximi; ideſt peccato mortali, vel præsente, vel præterito, vel imminente; nè frater istis in damnationem ruat sempiternam; quàm quisquè ex diuino præcepto, facere tenetur, Matt. c. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipsum solum. Itaquè cum quis probabiliter credit, se posse aliquem, siuè inferiorem, siuè superiorem, siuè æqualem à mortali peccato, vel præsenti, vel præterito ad statum salutis per spiritualia verba reducere, ac illum exhortari leniter, vt caueat, nè iterum labatur, & hanc correptionem non facit timore, vel amore sui, vel quia videt, quod hanc, alius non facit, peccat mortaliter; sicut ille, qui in extrema necessitate proximi, eleemosynam dare recusat: quando peccatum est secretum, & non in fidei periculum vergit, vel totius Reipublicæ, debet quilibet primò, talem peccatorem corrigere inter se, & ipsum solum, & hoc, vt fama cuiusquè seruetur; si autem hac correctione facta pluries, peccator non emendatur in melius, correptor,

tor, debet adhibere testes bonos fideles, prudentes: & si corrigi nolit, dicatur Prælato, & publicè accusetur cum omni prudentia; quoniam melior est in proximo nostro animæ salus, quam fama humana; si verò peccatum, vergeret in detrimentum fidei, quia nimirum aliquis hæreticus secretè simplices subuertit, vel in periculum Reipublicæ, quia nimirum quis vult prodere ciuitatem, in hoc casu si corrector, quasi pro certò haberet, quod secreta admonitio sufficeret, vt ille talis desistat à tali opere intento, debet eam facere, sed si videret periculum, esse in mora; debet statim tale peccatum promulgare ei, à quo posset tali facto, seù malo intentio prouideri; quandoquidem bonum comune, particulari bono præfertur.

Proindè hic est, parentibus circa filios, ac Prælatis, circa subditos, quos habent in curam, animaduertendum; vt talem exerceant correptionem, cum ipsos viderint aliquo peccato vitiatos, vel cum fuerint in aliquo imminenti animæ periculo probabili, corripiant eos prædulciter in spiritu lenitatis; & vtinam, ò immortale numen, hoc præceptum penitus non ignoraretur!

Immò si quis peccatum secretò commiserit, & alius hoc audiat, vel videat; non ad fraternam se conferens correptionem, sed ad publicationem dupliciter peccaret: vno modo, propter omissionem correptionis fraternæ, alio modo, propter detractionem.

Notandum hic in fine vnum; puta, quòd si interdum apud aliquem Doctorem videatur, quod talis fraterna correptio, non sit facienda, dicentem; quòd Deus punit quandoquè peccatores, sinè præcedente admonitione, ac nos ipsum imitari debemus: hoc non est tenendum secundum Saluatoris sententiam præallegatam Matt. c. 18. si peccaueris, &c. vade, & corripe eum. Præterea Deus ipse, nusquam peccatores punit, absquè præcedente admonitione; si quidem omnia occulta, Deo sunt nota, & hoc modo se habent occulta peccata ad iudicium diuinum, sicut publica, ad iudicium humanum; Et quidem Deus ipse summè bonus, plerumquè peccatores ipsos, secreta quasi admonitione arguit, interiùs inspirando, vel vigilantibus, vel dormientibus dicendo. Nisi conuersi fueritis gladium meum vibrabo, arcum meum intendam, & parabo illum, & in ipso mortis æternæ vasa præparabo; idcircò conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,

salui eritis, & facies vestræ, non confundetur; quod autem Deus, has admonitiones, cum peccatoribus exerceat, patet Iob. cap. 33. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. Vt auertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de superbia, &c. Lege D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. & 4. sent. dist. 19. q. 2. art 3. q. 3. vbi videtur, quòd quamuis fraterna correctio, semper debeat magis ad lenitatem accedere, quia non ex authoritate officij, sed ex charitatis effectu exhibetur; nihilominus aliquando ipsa correctio, debet esse aspera; & etiam Diuum Gregorium pro se testantem in pastorali: aientem; Nonnulla peccata, sunt leuiter corrigenda.

De Ieiunio.

240 QVid est Ieiunium, & quando quis, propter ieiunium mortaliter peccat?

Respondeo, quod Ieiunium est quoddam præparatorium, ac quædam dispositio ad diem festi deuotè celebrandum; quòd hoc modo fieri debet; nempè: semel in die comedendo hora nona, vel propè ipsam; si quidem horam nonæ, quis notabiliter anticipans, necessitate non cogente, frangit, hic talis ieiunium, & mortaliter peccat ex D. Thoma 4. sent. dist. 15. q. 3. non autem sic frangitur per nimiam retardationem, ipsum ieiunium, nec per nimiam comestionem, auidè, ardenter, lautè, vel studiosè, licet perdatur abstinentiæ meritum. Non debet quis in die ieiunij, carnes comedere, vel lacticinia, vel oua, nisi longa fuerit talia comedendi lacticinia, &c. consuetudo: odor carnium, aliorumquè liquorum ieiunium non soluit etiam si pluries odorentur; quia odor non nutrit, sed ad summum confortat; Potest autem ieiunans, pluries bibere, & propter hoc introducta est consuetudo, vt vesperi, vina non noceant, nec modicum, quid comedere; illud enim, quod sumitur, propter medicinam sumitur; non vero ratione cibi; quàmobrem quilibet anno vigesimo primò ætatis suæ consumato, in diebus à S. M. Ecclesia institutis, ieiunare tenetur, & quoties non legitimè impeditus, ieiunare recusat, vel firmiter non ieiunare se disponit, toties mortaliter peccat. Iustum, ac legitimum impedimentum à ieiunio excusans est,

cum quis est infirmus, vel nimis pauper non potens de multis recollectis eleemosynæ vnum facere comestionem, quæ fieri solet cum pranditur in die ieiunij hora terminata; Peregrinus, cum suam non potest differre peregrinationem, si non potest commodè peregrinari ieiunando, ratione laboris in itinere, ieiunare non tenetur. Item mulier grauida, vel lactans puerum, si non posset sinè magno prolis nocumento ieiunare, non ieiunet, quia non tenetur hoc adimplere, Sancta enim M. Ecclesia non intendit propter ieiunium, alia bona impedire, vel detrimenta magna humanis corporibus, vel ipsorum rebus inferre.

Vndè si quis est pauper, & laborare oportet, ac laborem ipsum, propter tantam paupertatem, quam habet, diminuere non potest; non tenetur ieiunare. Potest etiam quis à ieiunio, aliqua causa excusari, vt cum quis prædicat, legit, &c. quòd ex circumstantijs, confessor iudicare potest; quando nimirùm mortale, ac veniale sit peccatum.

Hic autem pro vberiori doctrina, sunt octo considerandà studiosè.

Primùm, quod homines licet sint in statu augmenti, qui status 241
communiter est in vigesimo primo anno, & non teneantur ad Ecclesiastica ieiunia obseruanda; conueniens tamen est, vt etiam hoc tempore exerceant se ad ieiunandum, etiam antè vigesimum primum annum, plus, minusuè, secundum, quòd sua tolerare poterit ætas: consilium autem bonum est, vt tempore tribulationis hi tales ieiunent.

Pueris etiam ieiunia mandantur à confessoribus, ratione pœnitentiæ arctioris.

Secundum, quod ieiunium duplex est; quoddam naturæ quo quis dicitur ieiunus, antequàm comedat, & consistit in pura negatione cibi, quia non potest, quis tàm parum comedere, quin ieiunium naturæ soluatur; aliud est ieiunium, quod est virtus, & est illud, quo quis ex rationabili proposito à cibis aliqualiter abstinet: vndè primum ieiunium naturæ, dicitur ieiunum ieiunij; secundum verò, quod est virtus, dicitur ieiunium ieiunantis quasi ex proposito aliquid agentis; & hoc ieiunium adhuc duplex est; nimirum spirituale, quòd consistit abstinere nos à peccatis, malisquè cogitationibus, & corporale, quod consistit in abstinentia ciborum.

Tertium, quod ieiunium principaliter institutum fuit propter tria; Primò, ad reprimendas carnis concupiscentias: vndè Apostolus 2. Cor.c.6. volens docere remedium luxuriæ reprimendæ: ait sic. In ieiunijs multis, in castitate; quia per ieiunium, castitas conseruatur, & alibi dicit. Castigo corpus meum, & in seruitutem illud redigo. Et D. Hieronymus, inquit: sinè Cerere, & Bacco, friget Venus; idest per abstinentiam cibi, ac potus, tepescit luxuria; Secundò, assumitur ieiunium ad hoc, vt mens liberius ad cœlestia contemplanda eleuetur: vndè Danielis c. 10. dicitur: quòd post ieiunium hebdomada datum, reuelationem accepit à Deo: Tertiò, assumitur ieiunium ad satisfaciendum pro peccatis; vndè Ioelis c.3. dicitur. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu; & hoc innuere vult Augustinus serm. de orat.& Ieiun. dicens; Ieiunium, purgat animam, mentem subleuat, propriam carnem, spiritui subijcit, cor, facit contritum,& humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit libidinum ardores, extinguit; castitatis veræ, lumen accendit, quod etiam cantari solitum est in Præfatione Missæ, vbi dicitur; qui corporali ieiunio, vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia.

Quartum, quod non debemus omni tempore ieiunare; vndè si quis tempore paschali, ac in diebus dominicis, qui sunt dies lætitiæ ieiunaret contra vniuersalem populi Christiani consuetudinem sibi persuadens necessarium esse tale ieiunium per Diuum Thomam 2.2. dist. 14. art.5. non esset à peccato immunis, quamuis ieiunium ipsum secundum se consideratum, omni tempore sit laudabile, vt optimè ostendit Diuus Hieronymus, dicens ad Lucianum. Vtinam omni tempore, ieiunare possemus!

Quintum, quod non minus peccat ille, qui nimium ieiunat, quàm ille, qui ieiunat in diebus Paschæ,& dominicis per Diuum Thomam, vbi supra q.88. art.2. quoniam maceratio carnis propriæ per vigilias, & ieiuna, non est à Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis, quòd quidem est, in quantum cum debita discretione fit, vt nimirum concupiscentia refrenetur, & natura non nimis grauetur.

Sextum, quod arctius debemus seruare ieiunium quadragesimæ, quàm aliorum temporum; quandoquidem ieiunium quadragesimæ, vt ait D. Thomas vbi supra art. 8. & sollemne, inter-

alia

alia ieiunia; tum quia obseruatur ad imitationem Christi; tum etiam quia per ipsum disponimus ad redemptionis nostræ mysteria deuote celebranda, idcircò arctius obseruari præcipitur ab Ecclesia.

Septimum, quod nos ieiunamus vsquè ad horam nonæ non autem vsquè ad Vesperas, vt Iudæi facere solent; quia status veteris legit, ait D. Thomam, vbi supra art. 7. comparatur nocti; status verò noui testamenti, comparatur diei; quòd apertè indicat illud Apostoli ad Rom. c. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

Octauum, quod considerari debet in hoc trattatulo de ieiunio, est: quòd dies ieiunij incipit à prima media, & terminatur ad aliam sequentem mediam noctem. Diuina verò officia celebranda, incipiunt à primo vesperi, & terminantur, vsquè ad sequentes vesperas; quò ad celebrationem festorum, ac obseruantiam à labore dicendum est, quòd incipiant post occasum solis diei præsentis, vsquè ad occasum solis diei sequentis; si quis enim post vnam, vel duas horas noctis laborat, consuetudo eum excusat; nam sicut in sero diei festi, quando ei laborare licet: die transacta, non laborat vsq; ad mediam noctem, ita illi compensari videtur ante serum festi facienti.

Aduertendum est, quod scriptio in die festi, non est peccatum mortale, quamuis cum aliqua fieret pretio; vt cum quis propter lucrum, aliquod instrumentum, quadragesimale, ac similia rescribit: quia per Clau. Reg. aliosquè sacros Doctores, scriptio non computatur inter manuales labores in die festo prohibitos, sed inter intellectuales, vt prædicatio, & studium, quæ in fœsto non prohibentur, modò per scriptionem ipsam, sacrum non omittatur in fœsto.

De Eleemosyna.

QVid est Ellemosyna, & quot in ea considerantur? 242
Respondeo secundum Diuum Thomam 2.2. q.32.art.1. quòd est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, quod quidem motiuum pertinet ad misericordiam; quia dare eleemosynam est propriè actus misericordiæ, quòd claret ex ipsius nominæ: græcè enim eleemosyna à miseri-

cor-

cordia deriuatur, & omne obsequium proximo factum propter Deum, eleemosyna dicitur: in qua sex sunt breuiter consideranda.

243 Primum; quod eleemosyna dupliciter fieri potest; puta in bono corporis, ac in bono animæ; quod animæ bonum, maius beneficium est, quàm bonum corporis, & ratio huius est, quia anima longè præstantior est ipso corpore; bonum impensum animæ proximi est cum quis pro viribus studet, vt proximus sit obseruans, ac perseuerans in Dei, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ, præceptis; bonum verò corpori proximi impensum est, cum quis studet, ac studiosè quærit, vt proximus suus comedat, bibat, induatur, &c.

Secundum, quod eleemosyna tum spiritualis, quàm corporalis facienda est proximò celeriter, dum ipse indiget; non autem est expectanda extrema necessitas mortis tùm animæ, tùm corporis, vt proximis subueniatur, sed dum probabiliter iudicatur, quòd proximus ipse indiget aliquo bono spirituali pro suæ animæ salute, vel aliquo bono corporali pro substentatione corporis; ac proindè cum existimatur, quod proximò immineat aliquod damnum, siuè corporis, siuè animæ misericorditer, ac hilariter subueniatur, & hoc faciendum erit, iuxta quantitatem diuitiarum subuenientis voluntariè: in quo opere est obseruanda hilaritas vultus: si quidem hilarem datorem diligit Deus; & Ecclesiast. c.35. habetur. In omni dato, hilarem fac vultum, & in exultatione sanctifica decimas tuas, immò declina pauperi, sinè tristitia aurem tuam, ac redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine, & vt Deo sit accepta, animæquè meritoria, in gratia, ac charitate sua est facienda; quid si quis Dei charitate, ac gratia caret non proindè relinquenda est eleemosyna, sed facienda: quia esse potest, quod eleemosynam recipiens in Dei gratia, ac charitate sit, & sic Deum ipsum pro dante eleemosynam orabit, ac sic potest illi prodesse, vt nimirum Deus de congruo illum iustificet; intuitu orationis illius qui eleemosynam accepit; si verò vtri sint in peccato, eleemosyna ipsa, pro donante, Deum orabit iuxta illud Eccl. c.29. Absconde eleemosynam in sinu pauperum, & ipsa orabit pro te.

Tertium, quod in elargitione eleemosynæ, tria debent considerari, nimirum: honestum, debitum, ac necessarium; honestum,

cir-

circa propinquos; debitum, circa benefactores, modò sint indigentes, non verò vt ipsorum diuitiæ adaugeantur; necessarium, quod nimirum eleemosyna magis sit donanda egenis, idest maiori necessitate existentibus; in quo casu quilibet habens, ac potens, ex diuino præcepto tenetur talibus egentibus in extrema necessitate constitutis subuenire; iuxtà illud c. pasce 86. dist. Pasce famæ morientem, ac si non pascueris, occidisti.

Verumtamen est, quod secundum sacros Doctores, præsertim Nauarrum in c. 24. n. 9. non tenetur quis pauperi in longinquo manenti loco subuenire, sufficit enim subuenire præsenti, ac propinquo; & si quis non habet, vt det eleemosynam, habeat saltem bonam voluntatem; siquidem bona voluntas à Deo pro facto reputatur; Deus enim cor respicit, & non manus. Potest aliquis bonum aliquod alienum rapere (secluso scandalo, ac periculo vitæ) & per illud pauperi in magna necessitate existenti, subuenire; quando scilicet ex suo proprio, illi subuenire non potest, quia scilicet non habet fortasse pro se, & pro alio sufficienter, & non tenetur ad restitutionem, sicut ipse pauper, nec tenetur cum in extrema necessitate omnia sint communia.

Quartum, quòd eleemosyna facienda est de rebus proprijs, non verò de rebus alienis, maleque acquisitis, quæ nimirum restitutioni sint obligata; Porrò eleemosyna de rebus proprijs facienda in triplici est differentia; nimirum bona, melior, & optima; eleemosyna bona est illa, quæ de rebus fit Ecclesiæ, quorum Ecclesiasticæ tantùm personæ, sunt dispensatores; eleemosyna melior est illa, quæ fit de rebus paternis, ac maternis iusto titulo obtentis; eleemosyna verò optima illa est, quæ fit ab eo non habente, nisi id, quod proprijs manibus lucratum est.

Quintum, quod non potest quilibet eleemosynam præbere, nisi dominus domus: vndè non possunt præbere eleemosynam serui de rebus dominorum suorum, ac filij familias, de rebus suorum patrum etiam si super eas gubernationem, ac ministrationem habent, absquè expræssa, vel tacita licentia dominorum, ac patrum; quoniam nemò præbere potest id, quod suum non est, nisi priùs illius rei dandæ dominus consenserit, ac ipsi, vt detur, placeat; Attamen serui possunt dare aliquid de ipsorum victu; quando nimirum signanter eis præbetur talis victus; quod nimirum si ipsis seruis defecerit, plùs non petant, ac si eis superest aliquid

quid non reddant; Filij familias, quando propria virtute bona obtinent, vt cum sunt Medici, Aduocati, Notarij, Procuratores, Magistri scholæ, milites, vel quid simile; possunt elargiri bona pauperibus, Ecclesijs, & pro suo libito expendere, cum habeant supra talia bona Ius, ac dominium.

Vndè sciendum est, quod filiorum bona, seù peculiaria viuente patre, quinque sunt: primò, Castrensia, quæ illa sunt bona, quæ filius in bello acquisiuit, vt cum erit Columnellus, Dux, signifer, vel quid simile officium in bello habens: secundò, quasi castrensia; illa scilicet bona, quæ filius acquirit dum est Medicus, Aduocatus, Notarius, Procurator, Magister, &c. quorum bonorum à filio acquisitorum, ipsemet dominus est, & ipsius pater supra talia bona, nullam habet potestatem, quod etiam intelligendum est de fructibus procedentibus ab illis talibus bonis: tertiò, aduentitia; idest illa bona, quæ filio ex materna parte succedunt; puta ex matris parentibus; de quibus, pater, potestatem habet super ipsorum bonorum fructus, ipsos dispensandi, non verò, quo ad ipsorum capitale: quartò, Profectitia; idest, illa bona, quæ filio, ex parte patris succedunt, æquè ex patris parentibus, quorum bonorum, eius pater, totus dominus est, videlicet: tàm de capitali, quàm de fructibus. Quintò, & vltimò. Mixta; idest, partim aduentitia, ac partim profectitia; quæ illa sunt bona, quæ filius ex sua propria acquisiuit industria cum capitali patris, è quibus bonis acquisitis potest ipse filius tantum plùs præ fratribus accipere, quantum suo labore, ac industria lucratus est; sicut etiam potest pater ipse filio obedientiori optimam bonorum partem præ alijs filijs præbere, vt aiunt Doctores, præcipuè Nauarrus de furto in parte de peccatis patrum agente, circa filiorum bona. Sicut autem supra dictum est de seruis, filijs familias, &c. sic etiam est dicendum de vxore, nimirùm haud potente eleemosynam præbere, si aliquid non habet vltra dotem, vel per propriam virtutem, ac industriam, vt merces lucrata aliquo opere manuali, vel per quid simile potest ab ipsa vxore erogari pauperibus, vel cui ipsi placuerit; de alijs verò bonis minimè; nam vxor, est subiecta viro, & non potest, absquè viri sui expræssa, vel tacita licentia, aliquid notabile dare; dicitur, aliquid notabile; quoniam vxor ipsa potest dare aliquid parum etiam viro suo contradicente pro eleemosyna, dummodò, pro multis eleemosynis, damnum ali-

aliquod notabile, suo non veniat viro; nimirum euadat pauper, & mendicus; vsus enim rationis, vxorem ipsam edocet, de paruis rebus, posse eleemosynam dare; vxor enim non est, vt filij, ac serui, simpliciter de rebus sui viri aliena, sed socia, quod accipe ex illo Geneseos c. 2. Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.

Quod autem diximus de seruis, filijs familias, ac de vxore; dicendum etiam est de Religiosis subditis in aliqua Religione approbata viuentibus; quoniam dominium rerum Religionis, eleemosynam dandi, solùm ipsius superioribus est permissum, qui libentius, quàm sæculares dare debent eleemosynam propter aliorum exemplum, & adimpleatur illud 1. Cor. c. 4. 6. Spectaculum facti sumus Angelis, & hominibus. Potest tamen interdum religiosus subditus, aliquid pro eleemosyna dare; nimirùm de superfluo, quod ei datum est pro victu, ac vestitu; maximè quando de tali re abstinet, & à suo superiore hoc dare, sibi non fuerit prohibitum; vel cum certè credit propter talem eleemosynam, contra superioris sui non facere voluntatem, aliàs enim teneretur stare obedientiæ; iuxtà illud prouerb. c. 16. Initium viæ bonæ, facere iustitiam, accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare hostias: at hoc intelligendum est, modò proximus in extrema non sit paupertate constitutus, in tali enim casu quilibet de alieno potest erogare alijs, ac etiam recipere, cum tali tempore necessitatis omnia fiant omnibus egenis communia.

De qua re multi Doctores volunt (maximè Caetanus 2. 2. q. 101. art. 4. quodl. 5. p. 16.) quòd si religiosi in aliqua religione approbata professi, habent parentes, extrema laborantes paupertate, ne dum possunt hì tales, absquè superioris licentia, suis subuenire parentibus, ipsis eleemosynam elargiendo; verum etiam (non potentes de Religionis rebus eis subuenire) de claustro exire, illorumquè necessitati prouidere, modò suus superior, pro eis non suppleat: horum Doctorum ratio est, quia obligatio standi voto Religionis, est tantùm de Iure diuino; at subuenire parentibus, non solum diuino, verùm etiam naturali, quòd quidem promiscuum præceptum, præstat omni vinculo, seù Religionis voto, quod tantùm est de Iure diuino. Verùm tamen est, quod multi, ex aduerso, contrariam tuentur opinionem aientes, quòd religiosi in aliqua approbata Religione approbati, pro

mortuis habentur in Mundo, & ſicut quis defunctus, parentibus ſubuenire haud tenetur, (cum mors omnia ſoluat) ſic religioſus in aliqua approbata Religione profeſſus. Porrò ambæ opiniones, ſua non carent probabilitate; quiſquè amplectatur, quàm voluerit libentiſſimè.

Sextò, & vltimò: quod multi ſunt eleemoſinæ effectus, & præcipui ſunt hi quinque: primò, per ipſam, bona augentur temporalia, vt habetur Eccl. cap.35. [Deus retribuens eſt, & ſepties reddet tibi: Secundò, liberat à morte, remittit peccata, & fecit apud Deum inuenire miſericordiam Tobiæ c.12. [Eleemoſyna à morte liberat, ac ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam: Tertiò, contra inimicum, ſcutum eſt per eumdem Eccl. c. 29. [Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam, aduerſus inimicum tuum pugnabit: Quartò, multi dantur interceſſores in Domino, qui quidem ſunt, receptores eleemoſynæ, & dato, quòd iſti mali ſint, eadem eleemoſyna ipſorum defectum ſupplet, vt ſupra diximus ex Eccleſ. [Abſcondi eleemoſynam in ſinu pauperum, & ipſa orabit pro te: Quintò, dolores mortis dulciter facit ſuſtinere, & ſi ægrotus ab omnibus eſt in agone derelictus, ad conſolationem, & patientiam inducit, ac poſt mortem, ſocia erit in via: audios Ambroſij ſic alloquens. (Sola miſericordia, comes eſt infirmorum, & defunctorum.

De Indulgentia.

244 QVid eſt Indulgentia, & quot requiruntur, vt quis ipſius indulgentiæ valorem lucretur?

Reſpondeo, quod Indulgentia eſt pœnarum, pro peccatis debitarum remiſſio; hoc autem non à pœnis imponendis, vel impoſitis à Iure pro peccatis, ac delictis in foro inductis iudiciali, vel à præſeruatiua, quæ pro medicina à confeſſario imponitur ad euitanda futura peccata; ſed de his tantùm in foro Sacramentali remiſſis; ad quam remiſſionem, quinque requiruntur neceſſariò, vt vnuſquiſquè illam habeat virtute huius indulgentiæ.

Primò, authoritas dantis, ſcilicet Papæ, vel Epiſcopi, non verò aliorum ſuperiorum, tàm ſæcularium, quàm regularium,

vt

vt sunt Parochi, Abbates, Superiores, ac Prælati, & non Episcopi; quamuis enim tales Religionum superiores, a: Prælati possint suos subditos excommunicare, interdicere, atq; suspendere, absoluere, & relaxare; non tamen eis possunt indulgentiam concedere, si expræssum à summo Pontifice non habent licentiam; & quippè habent Episcopi facultatem indulgentias concedendi limitatè, non verò plenariè; videlicet, per Annum in dedicatione Ecclesiæ, & eius Anniuersario, & in alia solùm dierum quadraginta, & non vltra: quandoquidem Papa vlteriùs extendi potest, & concedere Indulgentias, nedum per quadraginta dies, vel per annum, vel pro tertia, vel quarta parte peccatorum; verùm etiam omnium peccatorum plenariam potest concedere, & hoc, non solùm dum viuit, verùm etiam mortuus, quousquè ab alio suo successore talis concessio non reuocetur, vt patet in dies: ipse enim Papa per totum orbem potestatem habet, pro omnibus commissis peccatis plenariam concedendi indulgentiam, si totus mundus Christianus existat, ac fidelis; siquidem in terra potentiæ papali (in rebus spiritualibus) nemò repugnare, ac contradicere valet, sicut in cœlo, & in terra Dei voluntati pariformiter vllus resistere queit. Et quidem hanc potestatem, per totum mundum indulgentias fidelibus concedendi plenarias à Christo Domino ipse Papa concessam habuit: cum ipse Christus suis dixit discipulis. [Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis (secundum fidem Catholicam) intelligitur remissio tàm culpæ, quàm pœnæ mediante Sacramento Confessionis: ita quod si quis post obtentum valorem indulgentiæ à Papa, statim moreretur, statim certissimè ad cœlum euolaret (dummodo talis existat, & non habeat contrarium actum voluntatis repugnantis legi Dei æternæ) nullum enim ei erit impedimentum; quamquam ipse de suis peccatis, non satisfecerit hac in vita, vel in Purgatorio; quia hoc ipse habuit virtute Thesauri S. M. Ecclesiæ ei applicatus à Papa, qui pœnas omnes soluit, ac si per ipsum pœnitentem fuissent solutæ, ac satisfactæ.

Secundò: Posita rationabili causa, puta, vt sit primò in honorem Dei, omniumquè Sanctorum, ac Sanctarum, pro quorum meritis, talis mandatur indulgentia: secundò, in salutem,

& honorem S. M. Ecclesiæ, animæ propriæ, & proximorum fidelium.

Tertiò, vt Indulgentiam recipiens, sit fide firmus; idest firmiter credere, quod indulgentiæ conceditur, ac mandatur ex S. M. Ecclesiæ thesauro, meritis infinitis Domini Nostri Iesu Christi, Beatæ Mariæ semper Virginis, omniumquè Sanctorum, ac Sanctarum coadunato, & quod ipsi indulgentia tantum profuit, quantum sonat, & mandatur; nimirum si indulgentia plenaria mandatur, plenaria erit ei pro peccatorum pœna, remissio; si verò per quadraginta mandatur dies, vel pro tertia, vel pro quarta peccatorum parte, tantùm ei valet, atquè prodest, quantum valet, atquè prodest pœnitentia sufficiens pro tot peccatorum quantitate; verùm est, quod plus poterit prodesse vni, quàm alteri propter magnam contritionem, ac laborem; quoniam in pœnitente, non solùm per Sacramentum, ac indulgentiam fit pœnarum remissio debitarum, quantum indulgentia ipsa sonat, ac mandatur; verum etiam secundum contritionis, dolorisquè quantitatem; quamuis enim propter indulgentiam concessam in domo Sancta Lauretana, tantum fiat remissio pœnarum pro peccatis debitarum illi, qui est propè ipsa Lauretanam Ecclesiam, quantùm illi, qui ab vltima mundi parte ad ipsam venit, cum mandatur indulgentia ex meritis infinitis Iesu Christi Domini nostri, ac Sanctorum, & Sanctarum; nihilominus maior remissio pœnarum pro peccatis debitarum, illi fit, qui de longinquo ad ipsam Sanctam Ecclesiam Lauretanam accedit cum magna contritione, ac labore, quàm illi, qui ipsam propè manet cum minore contritione, ac labore; quandoquidem licet tales ambo sint pares propter Ecclesiam ad lucrandum indulgentiam; non tamen parens sunt in Domino per contritionem, & laborem dicente. [Qui plus diligit, plus dimittitur Lucæ cap. 7. Est autem hic adnotandum, quod cum supra dicitur, quòd Indulgentiæ valorem plùs lucratur, quis cum magna contritione, ac labore, quàm è contra intelligendum est de indulgentia concessa per quadraginta dies mandata, vel pro tertia, vel quarta parte peccatorum; non autem de Indulgentia plenaria; plenaria namquè indulgentia æqualiter cuilibet prodest (aliquo non obstante ex parte recipientis) ac proindè non minus remittit vni, quàm alteri, nec ratione laboris, nec contritionis: quòd qui-

quidem facere solet indulgentia limitata hæc namquè plus, minusuè remittit, aç relaxat, pro maioritate, vel minoritate contritionis, ac laboris cum remaneat pœna soluenda; at in plenaria, non remanet quid ampliùs soluere; & hinc dicere minimè possumus, quod plus vni, quàm alteri remittatur, quantumcunq; sit contritus, ac laborans; indulgentiæ namquè plenariæ non datur cumulus. Attamen in hoc tali casù magis contritus, ac laborans maiorem haberet in regno cœlorum gloriam, quam minus contritus, minusuè laborans; si quidem in Paradiso, gloria, meritis correspondet, ita vt quot merita, quis habet, tot gloriæ habebit præmim.

Quartò, quòd Indulgentiam recipiens, in gratia sit, & charitate, puta; contritus, confessus, atquè ab omni excommunicatione absolutus; quoniam licèt quis in gratia existat, & charitate, propter contritionem; tamen si aliqua excommunicatione est innodatus, Indulgentiæ valorem, minimè lucratur; Sancta enim Mater Ecclesia, non intendit excommunicato indulgentiam concedere, cum sit ab ea membrum absciſsum, sicut palmes à vite. Similiter est, si non fuerit confessus, cum indulgentiæ verè contritis, ac pœnitentibus concedantur.

Quintò, quòd recipiens Indulgentiam faciat, ac adimpleat illud, quod per bullam mandatur; quandoquidem indulgentiæ valor, nullo modo prodest ei, qui licet in gratia, & charitate existat, respicit facere, & seruare id, quod per summum Pontificem mandatur in bulla; indulgentia enim sub hac forma conceditur, vt nimirum, qui vult ea dignè consequi debeat facere, ac adimplere hoc, & hoc: vndè si aliquid ex supra quinquè notatis, defuerit in pœnitente, certè nullam pęnarum remiſsionem pro peccatis debitarum, consequetur ex virtute indulgentiæ, propter ipsius suscipientis impedimentum.

Potest nihilominus confessor tempore Iubilæi, ac indulgentiæ, si quid in Bulla continetur; quod nimirum ipse pœnitens facere, ac adimplere non potest, illud in aliud pium opus mutare; summus equidem Pontifex in Iubilæo, & indulgentia, tria iubet facere, ac obseruare: Primò, aliquam visitare Ecclesiam: secundò, ieiunare: tertiò, pauperibus, eleemosynam elargiri; At si pœnitens est infirmus, vel pauper, nullum prædictorum trium potest adimplere. Et sic debet ipse confessor in hoc casu facere commutationem;

nem;

nem; vt ſcilicet pro Eccleſiæ viſitatione, ac eleemoſynæ elagitione, ac etiam pro ieiunio aliud pium opus imponere pœnitenti ad ſatisfaciendum pro eis, nimirum, orationes, meditationes, ac ſimilia: quæ ab ipſo pœnitente fieri poſſunt; quia intentio ſummi Pontificis eſt, vt pœnitens omninò faciat id, quod facere poſſit, & quod non poteſt, illud ſatisfaciat per aliud opus arbitrio prudentis Confeſſoris impoſitum; aliter enim ſequeretur, quòd Sancta Mater Eccleſia, non curaret pro ſalute infirmorum, ac pauperum, quòd certè abſurdum foret, ac alienum ab ipſa cum ſit ſummè prouida circa filios ſuos. Immò hic eſt adnotandum, quòd etiam abſquè vlla Confeſſoris commutatione (de non poſſis in alia opera) pœnitens tempore Iubilæi, ac indulgentiæ, ipſorum valorem lucrari poteſt; quoniam in mandatis, ad impoſſibile nemò tenetur; nec eſt credibile ſummum Pontificem miſericordiæ patrem, eum velle obligare pœnitentem ad id, quod non poteſt, ac proindè ipſum priuare tanto beneficio. Sunt item alia nonnulla pro vberiore doctrina, breuiter adnotanda.

245 Primò, quod quando quis pœnitens eſt à ſuis peccatis abſolutus, atquè diſpenſatus in votis, Iubilæi, ac Indulgentiæ valore, cum animo, & voluntate ſeruandi, ac faciendi omnia, quæ in bulla continentur: ſi verò illa, poſtea non adimplet, nec facit, quamuis valorem Iubilæi, ac indulgentiæ tunc non lucretur (nam valorem iubilæi, ac indulgentiæ tunc conſequitur, cum ſcilicet ipſa bulla adimpletur) attamen benè eſt à ſuis peccatis abſolutus, atquè diſpenſatus in votis, & non tenetur aliud facere, & procurare, niſi id, quod à confeſſore impoſitum fuit, modò in confitendo verè animum, ac voluntatem habuerit omnia adimplendi, quæ in bulla mandantur; quòd ſi contrarium fuerit, nullius valoris eſt peccatorum abſolutio, & in votis diſpenſatio, virtute iubilæi, ac indulgentię: quoniam qui priuilegio abutitur, priuilegio priuari debetur.

Secundò, quòd ſi quis peccata reſeruata (iubilæo publicato) malitioſè committit; profectò poteſt ab his, per tale iubilæum legitimè abſolui, quamquàm alij oppoſitum docere videantur: dicentes. Quòd qui priuilegio abutitur, priuilegio priuari debet: hi tales Doctores in hac re ſingulares ſunt, & longè à comuni doctrina, quæ docet, quòd iſte talis poteſt abſolui dummodò aliter in Bulla non iubeatur; ſummus enim Pontifex, pœnitenti facultatem

ratem à suis absolui peccatis reseruatis, concedit vsq; ad vltimum diem, & instans iubilæi; immò peccare animo, & voluntate pœnitendi, ac confitendi, minuitur peccati grauitas; sicut augetur à contrario cum quis peccat animo non pœnitendi, ac confitendi, vt optimè docet Caetanus 2.2. q.21. art. 2.

Tertiò, quòd si summus Pontifex (iubilæo publicato) cum suspendat, ac reuocet, & quis hoc ignorat; si in tali ignorantia confessus, fuit absolutus à suis reseruatis peccatis, ac in votis dispensatus, non est aliud quippè pro eis procurandum; si quidem non creditur, quod summus Pontifex velit obligare ignorantes ignorantia inuincibili propter suam missi, ac publicati iubilæi suspensionem, ac reuocationem, & hoc etiam intellige, si ipse pœnitens fuerit fictè omninò confessus, atquè absolutus; quamquam apud aliquos videatur oppositum dicentes; quòd sicut ille, qui in iubilæi, indulgentiæquè tempora sua non vult confiteri reseruata peccata, non potest postea ab eis absolui, absquè superioris licentia, sic qui in iubilæo, ac indulgentia ipsa omninò fictè confessus est, ac absolutus à suis reseruatis peccatis, atquè in votis dispensatus; non est quidem hoc, secundùm veram communemquè doctrinam tenendum; sed vt supra diximus; modò in confessione ipsa ficta iubilæi, ac indulgentiæ tempore facta habuisset, ac tenuisset intentionem, ac voluntatem à suis reseruatis peccatis, ac votis absolutionem, & dispensationem accipere; quamquam enim pœnitens ipse propter suam malitiam, & temeritatem gratiam non acceperit, & charitatem, propter illam peccatorum absolutionem, ac votorum dispensationem accepit tamen ius, non ampliùs pro eis, ad suum se præsentandi superiorem, sed cuicunquè confessario ab ordinario approbato ipsa confiteri, &c. similiter est intelligendum de eo, qui in confessione facta tempore iubilæi, confessus est omnia sua peccata, vt quorum memoriam habuit, tamen immemor fuit alicuius peccati reseruati, transacta verò iubilæi hebdomada, peccatum illud oblitum in mentem venit, iam non tenetur pro illo, se suo præsentari superiori, vel alteri potenti de tali peccato absoluere; sed sufficit tantùm cuicunquè confiteri Confessori potenti solùm à peccatis absoluere mortalibus; per illam enim absolutionem tempore iubilæi obtentam ab omnibus necessarijs, peccata omnia quantumcunquè sint reseruata, simplicia fiunt mortalia,

quæ

quæ absolui possunt; quandocunquè memoriæ occurrunt, & à quolibet confessore, ab ordinario approbato.

Similiter dicendum est, quòd etiam simplex confessarius potest absoluere, ac dispensare pœnitentem ab omnibus suis necessarijs, hebdomada iubilæi transacta, puta cum quis die sabathi ad ipsum venit confessarium, vt confiteatur, & valorem lucretur iubilæi, & confessarius ipse aliquam ob causam ei differt absolutionem per aliquos dies, & post transactum Iubilæi tempus absoluit: quamuis aliqui oppositum docere videantur, dicentes, quòd non possit confessarius simplex, vltra iubilæi hebdomadam, absolutionem pœnitenti differre, quoniam hæc est summi Pontificis potestas; nihilominus hoc minimè est sequendum cum non sit secundum communem doctrinam; sed partem sequere tutiorem, quod nimirum talis absolutio ab omnibus necessarijs, (in casu, quem supra diximus) est valida. Iurisdictio enim semel habita, ac non integra, vtpotè causa cœpta, non expirat, quousquè causa finiatur.

Quartò, quòd inter indulgentiam, & iubilæum, hæc est differentia; quia nimirum indulgentia solùm valet ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ, absquè vlla authoritate à peccatis reseruatis absoluendi, atquè in votis dispensandi, & commutandi; iubilæum verò ne dum ad remissionem pœnæ, &c. verùm etiam confessario facultatem concedit ab omnibus peccatis reseruatis absoluendi, atquè in votis dispensandi, & commutandi, exceptis votis Religionis, Castitatis, & Hierosolimitani.

Quintò, quod est indulgentiæ nomen complura habet cognomina; videlicet, plenaria, plenior, & plenissima, seù Iubilæus; in his tribus cognominibus, nulla est differentia, quo ad remissionem pęnæ de commissis peccatis mortalibus; quandoquidem cumulus non datur Indulgentiæ; solùm hæc est differentia, quod plenaria indulgentia solùm remittit pœnam mortalibus peccatis debitam; plenior, verò pęnam mortalium, ac etiam venialium remittit; plenissima tandem indulgentia, ne dum omnia hæc facit, verùm etiam venialium peccatorum culpam extinguit; quamuis enim summus Pontifex, potestatem non habeat, culpam peccatorum mortalium remittendi, cum solus Deus hanc remittat contritionem, ac Sacramento mediante: tamen potestatem habet de venialibus, sicuti itidem potest mortalium pœnam remit-


remittere, ac culpam relaxare. Et hoc indicatur, cum in bulla dicitur. Erit pœnæ, & culpæ remiſſio, puta; remiſſio pœnæ, de mortalibus, & culpæ, de venialibus; quamuis enim propter plenariam Indulgentiam, ac pleniorem, pœna tollatur æterna, non tamen tollitur, & remittitur de venialibus peccatis culpa, niſi priùs illud fieret, propter quod ipſa culpa remittitur: ſi quidem venialia peccata culpam habent diſtinctam, ſicut mortalia, & non deletur ipſorum pœna, niſi priùs deleatur ipſorum culpa per illud quo deleri debetur, cui multa ſunt remedia ſpeciale verò eſt hæc pleniſſima indulgentia, ſeù iubilæum cum in ipſo iam dicatur ex conceſſione Summi Pontificis. [Erit pœnæ, ac culpæ remiſſio.

Sextò, quòd quando indulgentia mandatur ad tempus puta; quando in Bulla dicitur. [Si quis viſitauerit talem, aç talem Eccleſiam à primis veſperis, vſq; ad occaſum ſolis diei ſequentis, intelligitur hoc modo, quod nimirum ſemel valorem ipſius indulgentiæ poſſit lucrari, licèt millies tali fœſtiuitatis tempore eam viſitauerit Eccleſiam, modò aliter ipſa bulla declarauerit: quia ſi in bulla dicitur. [Quicunque talem, ac talem Eccleſiam viſitauerit, non diem, nec tempus determinando, intelligitur, quod totiès, quotiès eam Eccleſiam quis viſitauerit, toties pariter indulgentiæ valorem lucretur, qui in bulla continetur; quæ indulgentia, appellatur Perennis, ideſt, in omni tempore vigens.

Septimò, quòd Summus Pontifex, ne dùm poteſt indulgentiam pro viuis, verum etiam pro mortuis in Purgatorio exiſtentibus, mandare; licèt enim Epiſcopus per quadraginta dies, ac per annum poſſit indulgentiam mandare, non tamen ipſam animabus in Purgatorio exiſtentibus, mandare poteſt, ſi aliam non habet à Summo Pontifice licentiam, ac poteſtatem; quæ quidem plenaria indulgentia, quam Summus Pontifex, defunctis mittit, ac concedit exiſtentibus in Purgatorio, per modum ſuffragij, ſeù depræcationis conceſſa intelligitur, non autem per modum abſolutionis, & Iuſtitiæ, ſicut viuis; quoniam ipſi defuncti, non ſunt in hominis poteſtate, ideſt Summi Pontificis, ſed Dei. Verum tamen eſt, quod multi Doctores volunt, quod etiam ſit per modum abſolutionis, & per modum Iuſtitiæ, & ſic ſummus Pontifex poteſt defunctis in Purgatorio exiſtentibus indulgentiam mandare, & concedere ad lucrandum, ſicut viuis, allegantes il-

lud Matthæi cap. 16. [Quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis, idest (exponunt isti Doctores) quodcunq; tu super terram existens solueris, erit solutum, &c. quod quidem suam habet probabilitatem.

Octauò, & vltimò; quod quando in Bullis, Priuilegijs, Iubilæis, alijsque Apostolicis concessionibus dicitur, quod per prædicta, possit quisque confessor ab omnibus censuris, ac pœnis absoluere; nunquam sub tali generali concessione, dispensatio Irregularitatis intelligitur; nisi in Bulla id clarè exprimatur, immò si in tali Bulla, vel Iubilæo, facultas concedatur, dispensandi in omni Irregularitate, non intelligitur Homicidij voluntarij, ac Bigamiæ, Irregularitas; quoniam in generali concessione, ea non veniunt, quæ summus Pontifex, solet sibi specialiter reseruare, vltra sacros Doctores, hodiernis temporibus, viget consuetudo, in Sancta Matre Ecclesia Romana.



Explicit Pars Secunda.

PARS TERTIA,

QVAE BREVITER AGIT, QVID SIT Excommunicatio, Suspensus, Interdictum, ac Irregularitas, & quot sint excommunicationis casus tàm Romano Pontifici, quàm Locorum Ordinarijs in Iure Canonum reseruati.

De Excommunicatione.



Vot sunt Excommunicationis species? 1
Respondeo, quod sunt duæ; nimirum maior, & minor, & ambæ sunt Ecclesiastica censura.

Quæ differentia est inter maiorem, & minorem Excommunicationem? 2

Respondeo hanc esse differentiam; quòd excommunicatio maior, priuat à participatione actiua, & passiua Sacramentorum, atque à fidelium communione, quæ ab omni legitimo actu separat, ac diuidit. Minor verò excommunicatio priuat tantùm à participatione Sacramẽtorum passiua, atque à passiua electione, quòad beneficia, & dignitates. Vndè excommunicatus minori excommunicatione, licitè potest Missam audire, in Ecclesia officiare, tamen vllum Sacramentum, beneficium, ac dignitatem percipere potest, nisi priùs ab ipsa absoluatur excommunicatione minore: nam aliter semper mortaliter peccaret; minimè autem Irregularitatem incurrit, sicut pro maiori incurritur excommunicatione.

Quot modis in minorem incurritur excommunicationem? 3

Respondeo, quod multis, ac diuersis. Primò accipiendo Ecclesiam de manu Laici 16. q. 7. 2. pro sacrilegio 17. Similiter pro fornicatione, & præcipuè Clerici extra de Choab. Clemen. Vestra: tertiò, propter participationem cum excommunicatis publicis non autem in crimine criminoso, puta in peccato propter quod excommunicati fuerunt. Quoniam propter tales non solùm in minorem incurrunt excommunicationem isti tales, ve-

rùm etiam in maiorem, tanquàm principales excommunicati.

Pluribus item modis, solet incurri in excommunicationem, & vt quisq; vitare sciat, hoc metrum memoriæ mandet.

Os, orare, vale, comunio, mensa negatur.

Os, orare, vale; nempè quis haud loqui debet cum excommunicato, nec orare, nec salutare, tam per verba, quam per signa: licet aliqui de signis, oppositum teneant aientes, quod assurgere, vel caput discooperire, absq; vlla loquutione, in excommunicationem minorem non incurratur, quod quidem non est secundum veram, comunemq; doctrinam tenendum; quandoquidem hæc signa, polytica sunt, quę tanquam verba prohibentur. Item communio, mensa uegatur, non enim potest cum tali excommunicato comunicari, idest conuersari, nec cum ipso in mensam conuenire, præter casus à Iure concessos: ac proindè minimè quis debet nuncios, literas, munera mittere, & accipere, nec cum eo edere, bibere, ac dormire, vel etiam alia consimilia ad humanum conuictum pertinentia, cum excommunicato comunicare, siquidem aliter faciendo quis in minorem labitur excommunicationem, quæ professò ad veniale obligat peccatum, & pœnam (nisi ex contemptu Sanctæ Matris Ecclesiæ, vel contra superioris prohibitionem, fuerit) Diuus enim Thomas in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. iuquit: nimis durum esse, pro parua re ad culpam mortalem, pœnamq; æternam anima obligari.

An teneamur semper excommunicatum vitare, quem verè excommunicatum esse scimus?

Respondeo, quod non; nam per Martini V. constitutionem in Concilio Constantiensi habemus, quod nemò in minorem incurrit excommunicationem cum excommunicatis, quacunq; excommunicatione maiori, conuersando etiam in diuinis, nisi in duobus casibus. Primò, vt sint publicè, ac nominatim excommunicati; secundò, vt sint Clericorum notorij percussores, ita quod non possint aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo modo excusari.

4 An sint aliqui casus, in quibus alicui liceat cum excommunicato, aliquo istorum modorum, participare, licet denunciato, vel notorio?

Respondeo, quod sic, in multis, ac diuersis modis: sicuti multis, & diuersis modis incurritur; qui hoc metro continentur.

Vtile, lex, humiles, res ignorata, necesse.

Primò vtile; quando scilicet quis hoc facit, vt vtilitatem animæ ipsius excommunicati procuret, vel etiam animæ propriæ; vt cum quis petit ab excommunicato id, quod ipse dare tenetur; aliter excommunicatus, de sua excommunicatione, commodum, ac vtilitatem reportaret; vel etiam cum petit ipse excommunicatus consilium ab eo, pro remedio animæ suæ, cum scilicet non potest habere recursum aliquem alium.

Secundò, Lex; Matrimonij nimirum; quia vxor potest cum viro suo excommunicato, comunicare cum sit ei subiecta. Similiter vir erga vxorem; quanquam aliqui oppositum docere videantur dicentes: quod seclusa debito coniugalis redditione, non liceat cum ea participare, quia ipsam corrigere, ac emendare potest, cum sit ei subiecta; non est hoc, secundum veram doctrinam tenendum; quoniam vir, habet de rebus domus prouidere simul cum vxore; nam vxor in rebus domus, ac laboribus, est cum viro suo socia, & adiutorium, vt liquet ex illo Geneseos c. 2. Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.

Tertiò. Humilitas subiectionis, vel seruitutis; vnde filij, qui sunt in potestate patris, atq; ab eo victum recipiunt, ac necessaria excusantur, alias non. Similiter: serui, rustici omnesq; aliæ subiectæ personæ excusantur, si cum suis dominis excommunicatis participant, alioquin si tales non excusarentur personæ, innumera damna innocentibus sequerentur. At non excusantur superiores, si cum suis participant inferioribus excommunicatis, nisi in illis participent rebus, quæ prouidere tenentur; in illis maximè, si per illos, non stetit quin eos corrigent, ac pro eis quærant absolutionem.

Quartò excusantur. Ignorantes, non ignorantia Iuris crassa, sed ignorantia facti, cum scilicet eis non constat, illum excommunicatum esse, cum quo participant.

Quintò. Necessitas; nam quilibet, in necessitate constitutus, potest ab excommunicatis, eleemosynam quærere, ac accipere; & è contra etiam excommunicatis eleemosynam quilibet erogare potest si in magna fuerint necessitate constituti, nec etiam est expectanda vitima, seù extrema necessitas. Vndè si quis excommunicatus, hospitium petat, non tenetur hospitium ha-

bens,

bens, expectare, quod ab omnibus sit expulsus; sed cum petat egendo.

5 Quis potest ab hac excommunicatione minore absoluere?

Respondeo, quod quicunq; Sacerdos habens potestatem audiendi confessiones, potest ab hac absoluere.

6 Quomodo in maiorem excommunicationem incurritur?

Respondeo propter mortale peccatum proprium, & non alienum, at non pro omni peccato mortali, sed pro peccato contumaciæ, vel cui adnexa est contumacia: quæ quidem contumacia, quædam est voluntaria inobedientia, per quam quis Iudicis monitionem implere contendit, quæ grauissima est pœna, & nulla in Ecclesia Sancta Dei maior pœna quò ad animam, quàm ipsa excommunicatio maior: dicitur (quòad animam) quoniam quò ad corpus, degradatio præualet; per ipsam namquè in Mundo magna exoritur infamia, & interdum corporis mors, vt constat experientia, quod Sacerdotes ex horrendis delictis, degradantur, ac sæculari iudici donantur, vt de ipsis quid iuridicum sit, fiat.

7 Quomodo excommunicationis peccatum cognoscitur contumaciæ adnexum, vel pro contumacia?

Respondeo, quod peccatum excommunicationis contumaciæ adnexum est quando Prælatus, suo subdito per præsentem præcipit, nimirùm; volo, vt hoc, vel illud fiat sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, vel ipso facto, vel ipso Iure: quo tempore delinquens, statim euadit excommunicatus, & si aliquem ordinem quem habet exercet, irregularis fit: super quam, solus Papa dispensare potest. Peccatum verò pro contumacia est, quando Prælatus, non per præsentem suo subdito loquitur, sed futuri temporis verbis vtitur, vt cum ei dicit. Volo, vt hoc, vel illud fiat sub excommunicationis pœna, sinè alia additione: quo tempore delinquens, non statim in excommunicationem incurrit, vel censuram aliquam, si superioris præcepto non seruato, aliquem ordinem ministrauit sacrum; sed solùm mortaliter peccauit; attamen potest Prælatus subditum ipsum delinquentem, excommunicatum, ac Irregularem declarare si ordinem aliquem sacrum ministrauit.

Quæ differentia est, quando Prælatus, subdito mandat

8 Volo, vt hoc, vel illud facias sub præcepto sanctæ obedi-

entiæ,

entiæ, & sub sanctæ obedientiæ merito?

Respondeo, quod hæc est differentia, nimirum, quod mandatum sub merito sanctæ obedientiæ, non obligat, sed tantùm est ad benè esse, & qui hoc non seruat solùm caret meritò obedientiæ; at mandatum sub præcepto sanctæ obedientiæ, semper obligat, ac simpliciter subditus tenetur obedire tali mandato sub culpa mortali.

Quot modis, talis excommunicatio subdito mandatur? 9

Respondeo, quod duobus modis nimirum interdum à Iure, interdum verò ab homine.

Quæ sunt excommunicationes à Iure? 10

Respondeo, quod sunt illæ, quæ sunt registratæ in corpore iuris in Extrauagantibus Pontificum, & in quibuscunq; Concilijs, quæ profectò perpetuo obligant.

Quæ sunt excommunicationes mandatæ ab homine? 11

Respondeo, quòd sunt illæ, quæ iudices Ecclesiastici, erga suos subditos exercere solent; & obligant solùm iudice viuente; nam ipso defuncto, vel suo officio functus, spirant: verum est, quod si quis superior, qui aliquos excommunicauit, ante officij functionem moriatur; excommunicatus, deindè quærere debet absolutionem à subsequente superiore, nimirum iudice Ecclesiastico.

An excommunicatio ignorata, siuè à Canone, siuè ab homine lata, liget? 12

Respondeo, si ignorantia inuincibilis, sit facti, atque Iuris: videlicet si talis sit, quæ à mortali excusat peccato, & à Canone, non incurritur excommunicatio, & in hoc omnes Doctores conueniunt, nec certè negari potest; quoniam excommunicatio major, infligi non potest, nisi propter mortale peccatum. Similiter non incurritur excommunicatio, cum quis mortaliter quidem peccat, at excommunicatio, non est lata pro illo facto: puta Franciscus, v.g. scit certò, quod occidendo Petrum, peccat mortaliter, nihilominus ignorat Petrum ipsum esse clericum; equidem per talem Petri occisionem (quamquam sit clericus) non incurrit excommunicationem; & hoc patet, nam excommunicatio, non est lata contra percussorem hominis, sed Clerici, vt videre est in c. Si verò Extr. de Excommunicationis sententia. Similiter potest dici, non esse excommunicatus ille, qui facit, vel omit-

omittit aliquid, inuincibiliter credens, in aliquam incurrere excommunicationem, quæ tamen verè non est posita: puta: quis furatus est in Ecclesia, credens inuincibiliter, quod ob illud crimen furti, sit excommunicatio posita, quæ quidem posita non est, non est excommunicatus; nam homo, non potest supra se, talem inferre pœnam; quandoquidem si culpa pendet ex vniuscuiusq; voluntate, pœna verò excommunicationis, non nisi à iudice, vel à iure mandante.

13 Qui possunt excommunicari?

Respondeo, quod excommunicari tantùm possunt homines baptizati, mortale habentes peccatum, & in hoc sæculo existentes. Vndè excommunicari non possunt Dæmones, homines mortui, vel resuscitati impassibiles, nec Iudæi, nec Cathecumini, nec Vniuersitates, nec Collegia, nec summus Pontifex, nisi propter hæresim, de qua, & iudicari potest; nec aliquis, se ipso, vel à suis legibus, ac statutis, nec ab inferiori, vel æquali; nec excommunicari possunt irrationabilia, atq; insensibilia; possunt attamen maledici, & benedici.

An si quis mandans excommunicationem contra furantes eum, comprehendantur filij, & eius vxor?

Respondeo: si in excommunicatione fit expræssa mentio, dico, quòd sic. Et non est necessarium, quòd tam excommunicans, quàm petens excommunicationem vtriquè exprimant; sed sufficit ipsorum vnus, vt dicat, quòd tales nimirum siuè filij, siuè vxor etiam excommunicationis vinculo nodentur: at si tam excommunicans, quam petens excommunicationem non exprimunt, quòd filij, vel vxor excommunicentur: dico, quòd non compræhenduntur in excommunicatione supponitur enim, quod pater non intendat inferre in filios, & vxorem tam grauem pęnam, vt est excommunicatio vide Faustum de Excomm.

14 Quis potest excommunicare, & casus sibi reseruare?

Respondeo: Papa per totum mundum, si totus mundus Christianus, seù fidelis fuerit. Episcopus in sua diœcesi, qui non est necesse, vt sit consecratus, atque ordinatus, vt est cum chrismat, & ordinat; sed tantùm sufficit, vt sit electus ad Episcopalem dignitatem; quoniam dum quis à summo Pontifice ad Episcopalem dignitatem eligitur, ei omnia concessa intelliguntur per illam electionem, quæ in foro iudiciali Episcopali currunt, vt videre est

spe-

specialiter tex. in cap. Transmissâ de Elect. modo ipse à peccatis non absoluat, quę facultas solùm sacerdoti ritè ordinato permissa est.

Hoc Priuilegium non habet Parochus, nimirum excommunicandi, atquè sibi casus reseruandi, si longa non fuerit in Parochia consuetudo excommunicandi, ac casus reseruandi: habet tamen hoc priuilegium, Episcopi Vicarius, cum scilicet Episcopus est absens, & illi collata fuerit hæc facultas, vt eius vicem gerenti: aliter esset dicendum; si Episcopus concederet suo Vicario iurisditionem hanc, & potestatem, Episcopatu renunciatò; siquidem Episcopus, Episcopatum renuncians non amplius habet iurisditionem, quæ necessariò requiritur, vt sit coniuncta cum animarum regimine. Et similiter dicendum est de Episcopo carente populo, vel de Episcopo aliqua innodato censura, & non à S. M. Ecclesia toleratur. Dicitur, non Toleratur, quoniam quamuis Episcopus, in aliqua irretitus censura, non possit de iure concedere facultatem, vt supra: nihilominus quousquè à S. M. Ecclesia toleratur, est verus ipsius Prælatus, ac mandans. Immò excommunicare possunt, atquè casus reseruare, Religionum Prælati: puta Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, similesquè superiores.

Verum est, quòd multi Doctores dicunt, quòd Priores, Guardiani, Rectores, & similes, non possint excommunicare, sibiquè casus in suo Conuentu, seù Collegio, reseruare, si longa non fuerit in tali Conuentu, seù Collegio, reseruandi casus, ac peccata, consuetudo: sicut Parochus in sua Parochia, vt supra: quandoquidem hæc potestas, ac priuilegium excommunicandi, atquè casus, & peccata reseruandi, solum Prælatis competit; & ne intelligas Prælatos simplices, habentes subditos; sed subditos, subditos habentes; vt Papa, Episcopos; Episcopus, Parochos; Generales Religionis, Prouinciales; Prouinciales, Priores, vel Guardianos, & Rectores; Priores verò, Guardiani, & Rectores ipsi hac facultate vacant, sicut & Parochi, cum non habeant sub se subditos, subditos habentes.

Quomodò excommunicationis sententia fertur? 15

Respondeo, quòd fertur in scriptis tribus præcedentibus monitionibus, excommunicationis causam continentibus, tempora habentibus, conuenientia interualla, vel etiam vna monitione

Rr pro

pro tribus præcedente, vt quando excommunicationis dilatio est periculosa, & scandalosa, nam aliàs excommunicatio est iniusta, & iudex, per mensem, ab Ecclesiæ ingressu, suspenditur, & si contra exequitur, fit irregularis, & solus Papa potest dispensare.

16. Quot nomina excommunicatio maior habet?

Respondeo duo; maior, & Anathema; maior dicitur, quando excommunicationis sententia, sinè vlla sollemnitate profertur à iudice, cum scilicet dicit. Excommunico talem, ac talem, vel intendo talem, ac talem excommunicatum esse. Anathema verò est quando Episcopus, sollemniter indutus, duodecim circumdatus Sacerdotibus, alijsquè ceremonijs ad talem sollemnitatem requisitis, sententiam profert ipsius excommunicationis: qua sollemnitate, solus summus Pontifex, Episcopi, ac sacræ Inquisitionis Inquisitores, excommunicare possunt, non verò alij Superiores, & Prælati, licet magnam habeant super subditos suos, excommunicandi potestatem, nisi expressam à summo Pontifice licentiam, ac authoritatem habeant.

17. A quo, & quando hæc excommunicandi potestas, concessa fuit.

Respondeo concessa fuit à Christo dicente Petro, vice omnium gerenti. Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus. Matthæi cap. 18. Cuius maledictionis primus mandans fuit Apostolus 1. Corinthiorum c. 5. cum scilicet Corinthum absentem, tradidit sathanæ interitum carnis, vt saluus fieret spiritus eius in die Domini. Ex hoc enim, exemplum traxit Ecclesia, suisquè tradidit Prælatis; nam sicut à Rege gladius Principibus præbetur ad multorum correctionem, sic à summo Pontifice, Sanctæ Matris Ecclesiæ Prælatis, excommunicandi, ac anathematizandi facultas conceditur. Vndè si quis temporalem timet gladium mortem afferentem, quantò magis timere debet gladium spiritualem mortem præbentem animæ? Porrò, dicitur excommunicatio Anathema: ab Ana, quod significat sursum, & theca, quòd significat figuram ad formam literæ, quæ olim in damnatorum frontibus imprimebatur, quod æternam mortem, ac æternam maledictionem significat.

Quis

Quis potest ab hac excommunicatione, ac morte æternali ab- 18
soluere?

Respondeo, quod ij, qui sunt à Iure, aliquando solus summus Pontifex, aliquando, solus Episcopus. Si verò nulli prædictorum, nec alicui alteri sint reseruatæ, secundum sacros Doctores, quilibet Sacerdos habens potestatem audiendi confessiones, ab istis absoluere potest: aliæ verò excommunicationes, quæ sunt latæ ab homine, solus ille qui tollit, vel ipso ferente superior, absoluere potest.

Quot sunt excommunicationis effectus? 19

Respondeo, quod sunt multi: puta: priuatio actiuæ, atque passiuæ participationis Sacramentorum; Bonorum, quæ fiunt in Ecclesia militante, orationem, ac etiam exclusio à Regno cœlesti, (& hoc si excommunicatio est iusta, vel iniusta, ac malè extimatur) exclusio ab actu cuiuscunquè ordinis, & alioquin exercendo sit irregularis. Priuatio actiuæ, & passiua collationis dignitatum, etiam laicorum, necnon beneficiorum. Priuatio exequutionis quorumcunque officiorum. Vti non potest, excommunicatus ipse, iurisdictione, quam habet. Priuatur spirituali potestate. Suspenditur ab omni actu legali, vt sunt. Aduocare, Procurare, Iudicare, Instrumenta facere, & similia. Postremò Ecclesiastica caret sepultura, ac si quis talis, per annum perseueraret non curando de absolutione ab excommunicatione, posset contra eum procedi, tanquam contra suspensum de hæresi. 20

Quæ est forma sollemniter absoluendi ab excommunicatione maiori in atrocibus criminibus?

Respondeo, quòd primo debet excommunicatus præstare iuramentum, parendi Ecclesiæ, & sibi ab ea imponendis; Secundò, debet habere nudatos humeros (nisi sit mulier nam ratione honestatis aliter esset procedendum) & absoluens, illos percutiendo virga, vnum dicat è septem Psalmis Pœnitentialibus, cum gloria Patri, &c. deindè dicat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. & quatuor versiculos; nempè: ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis, non apponat nocere ei. ℣. Estò ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat: cum oratione. Deus, cui proprium est misereri: mutando

 do

do [delictorum] in [excommunicationis,] & iniuncta priùs debita satisfactione ipsum absoluat, dicens. Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam propter talem causam incurristi, & restituo te communioni fidelius fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Et postea mandet ei, quod mandaturus erit.

De Suspensione.

21 QVid est Suspensio?

Respondeo. Est Ecclesiastica Censura, qua suspenditur aliquod officium, vel exercitium competens personæ Ecclesiasticæ aliquando à Iure, aliquando à Iudice promulgata, quæ in scriptis mandatur, tanquam excommunicatio; nam quælibet Censura in scriptis mandari debet, & cum causa in eis expressa, ac cum debitis monitionibus; quia quamlibet censuram debet præcedere monitio, aliter namq; esset nulla, si canonica monitione non ferretur.

22 Quot generibus adnotantur istæ censuræ?

Respondeo tribus; & Primum genus est, cum quis, quò ad se tantum, pro aliquo crimine ab officio prohibetur. Dicitur, pro aliquo crimine, quia nunquam Sancta Mater Ecclesia talem mittit censuram, vel interdictum absq; mortali peccato. Similiter leges imperiales cum scilicet propter membri mutilationem iubent reum puniri, ad triremem, demissum, vel perpetuis carceribus detentum, vel aliqua alia simili pœna atroci similibus delinquentibus infligenda: nam tales Ecclesiasticæ Censuræ, ac leges imperiales, semper pro mortali peccato mandantur, ac exequuntur, & nunquam pro veniali; veniale si quidem peccatum tanta ardua pœna puniri non meretur: & si quis Ecclesiasticus, vel sæcularis iudex pro veniali peccato, talem arduam pœnam imponeret, equidem magnam Deo, proximo, ac Ecclesiæ iniuriam faceret secundum Sacros Canones, ac Doctores.

Secundum genus est, cum quis quò ad alios, & non quò ad se suspensus est, puta quando alicui non interdicitur celebratio Missæ, nec suspenditur, sed tantum auditio prohibetur.

Tertium genus est, quando quis quò ad se, & quò ad alios est suspensus, nimirùm, quando quis à Iure, vel ab homine, ab officijs

cijs suis suspenditur; quæ suspensio maior suspensio appellatur; quæ propriè tripliciter esse dicitur; quædam enim est suspensio officij, beneficijq; simul, altera officij tantum, vel partis eius. Tertia, beneficij, vel rei ad illud pertinentis.

In quibus conueniunt, & in quibus disconueniunt Ecclesiasticæ censuræ, puta. Excommunicatio, suspensio, & interdictum? 23

Respondeo præsertim ex Nauar. in tract. de Interdicto c. 27. n. 164. quòd in nouem conueniunt, & in septem differunt. Primò conueniunt, quia quælibet earum est Ecclesiastica censura. Secundò, quòd quælibet in scriptis mandari debet, & cum causa expressa in eis. Tertiò, quòd nulla earum suspendit appellatio subsequuta, & quamlibet annullat præcedens. Quartò, quòd quamlibet debet præcedere monitio, cum feratur ob contumaciam, & non cum in pœnam. Quintò, quòd quælibet earum est nulla, cum fertur sinè canonica monitione à mandatore contra participantes cum excõmunicatis à se. Sextò, quòd quælibet earũ impedit à diuinis, excepta illa suspensione, quæ non fit ab eis. Septimò, quòd in absolutione vtrarumquè iuratur. Octauò, quòd nulla earum, contra receptos in filios, specialiter Papæ, ab ordinario fieri potest. Nonò, & vltimò, quòd quælibet à superiore seruanda est, imò & à ferente, quousq; eam tollat.

In septem verò differunt. Primò, quod excommunicatio directè priuat cõmunione, quatenus est communicatio humana. Suspensio, priuat directè vsu facultatis Ecclesiasticæ. Interdictum verò priuat directè Sacramentis, ac diuinis officijs: habetur, directè, quia indirectè, ac per consequentiam, priuat etiam consequentibus, directè prohibitis. Secundò, quòd excommunicatio, non potest suspendi, aliæ verò sic. Tertiò, quòd Episcopus, similisquè superior, non incurrit in suspensionem, nequè interdictum latum à Iure, sed tantùm Clerici, vsq; ad Sacerdotem inclusiuè, nisi de Episcopo, &c. fiat expressa mentio. Quartò, quòd Vniuersitas, non potest excommunicari, suspendi verò, ac interdici, sic. Quintò, quòd excommunicati, nunquam ad diuina officia admittuntur, alij verò sic. Sextò, quòd excommunicatio, ac suspensio non feruntur, nisi ob culpam propriam: & maior, ob peccatum mortale: minor verò, ac suspensio etiam ob veniale. Interdictum tamen etiam ob alienam culpam. Septimò, & vltimò, quod excommunicationis absolutio, semper aliqua requirit

ver-

verba, suspensionis verò, atquè interdicti, minimè: quando feruntur quousquè certum quid fiat, quod sufficit, vt illud fiat.

24 Quae differentia est inter irregularitatem, ac suspensionem?

Respondeo hanc esse. Primò, quia suspensio, est vna ex tribus Ecclesiasticis Censuris, Irregularitas verò minimè; sed solum est Canonicum impedimentum. Secundò, quod non certè ad inuicem conceduntur: nam omnis suspensus, non dicitur irregularis, at omnis irregularis dicitur etiam suspensus. Tertiò, quod suspensio tantum pertinet ad Clericos vniuersaliter loquendo, irregularitas verò etiam ad Laicos se extendit.

Differunt item alio modo inter se: nempè, quod suspensio, vtriusquè respicit sexum. Irregularitas verò masculinum solum, si quidem mulieres, suspendi possunt, irregulares autem fieri minimè: cum sint ordinibus omninò incapaces.

25 Qui sunt ipso Iure, ipsoquè facto suspensi?

Respondeo Symoniaci in ordine, vel beneficio, notorij fornicatores, Episcopi Clericos ordinantes alienos, absquè suorum superiorum licentia, scienter, seù affectata ignorantia. Conferentes clericalem tonsuram infantibus, vel illiteratis, vel coniugatis Episcopi, ac superiores eis, idest Archiepiscopi, & Patriarchae domum aliquam locantis vsurarijs alienigenis, vel homini permittentes in terris suis habitare ad foenus exercendum, proferentes excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam, sinè debitis circumstantijs, idest non praemissa admonitione, non adhibitis testibus, atquè in scriptis. Episcopus, electionem confirmans, consecrans electum, non cognito, vtrum per aliquam prauitatem, sit ab appellatione recessum, quae erat ad Pontificem interposita.

Quicunquè de Collegio, vacantibus Ecclesijs collegiatis quibuscunq., occupant aliquid de bonis illarum.

Episcopi, ac superiores, & etiam eis inferiores, qui visitantes, munera accipiunt, aut visitationis officio, non impenso, procurationes in pecunia, vel victualibus sumunt.

Vltramontani ordinati ab Episcopis Italiae, sinè sui proprij Episcopi licentia, vel in cuius dioecesi sunt beneficiati.

Qui ordinantur à non suo Episcopo; sinè licentia proprij ipsius, nisi subsperati habitionis, &c.

Qui

Qui aliquem recipiunt ex ordinibus sacris ab Episcopo renunciante loco, ac dignitati.

Recipientes aliquem ordinem sacrum, extra statuta tempora Ordinationum.

Promoti per saltum ad ordines; nimirum, qui eadem die, recipiunt minores ordines cum Subdiaconatu, vel duos ordines sacros.

Ordinati ab hæretico, vel schismatico, vel excommunicato deposito.

Contrahentes Matrimonium per verba de præsenti, & ante carnalis copulam recedentes; se facientes ordinibus sacris ordinari; per hoc enim non dissoluitur matrimonium.

Apostatæ Religionum, in Apostasia, suscipientes ordines.

Celebrantes, seu participantes in diuinis scienter cum excommunicatis publicè, atque Interdictis.

Clerici, scienter elegantes indignum ad Episcopatum.

Eligentes (si infra dies otto) ipsam electionem, electis præsentare distulerit.

Ecclesiastici iudices, qui contra Iustitiam, & grauamen alterius partis, in iudicio, quidquam faciunt per gratiam, vel per sortes.

Religiosi concedentes alicui ad vitam, vel ad certum tempus lucra, redditus, possessiones administrationum, quibus præsunt.

Fratres Prædicatores ad Episcopatum assumpti, aliasuè Prælaturas extra Religionem, si priùs munus recipiunt consecrationis, quàm assignent ordini libros, & alia, quæ habent.

Fratres Prædicatores, officium perturbantes Inquisitionis per fratres exercitatum minores. Similiterq; minores, si perturbant in hoc Prædicatores.

Fratres Prædicatores, ac minores, aliquem recipientes ad professionem ante annum probationis elapsum.

Religiosi, qui decimas non percipiunt, si scienter omittant facere conscientiam confitentibus de decimis soluendis, si requisiti fuerint.

Conseruatores, si de alijs, quàm de manifestis iniurijs, ac violentijs se intromiserint.

Religiosi grauantes, vel fraudantes Ecclesias circa decimas illis

illis debitas, si requisitis non desistunt, vel de vsurpatis emendam non fecerint.

Doctores, vel magistri doctorantes aliquem, nisi priùs exigant iuramentum à doctorando, quòd non expendat pro suo doctoratu, vltra summam trium millium turonensium argenteorum.

Qui alienis debitis, Ecclesiam suam grauant, vel literas, seù sigilla concedunt, quibus possunt Ecclesiæ obligari.

Prælati non Episcopi, qui Ecclesias sibi commissas, seù ipsarum bona subijciunt, aut laicis supponunt, absq; capituli consensu, sedisq; apostolicæ consensu, ac licentia.

Qui leges, aut Physicam prohibiti sunt audire, atq; eas audiunt. Hi omnes supradicti, secundùm sacros Canones, ac Doctores, sunt ipso Iure, ipsoq; facto suspensi.

Si quis confessor, aliquem inuenerit pœnitentem hac esse censura ligatum, poterit ne ipsum absoluere?

Respondeo, quòd non; quoniam in authoritate à peccatis absoluendi, non venit authoritas absoluendi à Censuris; Censuræ namquè dispensantur, & non absoluuntur: quæ quidem authoritas dispensandi à Censuris, solùm summo Pontifici, Episcopo, eiusquè Vicario permissa est, vt ait Tridentinum sess. 24. cap. 6.

26 Ille, qui potest dispensare, per eamdem authoritatem, potest ne rehabilitare: An alia in ipso requiritur authoritas?

Respondeo, quòd aliqui Doctores aiunt necessariam esse aliam authoritatem. Dispensatio enim est Iuris comunis relaxatio. Rehabilitatio verò est Iuris admissi restitutio, & sunt inter se actus differentes, & sic non intelligitur, qui potestatem habet dispensandi, per eamdem habere etiam potestatem rehabilitandi, sed alia in eo authoritas requiritur, scilicet ad dispensandum; verùm hæc doctrina non est meo iudicio tenenda, cum sit comunis: sed certè illa amplectenda, quæ contrarium docet, nimirum quòd obtenta vna authoritate, alia pariter obtenta intelligatur; modò in authoritate dispensandi, expresè rehabilitandi non fuisset prohibita authoritas. Hic autem in calce præter prædicta de suspensione, alia viginti breuiter adnotare licet.

Primò, quòd quando quis est suspensus ab vna functione, non intelligitur suspensus ab altera; ideò Episcopus suspensus à

Pon-

Pontificialibus, non est suspensus à Iurisdictionalibus. Item cum quis suspenditur ab officio, non est suspensus à beneficio. Vndè beneficij authoritate, beneficia conferendo, vel sibi collocata accipiendo, non erit irregularis. E contra suspensus à beneficio, non est suspensus ab officio: ideò liberè poterit spiritualia administrare, sinè vlla irregularitate; quoniam talis suspensio, ad sola emolumenta beneficij extenditur, quæ merè temporalia sunt.

Secundò, quòd si quis suspensus est ab aliquo actu diuina respiciente officia, non tantum illum expressum prohibitum exercere non potest, sed nec vllum, qui sinè illo exerceri non potest. Videlicet, suspensus à Sacerdotali ministerio, Pontificali fungi non potest; quia sinè sacerdotali non exercetur. Si verò suspensus sit ab actu Pontificali, sinè pontificalibus, celebrare poterit. Suspensus ab actu sacerdotali, cantare potest Euangelium. Suspensus à Diaconatu, cantare potest epistolam: quoniam maiora suspensa, minora non comprehendunt: licèt minora suspensa, maiora comprahendant. Itaque cum quis est suspensus ab omnibus, intelligitur ab omnibus ordinibus, & suspensus ministrando, fit irregularis.

Tertiò, quòd quando quis suspensus est à collatione Sacramẽtorum, non efficitur irregularis, Sacramenta conferendo, quæ Laici conferre possunt, vt in necessitate baptizare, modò id faciat sinè apparatu, ac sui ordinis exercitio, sed tanquam Laicus. Idem est dicendum, irregularitatem non incurrere illum, qui maioribus insignitus ordinibus, si in Missa offerat vrceolum, deferat Cereos, claudit ostium Ecclesiæ, & legit prophetias, aut aliud exercitium facit in Ecclesia, vt laicus, & non vt ipsorum minister.

Item, qui suspensus est à diuinis, intrat in Chorum, & cantat, vel legit gradatim cum alijs modò in choro principale non faciat officium, quia si hoc facit, irregularis efficitur, vt est quando dicit capitulum, orationem, lectionem, &c.

Quartò, quòd quando quis suspensus est à lectura aliqua, vel prædicatione nominatim, contrafaciendo, irregularis non fit; quia talia mera non sunt officia ab ordinibus distincta; quod etiam de sindicatura intelligitur, & quauis alia publica functione, vel priuata, scilicet in facultate legitimandi, doctorandi, &

similia, modo ab aliquo ordine non dependant, aliter namq; fit irregularis: vndè sciendum est, quòd suspensio, solùm est in spiritualibus officijs temporalibus, quæ laici exercent.

Quintò, quòd quando quis suspensus est tantùm à Sacramentorum susceptione, si tali contrafaciat suspensioni; puta Sacramenta accipiendo, non proindè fit irregularis, sed tantùm grauiter peccaret: vt cum in mortali peccato constitutus ipsa sumit Sacramenta; omnis enim in mortali peccato constitutus, suspensus est, quò ad Deum, circa sua Sacramenta accipienda; quandoquidem sancta, sanctè accipi, ac tractari debent.

Sextò, quòd quando apud aliquos Doctores legitur, quòd suspensio irregularitatem inducens, iudicialis esse debet; alioquin si extra esset iudicialem lata, in præceptum simplex resoluitur de non ministrando: hoc non est secundum veram doctrinam tenendum; nam in qualibet ipsarum, fit irregularis contraueniens; nam tam vna, quàm altera paris infirmitatis, & efficaciæ sunt.

Septimò, quòd quando quis suspensus est ab administratione tam temporalium, quàm spiritualium alicuius Ecclesiæ, licet irregularis fiat, spiritualia administrando; tamen missas celebrando priuatas, irregularis non fit, quia non est suspensus ab ordine, per quem irregularitas oritur, sed in alijs.

Octauò, quod quando quis est ab ingressu Ecclesiæ suspensus; potest tàmen extra Ecclesiam communicare, celebrare, absoluere, sinè irregularitatis incursione; quia suspensio, secundum Sacros Doctores, cum sit pœna, non vltra limites suos extendi debet.

Nonò, quòd quotiescunque quis à Iure, vel ab homine suspensus est ab aliquo spirituali actu alicuius sui ordinis sacri simpliciter, vel consequenter abstineri tenetur, quousque suspensio lata, remissa fuerit; alioquin actum exercens, grauiter peccaret, atquè irregularis fieret, & solùm posset absolui à Romano Pontifice.

Decimò, quòd quicunque probabiliter ignorat se esse suspensum contraueniens; irregularis non fit. Vndè si quis Sacerdos, probabili ignorantia suspensionis, celebrat, vel spirituale aliud suspensum exercet, in nullam incurrit irregularitatem. Similiter non incurrit, quando in suspensione non certa, contrauenerit,

sed

sed ambigua, vel alternatiua, vt cum superior subdito dicit. Suspendo te ab officio, vel à beneficio; in quo casu, si subditus ipse vtriq; contrauenerit, non fit irregularis, secus esset si dixisset copulatiuè ab officio, & à benenecficio.

Vndecimò, quòd aliquando suspensus, fit etiam irregularis etiam si suspensioni non contraueniat, & hoc est, quando vltra annum patitur se in tali suspensione permanere, quod verum est, quando quis est simpliciter suspensus, sinè termino præfixo, aliàs non.

Duodecimò, quòd sicut euitare tenentur excommunicatum in omnibus, ita etiam suspensum, in eo, à quo est suspensus, & non euitando quis in diuinis officijs, atquè in omnibus actibus suis ordinibus deputatis, mortaliter peccaret, si denunciatus est, aliàs non.

Decimotertiò, quod illa suspensio, quæ pro crimine mandatur, tantum irregularitatem inducit; non autem illa, quæ ob solos corporales defectus infligitur: vt propter homicidium, Bigamiam, illegitimationem, aliosq; similes: tales enim per se ipsos, sunt irregulares prædictos defectus habentes, & ob id, ipso iure, ipsoque facto suspensi, propter exequutionem ordinum, non aliam incurrunt.

Decimoquartò, quòd quamuis publicus sodomita, sit deponendus secundum sacros Canones, non tamen est ipso facto suspensus; nec si celebrat, irregularis erit. Aliquando sodomita, vltimò puniebatur supplicio, vt non luxuriaretur contra naturam, & bona sua fisco applicabantur: hoc enim sodomiæ peccatum, grauissimum est: vndè Syluester in verbo luxuria inquit, quod propter hoc peccatum, Deus, in terrarum orbem pestem mandat.

Decimoquintò, quòd quando quis ordinatur cum sui Episcopi facultate, ad titulum sui patrocinij donati impetrata, & ante ordinationem renunciat, non tenetur ordinari, absque facultate, quia talis renunciatio facta, antequam ordinaretur, non est valida.

Decimosextò, quòd non solùm suspensus est, qui cum symonia, ordinem, vel beneficium confert, verùm etiam, qui mediator est symoniæ, si est publica.

Decimoseptimò, quòd quando tantùm est symonia commissa

ex ordinatoris parte, ordinato nihil de hoc ſciente: puta cum pater eius, vel mater, vel frater, vel tutor, vel amicus, aliquid ordinatori præbuit; tunc talis ordinati ſuſpenſio à quolibet Epiſcopo, ipſiuſquè Vicario relaxari poteſt; vno excepto ordinatore, propter eius famæ turpitudinem; ſi verò ſit tantum ex ordinati parte ſymonia commiſſa, ordinatore ipſo ignorante; quia ſcilicet talis ordinatus aliquid ſuo Vicario præbuit, vel examinatoribus; ordinatus ipſe tantùm ſuſpenſus eſt, & à ſummo Pontifice diſpenſandus in gradu ſic ſuſcepto, vel alijs ſuſcipiendis; in alijs autem ordinibus, priùs rectè ſuſceptis, Epiſcopus diſpenſare poteſt, ac etiam eius Vicarius, modò propter talem ſuſpenſionem incurſam, in nullo ſupradictorum miniſtrauerit; quoniam qui ſic ſuſpenſus, aliquem miniſtrat ordinem, irregularis efficitur à Summo Pontifice ſolùm diſpenſandus. Poſſunt tamen Epiſcopus, eiuſq; Vicarius diſpenſare, ſi ſymonia fuerit quò ad alios, ſequuta, & occulta.

Decimo octauò, quòd quando quis in ſuſpenſione reprobatiua contrauenit, non fit irregularis; non autem in ſuſpenſione approbatiua, quæ reprobatiua ſuſpenſio eſt, cum quis prohibetur exercere ſuum ordinem; Approbatiua verò eſt illa, quæ ad tempus, differt ordinum ſuſceptionem, vel beneficij conſequutionem; ideoq; ſi ante tempus elapſum celebret, vel beneficium impetret, in tali approbatiua ſuſpenſione, nullam contrahit irregularitatem, vel ſaltem non talem, qualem in reprobatiua; nam in iſta poſſet Epiſcopus diſpenſare.

Decimononò, quòd non ſolùm ſuſpenſio impedit, ne ea exerceri poſſint, quæ ordinis ſunt, vel ordini adnexa; verùm etiam incapacem reddit eum, qui ſuſpenſus ſit; beneficia; conferri non poſſunt ſuſpenſo.

Vigeſimò, & vltimò, quòd huius cenſuræ forma abſolutionis, hæc eſt. Abſoluo te à vinculo ſuſpenſionis, quam incurriſti, propter hanc, vel illam cauſam.

De Interdicto.

27 QVid eſt Interdictum?

Reſpondeo, quod Interdictum eſt Eccleſiaſtica cenſura, aliquando à Iure, & aliquando ab homine prolata,

quæ

quæ tantum à certis Sacramentis non necessarijs, ac ab omnibus diuinis officijs, & ab Ecclesiastica sepultura diuidit, ac prohibet, quod interdictum à verbo, interdico, interdicis, nomen desumit, quod est, quasi prohibeo, idest, interim prohibeo, nè officia dicantur, vel defuncti sepeliantur.

Quot sunt interdicti species? 28

Respondeo, tres: nimirum, locale solum: personale solum: locale, ac personale simul; locale solùm est, quando tantum interdicitur locus, quod dupliciter mandari potest: videlicet, mandato generali, quo interdicitur locus generalis, vt Regnum, Prouincia, Diœcesis, Ciuitas, ac Parochia; vel particulari; cum aliquis locus particularis interdicitur, vt de multis Ecclesijs, duæ, vel vna interdicitur. Personale solùm interdictum illud est, quo tantùm personæ interdicuntur, quod etiam dupliciter mandari potest: nimirum, vt generale, vel vt particulare; Particulare est, cum singulis personis, vni, vel multis, certis, vel incertis interdicit; vt cum datur contra hoc, vel illud scienter. Generale verò est, cum alicui hominum communitati interdicitur, vt populo, Ciuitati, Collegio, &c. Locale, ac personale simul est illud interdictum, quo locus, ac personæ simul interdicti declarantur.

Qui sunt ipso Iure, ipsoq; facto interdicti? 29

Respondeo Collegium Cardinalium, vel Ciuitas, quæ Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, pro rebus proprijs, quidagia, vel Gabellas soluere cogit. Vniuersitas item, quæ domus locauerit, vel conductos haberi promiserit alienigenis vsurarijs, in terra sua, ad fœnus exercendum; & quæ represalias, contra Ecclesiasticas personas concedit. Et qui non seruauerit ea, quæ per decretalem tenetur seruare, vbi periculum. De Elect. lib. 6. quoniam in ea, electio Romani Pontificis, est celebranda. Et qui consentit occidentibus, vel percutientibus, ante Matris Ecclesiæ Cardinales, vel si infra mensem, non punit delinquentes, si potest; & qui Episcopum, temerè percusserit, vel ceperit, vel bannierit, vel his, fauorem dederit, vel non defenderit. Hi omnes, sunt ipso Iure, ipsoquè facto interdicti, vt sacri volunt Canones, & Doctores.

Quæ prohibentur interdicti tempore? 30

Respondeo primò, prohibentur omnia Sacramenta non necessaria ad salutem, atquè omnia Sacramentalia: Secundò, non

ad-

admittuntur laici non priuilegiati ad collationem, quæ fieri solet in medio Missæ. Pax, non est illis danda, nec talibus est aperienda fenestra, vel foramen aliquod, per quod videre possint Corpus Christi; neque Sacerdos potest benedicere aquam, vel illa populum aspergere, ante Missam cum illa Antiphona. Asperges me Domine, &c. Neq; in die Purificationis benedicere candelas, vel in die Palmarum, Oliuarum ramos. Neque Episcopus potest publicè benedicere sollemniter cum baculo, ac dicere Adiutorium nostrum, &c. imò neque benedicere potest Abbatem, neq; Abbatissam, neq; Virgines, neq; monialium vela, neq; altaria, neq; corporalia, aliaue ornamenta ordinata ad Missæ celebrationem. Potest nihilominus Episcopus ipse in secretò facere; Campanæ, vllo modo pulsari possunt ad dicendum diuinum officium, apertis ianuis, sed clausis, expulsis excommunicatis, & interdictis, inchoari poterit cum omnibus suis præambulis; vt solet, submissa tamen voce; taliter vt foris minimè audiatur, scilicet, extra Ecclesiam; vel saltem proferatur ea intentione, vt non audiantur ipsi cantatores officij debita, ac modesta cantione; hoc enim excusaret ipsos licet ab aliquibus curiosis audirentur, contra ipsorum voluntatem.

31 Quot sunt bona, quæ tempore interdicti generalis, conceduntur?

Respondeo omnia illa, quæ sunt Iuris diuini expresè ad vitam æternam necessaria, videlicet: Baptismus, & hic, tam paruulis, quam Adultis. Secundò, confirmatio, licet non sit præcisè necessitatis, sicuti est ipse Baptismus, quamquàm ab omnibus concedatur, confirmandis ipsis. Tertiò, Matrimonium per verba de præsenti; licèt enim Matrimonium, non sit de præcepto respectu hominis particularis, tamen ministrari potest; quod quidem intelligitur de Sacramento, non autem de Sacramentali, quod est ipsa nuptiarum benedictio; Matrimonium namq; est contractus naturæ, cui deindè Christus gratiam adiecit ratione Sacramenti. Quartò, potest dari Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum infirmis, articulo mortis imminente, & hoc est de præcepto diuino; ac proindè sollemniter potest deferri cum campanula, & ceteris ceremonijs, quæ solita sunt fieri, cum tantum Sacramentum ad infirmos defertur. Item potest ipse Sacerdos ad Ecclesiam regressus, populo ipsum Sacramentum osten-

ostendere, vbi mos ostendendi; non enim prohibitum est, videre Christi Corpus, propter interdictum, nisi in Missa. Quintò, quòd Episcopus potest ordinis Sacramentum ministrare; tunc scilicet, cum occasione pestis, belli, famæ, vel alterius calamitatis, Parochi multi, complurésque Sacerdotes moriuntur: licet enim Sacramentum Ordinis tempore interdicti (absolutè loquendo) non possit ministrari, tamen hoc non habet locum tempore necessitatis prædictæ; cum aliter multi in æternam caderent perditionem, nisi remedium animæ haberent, & alioqui necessitas non habet legem. Sextò, possunt campanæ pulsari ad dicendum Aue Maria, ad ostendendas Sacras Reliquias, ad notificandas horas, vt horologium; Item ad significandum Prædicationem; ac ad omne aliud, quod diuinum non sit officium, nimirum, ad conuocandum alicuius Congregationis fratres, vel ad orandum pro animabus in Purgatorio existentibus, vel ad accipiendos malefactores; vel in Religionibus, ad vocandos fratres ad capitulum, vel refectorium, vel ad publicandum alicuius mortem, equidem potest campana sonari, vt fideles orent pro eo.

Episcopalis item benedictio per viam, benedictio mensæ, lectio, aut declaratio Psalmorum, Euangeliorum, aliorumq; similium, quæ in Ecclesijs fieri solet.

Prædicatio, Orationes, omnésque aliæ priuatæ orationes, ac deuotiones, etiam in Ecclesia illa, cuius causa, fuit positum interdictum.

Aspersio, sumptio aquæ benedictæ in Ecclesiæ ingressu.

Cantus Laicorum, qui etiam in suis Oratorijs, & Confraternitatibus, Litaniam, Psalmos, aliasque Dei Laudes, ac Sanctorum fundere, & cantare possunt.

Excommunicare, suspendere, atq; interdictum facere possunt ij, ad quos spectat.

Præterea, potest dari absolutio excommunicationis, stola relicta, ac sacerdotali sollemnitate.

Potest etiam Sacerdos generali Confessione, puta: Confiteor Deo; Misereatur tui, atquè Indulgentiam, prò vt dicuntur in Missa, in Ecclesiam, puerperam, idest, mulierem inducere post partum venientem ad reddendas Deo gratias, sinè stola, alioquè Sacerdotali ornatu consueto.

Ità laici possunt coram Sacerdote, confessionem facere generalem, nimirùm. Confiteor, &c.

Commendatio animarum, dici potest à quocunque.

Adoratio Crucis Veneris Sancti, litaniæ cum cantu, vel sinè cantu, absq; sollemnitate consueta Crucis leuatæ superciliorum, ordinisq; procedendi, minus licet Clericis, quàm Laicis.

Septimò, potest etiam in Ecclesia specialiter interdicta, vnaquaq; hebdomada Missa dici ad renouandum Sacramentum, possunt item dici plures, si fortasè fuerit necessarium. Hęc omnia prædicta tempore interdicti generalis permittuntur, quę profectò apud Sacros Doctores inueniri poterunt à curioso lectore, præcipuè apud Candelabrum Aureum in Tractatu de Interdicto. Sunt tamen alia quinq; notanda.

Primum; quod per C. Alma Mater de Excommunicationis sententia lib. 6. quatuor Anni fęstiuitatibus, suspenditur interdictum; puta. Natalis Domini, Paschæ, Pentecostæ, Assumptionisq; B. Mariæ Virginis; in quibus fęstiuitatibus, possunt campanæ pulsari, ianuisquè apertis, alta voce diuina officia, sollemniter celebrari, excommunicatis prorsus expulsis, interdictis tamen admissis, longè quidem ab altari, stantibus.

Verum tamen est, quòd multi Doctores dubitant. An scilicet tale priuilegium superius dictum, extendatur ad omnes illos dies sequentes ad supradicta fęsta, nimirum Paschæ, Natalis Domini, &c. An ad primum diem prædictorum fęstorum?

Illa verò opinio, quæ dicit tale priuilegium extendi ad omnes dies fęstorum prædictorum, est magis communis, ac securior: gratiæ namquè amplianda sunt, pęnæ verò restringendæ. Etsi Sancta Mater Ecclesia in dicto capite, Alma Mater, tantum in vnoquoq; die primo intendisset, explicasset vtiquè.

Secundum; quod etiam suspenditur interdictum generale per Extrau. Martini V. atq; Eugenij IV. in fęsto Corporis Christi, ac per omnem Octauam; & in fęsto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis per totam octauam in Ecclesijs tantum, in quibus officium dicitur ordinatum per Prothonotarium Leonardum Nogalorum, eiusq; Missa, quæ incipit. Egredimini; vt apud Nauar. in manual. c. 27. n. 182. patet.

Tertium; quod secundum Paludanum, ac etiam alios, generale interdictum suspenditur in die omnium Sanctorum, & omnium

nium Defunctorum; licet in die Defunctorum, solùm vsquè ad Meridiem.

Nota, quòd falsum est, quòd aliqui dicunt, nimirum quòd quando in fœstiuitatibus, suspenditur interdictum, non extendatur suspensio ipsius vltra vesperas; falsum inquàm est; nam suspensio tenet per omnes horas diei festiuitatis.

Quartum; quòd in dictis festiuitatibus, in quibus generale interdictum suspenditur, nè dum suspenditur, quò ad officium solenne illius diei, sed etiam quò ad omnes alias Missas priuatas, atque omnia alia diuina officia, tàm publica, quàm priuata, tàm ordinaria, quàm extraordinaria. Ex quo patet manifestè; quòd vltrà missam sonlenem illorum festorum, quisque possit sibi facere alias Missas eiusdem festi, vel alterius Sancti, vel (licèt non deceat) requiem pro Defunctis cantare, atq; sollemniter cum apparatu celebrare; quia qui totum dicit, nihil excludit.

Quintum; quòd in talibus temporibus supra notatis, possunt mortui in loco sacro sepeliri cum omni illa sollemnitate, quæ ante interdicti tempus permitti solitum est; illis exceptis mortuis, qui viuentes fuerunt causa interdicti, aut dederunt consilium auxilium, vel fauorem, vel qui specialiter, ac nominatim sunt interdicti?

Quomodò habendus est confessarius ipse, pęnitentem inueniens interdictum nominatim, vel generaliter? 32

Respondeo, quòd non potest eum absoluere interdicti causa durante, maximè cum pœnitens ipse causa fuit principalis interdicti; modo ipsi non immineat periculum mortis; hoc enim tempore, ipse pœnitens, idoneam præbendo cautionem de satisfaciendo parti læsæ per se, vel per suos hæredes, atquè paratus existens Sanctæ Matri Ecclesiæ, ac ipsius absoluentis obediens mandatis, debet absolui, & Deo reconciliari; in mortis enim articulo, nulla est pœnitenti reseruatio.

Aduerte hìc, quod licèt pęnitens interdictus se pęniteat in morte; ac ideò confiteatur, &c. non proindè ipse in Ecclesia sepeliri potest, quin priùs tollatur interdictum.

Notanda item sunt, ad vberiorem doctrinam, alia viginti nouem.

Primò, quod interdictum irregularitatem inducit per celebrationē, tāquā excōmunicatio, & suspensio à solo summo Pontifice, dispensanda. 33

Secundò, quod interdictum etiam iniustum, ligat, modo non sit nullum per tex. Item ligat sontes, atq; insontes, impedit electionem actiuè, & passiuè.

Tertiò, quod vnusquisquè tenetur seruare interdictum, cum scilicet publicè est promulgatum, ac talis obligatio ad obseruandum interdictum, sufficit, quòd quis vicinos sciat obseruare, metropolitanam maximè Ecclesiam.

Quartò, quòd in obseruatione interdicti, probabilis ignorantia excusat, & non oportet, vt quis sit nimis curiosus in sciendo, vel inuestigando, modò non sit nimis diffidiosus, ac negligens, nec etiam oportet omnibus credere, vel paucis. Quia qui citò credit, leuis est corde. Eccl. c. 19. nisi ille, faceret dubium probabile circa ipsum interdictum.

Quintò, quòd omnes Religiosi, quàm Mendicantes, quàm non mendicantes, omnesquè alij Clerici, qui religiosi sunt, ac pro talibus habentur; tenentur interdictum positum seruare; non tamen tenentur seruare interdictum speciale, sed solum generale tantùm, cum scilicet tota Ciuitas, vel locus, vbi sunt, interdicitur.

Sextò, quòd quando aliqua Ecclesia interdicitur, non censentur eius Clerici interdicti, nec è contra.

Septimò, quòd quando aliquis populus interdicitur, non intelligitur Episcopus, nisi priùs eius peculiaris, ac expressa mentio fiat.

Octauò, quòd quando populus interdicitur, omnes, sub eunntes onera, populiquè honores, siuè hi sint Comites, siuè Marchiones, siuè Barones, interdicti sunt: cum censeantur de populo: Secus verò esset dicendum, si tales essent sui Iuris, vel consuetudine, vel priuilegio imperiali, ita quòd in nullo cum vniuersitatis corpore participent.

Nonò, quòd quando in aliqua Ciuitate, vna interdicitur familia, etiam talis familiæ clerici interdicti habentur.

Decimò, quòd quando in Ciuitate, omnes interdicuntur Doctores, erunt etiam interdicti doctores clerici.

Vndecimò, quòd si quis de populo aliquo interdicto banniatur perpetuò, non est amplius interdictus, nisi specialiter interdictus sit, vel interdicti causam dederit; secus si banniatur ad tempus, hic enim hoc de modo de populo esse non cessat. Simili-

militer est dicendum de quocunq; specialiter interdicto, vel qui sit de populo interdicto, taliter, vt fuerit causa interdicti, si hic talis alio se transferat, semper est interdictus, donec tollatur ipsum interdictum. Si verò causa interdicti ipse non fuit, ac omninò de populo interdicto desinit esse, non est amplius interdictus; alij qui Doctores dicunt, quòd iste talis deberet absolutionem exigere, cum verè priùs fuerit interdictus. Et causa totaliter non cessat, quia adhuc populus interdictus remanet, quamquàm non fuerit talis interdicti causa.

Duodecimò, quòd si quis interdictus, ingrediatur Religionem, post professionem, interdictus desinit esse. Si verò ante professionem, de facto ordinetur, licèt non sit ordinandus, ordinatio tenet; licet tamen ad exercendum illum ordinem, petere dispensationem.

Decimo tertiò, quòd interdicto Collegio, siuè Vniuersitate, aliquis postea de Collegio ipso, vel Vniuersitate factus, interdictus pariter existimatur.

Decimo quartò, quòd quando alicuius Ciuitatis ciues extra ipsam habitantes in ruribus ipsi Ciuitati propinquis, & quodammodo contiguis, interdicto populo, vel Ciuitatis ciuibus, ipsi etiam erunt interdicti. Similiter est dicendum de illis, qui quando fuit positum interdictum de populi corpore non erant, venientes postea, & tali populo se adiungentes, incorporantur, ac proindè sunt interdicti sicut populus ipse.

Decimo quintò, quòd quando populus aliquis, est ob longum tempus interdictus, omnes, qui postea nascuntur, ac proindè eumdem populum repræsentant, erunt etiam interdicti.

Decimo sextò, quòd quando aliquibus priuilegia præbentur; puta, quòd non possint excommunicari, eorumq; terra interdici, singularibus concessa Ecclesiasticis personis, vel sæcularibus; non intenduntur ad sententias ordinationum; quoniam excommunicari, ac interdici tales possunt, modò hi, quibus hæc priuilegia fuerunt concessa, non sint Reges, vel ipsorum filij, vel religiosi, non personæ, sed ordinum, aut locorum.

Decimo septimò, quòd nullus interdici potest auctoritate ordinaria, vel delegata pro pecuniario debito, vel qualibet pecuniæ quantitate, aliàs non tenet, nisi accedat expræssa Sedis Apostolicæ licentia.

Decimo octauò, quòd quando interdicitur ciuitas alicuius Principis, de illa intelligitur Ciuitate, quæ verè est sua, vel quòad dominium iudiciale, vel absolutè propria, vel quam ab alio, in Feudum, aut Emphyteusim, tenet; quoniam in illis casibus, ad eumdem, vtile dominium spectat, ac de Ciuitate, quæ ad ipsum pertinet ratione dotis; si quidem maritus, matrimonio durante, verus est vxoris suæ dotis dominus, ac de ciuitate sibi pignorata, si ciuitas ipsa interdicatur. Si verò talis dominus, de nouo ciuitatem acquirat, interdicta non censetur, nisi in iudicis sententia, tàm de ea, quam habet, quàm de ea, quam habiturus est. Verum, quòd si vendit, vel perdit Ciuitatem interdictam, adhuc interdicta remanet, per hoc, quod opus, cum re ipsa transeat; licet tamen apud aliquos videre Doctores; quod quotiescunque ille dominus, illam vendit ciuitatem, vel amittit: libera remaneret ab interdicto; quandoquidem iàm alius, in illam, dominium haberet, qui nullam causam interdicti præbuit.

Decimo nonò, quòd quando apud Sacros Doctores legitur, quod cum interdicitur Clericus: non includuntur religiosi; quia materia est odiosa, quæ non est extendenda; non est quidem secundùm veram doctrinam tenendum; siquidem sub clerici nomine religiosi, religiosæ, conuersi, conuersæ, nouitij, nouitiæ comprænenduntur.

Vigesimò, quòd quando dicitur, quod Ecclesiastica sepultura interdicitur, non est tantum intelligendum, cum defunctorum cadauera in loco sepeliuntur sacro, sed etiam cum in loco non sacro sepeliuntur, sed cum pompa funerali Ecclesiastica; modò locus ille, non sit interdictus sicut ipse mortuus; tunc enim licèt nulla sit funeralis pompa, tamen incidunt contrauenientes in pœnas latas.

Vigesimo primò, quòd quando quis culpabilis existit, puta. Consiliarius, Procurator, vel capitaneus, cuius consilio, vel auxilio latum est interdictum, licet ab ipso recipiatur cautio, non tamen propter hoc, interdictum relaxabitur, nisi satisfecerit principalis; quo satisfaciente, interdictum soluitur, absque alia declaratione.

Vigesimo secundò, quòd omnes (saltem prima tonsura initiati) prohibentur interesse officijs diuinis, tempore interdicti, nisi particulare habuerint priuilegium.

Vige-

Vigesimo tertiò, quòd quamuis omnes religiosi ad obseruationem interdicti teneantur; nullus tamen Prælatus, interdictum inferre potest contra exceptos, atque priuilegiatos directè, vel indirectè, iuxta ipsorum priuilegiorum tenorem, nisi à Sancta Sede Apostolica, expressum indultum habeat particulare. Vndè Prælati, maximè inuigilare debent, circa obseruantiam Priuilegiorum concessorum religiosis à Sede Apostolica, ne fortè contrafacientes, Dei omnipotentis indignationem, ac Sacrorum Canonum pœnas incurrant.

Vigesimo quartò, quòd si is, ob cuius crimen, seù delictum, interdictum positum est, hoc non obseruat, tamen alij seruare debent ipsum; secùs, si ille non custodiat, cuius gratia, ac fauore interdictum existit.

Vigesimo quintò, quòd quando quis celebrat in Ecclesia non interdicta, licet sint ibi præsentes interdicti, ac excommunicati; ac proindè coram talibus celebrando grauissimè peccet, non tamen fit irregularis, sicuti cum in Ecclesia interdicta celebrat; siquidem hoc in Iure non habetur; est tamen tunc iste talis, tanquam ille, qui in oratione communicat cum excommunicato maiori excommunicatione, qui certè excommunicationem contrahit (propter hòc) minorem; quam ob rem certè constat, quòd irregularis non fiat, licet remaneat suspensus ipso Iure, ac non possit ante absolutionem celebrare, & si contrarium faciat, efficitur irregularis.

Vigesimo sextò, quòd illi, qui tempore interdicti extra cimiterium, fuerint sepulti, si in illis signa Contritionis in morte apparuerint, interdicto relaxato, possunt in loco sacro sepeliri; si autem in cimiterio fuerint sepulti non sunt (relaxato interdicto) extumulandi. Aduertere hic tamen poteris, quòd olim (præter Episcopos, & alios Principes) omnes in cimiterijs sepeliebantur particulares homines, sicut nunc temporis omnes sepeliuntur in Ecclesia, alioq; loco sacro.

Vigesimo septimò, quòd si quis auctoritatem minimè habet ponendi interdictum, & illud ponat; vel si habet, in necessarijs differat, ac essentialibus ad validitatem, irritum est, ac nullum, & consequenter non est seruandum.

Nota, quòd vt interdictum sit iustè positum, quatuor resolutiuè, requiruntur: primò, competens præmonitio: secundò, ratio-

tionabilis causa: tertiò, vt causa, publicè sit: quartò, vt sententia, in scriptis fiat cum expræssione causæ; verum tamen est, quod interdum licet ipsum interdictum sit iniustè positum, tamen seruandum est, nisi simul esset inualidum. Præterea Pastoris sententia, siuè iusta, siuè iniusta timenda est, quamquam lator ipse, pœnas positas incurrat.

Vigesimo octauò, quòd quamuis in interdicto sit necessaria admonitio; hoc tamen non est intelligendum sic, vt nimirum quilibet interdicendus, sit admonendus, sed solùm illi, qui interdicti causam dederunt; & hoc est cum ab homine; in interdicto autem à Iure, ipsa Iuris cognitio, pro monitione habetur. Et licet adferendam interdicti sententiam, nulla sit essentialis forma verborum à Iure determinata, hæc tamen quæ sequitur, ab omnibus iudicibus proferri, ac seruari consueuit; nempè. Nos, propter talem, ac talem causam, talem Ecclesiam, vel talem Ciuitatem, Oppidum, Terram, & Casalem interdicimus, vel supponimus interdicto. Vbi nota, quod vt interdicta habeant effectum, debent habere certam verborum formam; quia nuda præcepta de non administrando, interdictum non inducunt; & sic, Prælatus alicui diceret. Nè dicas sacrum, quousq; non sapias ceremonias, vel tibi præcipio, nè in Ecclesiam intras, donec ablata restituas, vel tali reddas id, quod debeas, &c. interdicti effectus minimè haberetur; sed requiritur ad incurrendas pœnas censuræ interdicti, vt his vtatur verbis: interdicimus, interdictum declaramus, vel pronunciamus interdictum: vel vtatur superioribus verbis.

Vigesimo nonò, quòd interdictum, potest poni tripliciter. Primò, ad præfixum tempus, ac determinatum. Secundò, absolutè, ac sinè termino. Tertiò modo, sub aliqua conditione. Sciendum est, quòd sicut vno ex his tribus modis, ponitur interdictum, ita etiam pariter suspenditur, tollitur, vel relaxatur; videlicet, si interdictum est positum ad præfixum, ac determinatum tempus, tali tempore transacto, ac finito, finitur quoquè, ac etiam tollitur interdictum ipso facto, absque vlla Iudicis declaratione. Similiter: cum Iudex, alicui dicit: interdico tibi sacri celebrationem si feceris, vel non feceris, hoc, vel illud, vel aliqua alia conditione; purificata, seù adimpleta conditione, interdictum finitur, absque alia Iudicis declaratione. Quando autem

tem

tem interdictum ponitur absolutè, absque vllo termino, tunc ad tollendum, suspendendum, vel relaxandum ipsum, est necessaria tunc Iudicis mandantis voluntas explicita: vno ex sequentibus, vel similibus verbis: puta. Reuoco, Remoueo, Absoluo, Irrito, vel casso interdictum. Ratio est, quia licet ad tollendam, vel relaxandum interdictum, nulla sit certa, ac determinata forma, vt requiritur in Baptismo, & Confessione, sed tantum, nudo verbo fiat interdicti relaxatio, vel suspensio, tamen debet interuenire iuramentum de parendo Sanctæ Matris Ecclesiæ mandatis, ipsiusque interdictum absoluentis.

De Ecclesia Polluta.

QVot modis polluitur, ac violatur Ecclesia? 33

Respondeo, quod in hoc Sacri Doctores sunt inter se diuisi, aliqui enim ipsorum tenent, quòd in tribus casibus, aliqui verò in quinque, aliqui tandem dicunt, quòd in sex casibus Ecclesia dicitur polluta, ac violata: Hæc vltima opinio meo videri est magis communis inter Doctores, præcipuèque sequuta à Nauarro in c.27. n.259. & primus casus est, cum intra Ecclesiam ipsam, iniuriosè humanus effunditur sanguis: secundus est, quando aliquis publicus excommunicatus ibi sepelitur: quartus est cum ibi sepelitur hæreticus: quintus est, cum ipsa Ecclesia ab Episcopo hæretico, vel excommunicato fuit consecrata, vel benedicta: sextus, & vltimus casus est cum omnes parietes ipsius Ecclesiæ sunt renouandæ.

Quo ad primum casum est inuestigandum. Primò. An extra Ecclesiam. An in eius tecto, vel campanili, vel in ipicu sanguis humanus fuerit iniuriosè effusus? sic enim non censetur ipsa Ecclesia polluta: nec etiam Ecclesia ipsa polluta dicitur, cum quis extra Ecclesiam percussus, intus Ecclesiam fugit ad vitam suam saluandam, licet magnam sanguinis copiam effuderit: at non è contra cum scilicet intus ipsam Ecclesiam percutitur, &c.

Secundò, quòd ad Ecclesiæ violationem requiritur magna sanguinis effusio: quandoquidem parua quantitas, pro nihilo reputatur, vt cum viginti guttæ circiter cadunt; nec sufficit sanguinis effussio, quæ naturaliter è naribus, vel ore profluit; nec

cum

cum occasione lapidis, tegulæ, vel tabulæ de tecto ipsius Ecclesię cadentis sanguis funditur, violatur Ecclesia: nec etiam cum mulier sanguinem menstrualem intus Ecclesiam emittit, dicitur violare Ecclesiam. Nec etiam cum quis aggreditur à furioso, vel à mente, vel alio simili, dicitur violare Ecclesiam, si se defendendo ab his cum moderamine inculpatæ tutelæ, ipsos percusserit vsque ad effluxum sanguinis, vel etiam occiderit.

Est tamen polluta Ecclesia, cum quis ob fidei defensionem, occiditur, seu martyrizatur intus Ecclesiam ipsam, & licet aliqui oppositum doceant, non sunt audiendi; quoniam scelestius est sanctum occidere, quàm hominem scelestum.

Præterea polluta dicitur Ecclesia, cum quis aliquem intra ipsam suffocat, suspendit, vel veneno, alioue medio interficit.

Item; polluta dicitur Ecclesia cum quis existens intra Ecclesiam, lapide, lancea, alijsque armis aliquem occidit, vel saltem vulnerat vsque ad effusionem sanguinis.

Quòad secundum casum pensandum est, quod quorumcunq; animalium brutorum effusio seminis non polluit, nec violat Ecclesiam, & hoc significant illa verba [humani seminis effusio,] ac ideò, vt Ecclesia dicatur polluta, ac violata, debet effundi semen humanum intra ipsam: & hoc fit, à quocunq; homine, siuè laico, siuè clerico, siuè Iudæo, siuè infideli, &c. effundatur.

Polluta efficitur Ecclesia, cum coniuges habent copulam, & hoc siuè per vas naturale, siuè præposterum exerceatur in Ecclesia. Item polluta etiam dicitur, cum in ea committitur Fornicatio, Adulterium, vel Stuprum.

Vbi nota, quòd coniuges licèt sint longo tempore priui copula coniugali, non proindè excusantur in prædicto casu; quanquam nonnulli doceant oppositum.

Quò ad tertium casum est aduertendum, quòd licet sufficiat Ecclesiæ reconciliatio, in qua fuit sepultum excommunicatus, tamen si inter ipsam Ecclesiam fuit sepultus infidelis, præter reconciliationem, requiritur item abrasio parietum ipsius Ecclesiæ.

Porrò multa alià sunt ponderanda super Ecclesiam pollutam præter ea, quæ diximus. Et primò, quòd vt ipsa Ecclesia censeatur polluta, est cessandum à celebratione missarum, & recitatione diuinorum officiorum in ipsa: quousque verùm consecretur,

ac benedicatur, nec est necessaria iudicis sententia, vt ipsa Ecclesia dicatur polluta, sed statim, ac consumatum est peccatum, modò sit publicum, ac manifestum, aut per facti euidentiam, vel per committentis confessionem talis habetur. Secus verò dicendum quando peccatum est secretum, & occultum; quoniam per quamcunq. occultam sanguinis, vel humani seminis effusionem, Ecclesia polluta minimè censetur, quandoquidem Ecclesia, de occultis non iudicat.

Secundò, quòd licet in Ecclesia polluta publicè, haud sit celebrandum, absque vrgentissima causa; tamen si in ea ante reconciliationem, quis Sacerdos, celebrat, non efficitur irregularis secundum veriorem doctrinam, sed solùm mortaliter peccaret, atque ipso Iure, ipsoque facto ab ingressu Ecclesiæ esset suspensus, cum qua suspensione celebrando deindè efficeretur irregularis.

Tertiò, quòd quando Ecclesia polluitur, est etiam pollutum cęmiterium, modò sit coniunctum Ecclesię ipsi pollutę, quoniam magis dignum, minus dignum ad se trahere licet: quanquàm non contra.

Præterea est notandum, quòd si duo cœmiteria muro vnico circumdantur, ac sunt inter se contigua, ita quod inter ambo vna sit porta; quia scilicet ab vno ad aliud itur, violato, ac polluto vno, non censetur pollutum, ac violatum alterum, sicuti nec censeretur per illud cœmiterium, Ecclesia violata.

De Benedictione Ecclesiæ pollutæ.

ECclesia polluta, propter iniuriosum sanguinem, à quo benedici, ac reconciliari debet, vt quis in ea ritè possit celebrare? 34

Respondeo breuiter quatrupliciter, hoc fieri posse. Primò, si Ecclesia polluta, fuit ab Episcopo consecrata, debet per Episcopum reconciliari, ac benedici; hoc enim facere non potest simplex Sacerdos, absq; expressa summi Pontificis licentia, ac commissione, modò aquam habeat per Episcopum benedictam cum vino, ac cinere permistum, formam proferendo, prout in libro Pastoralium, ac ceremonialium habetur.

Secundò. Si Ecclesia fuit tantum benedicta, & non consecra-

ta, possit eam quilibet simplex Sacerdos benedicere, & reconciliare cum aqua benedicta in Ecclesia.

Tertiò, quòd per Iulium Secundum, quilibet religionum Prælatus: puta, Generalis, Prouincialis, Guardianus, &c. pro tempore existentes in suis Ecclesijs, solennitate occurrente, reconciliare eas possunt, priùs aquam per proprium Episcopum benedictam, habitam.

Immò per Leonem X. possunt etiam Prælati ipsi, religionum scilicet, aquam benedicere cum vino, & cinere, sicut Episcopus; tunc nimirum, quando Episcopus ipse est itinere longior duorum dierum.

Quartò, quòd quando Episcopus est infirmus, aliouè modo impeditus, potest licentiam præbere Sacerdotibus, vt ipsi celebrare possint in Ecclesia polluta, vsque ad suum aduentum, vel sanitatem, cum scilicet alteri Episcopo, hanc licentiam reconciliandi Ecclesiam concedere nolit.

De Irregularitate.

35 QVid est Irregularitas, & qui sunt ipso Iure, ipsoque facto irregulares?

Respondeo breuiter, quòd Irregularitas, non est Ecclesiastica censura, vt est excommunicatio, suspensio, atq; interdictum; sed tantùm est quædam macula, siù canonicum impedimentum, quo quis tantum ad Ecclesiasticos ordines promoueri, eosdemq; ministrare non posset; quæ quidem irregularitas multipliciter contrahi potest, nimirùm ex indebita celebratione, vel ordinum executione; vt cum quis excommunicatus maiori excommunicatione, vel suspensus, in loco interdicto celebrat; vel cum quis actum alicuius ordinis, quem non habet, exercet. Contrahitur etiam propter homicidiũ, vel membri mutilationem, siuè opere, siuè mandato, cõsilio, vel defensione, siuè iustè, siuè iniustè hæc perpetrentur. Bigami quoq; omnes; qui vxorem vidam, vel illam, quæ fuit ab alio cognitam duxit, & cognouit eam; vel qui duas habuit vxores, & cognouit eas etiam si alteram earum non poterat habere. Similiter cum quis sacris est insignitus ordinibus, vel post professionem in religione approbata factam, cum corrupta contrahit.

Pro-

Prohibentur quidem Bigami ad ordines promoueri, quia carnem suam diuiserunt, & coniunctio coniugalis per ipsos facta, significare non potest Christi, vel Ecclesiæ coniunctionem, qui vnus est immaculatus sponsus cum vna itidem immaculata sponsa.

Porrò talis Bigamiæ irregularitas, per Baptismum tolli non potest, sicut tollitur irregularitas homicidij; Baptismus enim non omninò Matrimonium tollit. Vndè si coniuges ambo ad fidem conuertantur Catholicam, atque baptizentur, non propterea possunt ab inuicem separari, & cum alijs denuò contrahere matrimonium: imò si alter ipsorum baptizetur alter verò in infidelitate permaneret, & fidelis vellet degere vitam, & cohabitare absq; creatoris iniuria, posset quidem ab infideli discedere, at non posset alteri matrimonio copulari.

Præterea, qui vilem duxit vxorem, puta ancillam coculatricem, vel aliquam ex illis, quæ in publicis spectaculis mancipantur, repellitur iste talis ab ordine propter tantam Clericatus dignitatem.

Illegitimus quoquè propter paterni sceleris detestationem; nam pater turpis, filium generat turpiorem. Item seruus repellitur ab ordinum susceptione, antequam plenariam fuerit libertatem consequutus. Item curialis, nisi priùs à curia absoluatur, obligatus alteri adratiociniæ.

Illiteratus puer, atque amens; Crimen quoque non mediocre, videlicet. Adulterium, furtum, fraudulentia, sacrilegium, periurium, falsum testimonium, ac similia, & si est manifestum per Iudicis sententiam, vel per confessionem propriam, vel propter facti euidentiam, ità quòd Iustificationi non sit locus, inducit irregularitatem.

Infames quoque tàm de facto, quàm de Iure. Corpore vitiati, cum scilicet in eis est inhabilitas ad officium exercendum, vel talis deformitas, quæ scandalum, ac derisionem generaret, vel cum spontè, ac sinè iusta causa; & qui sunt aliquo membro priuati etiam paruo, vel occulto; secùs si iniustè, vel vi priuati fuerint.

Recipientes bis aliquod Sacramentum in anima characterem imprimens indelebilem. Hermaphroditi, propter monstruositatem. Hæretici post poenitentiam. Qui solennem fecerunt poeniten-

nitentiam. Qui vſque ad mortem Baptiſmum diſtulerunt, quem tunc timore mortis, ſuſceperunt. Hi omnes prædicti, per Sacros Canones, ac Doctores, irregulares ſunt ad recipiendos ordines, vel ipſos ſuſceptos, miniſtrandos, quo autem modo talis irregularitas tollatur, vide in Sacramento Ordinis ſupra diſcuſſo.

De Caſibus Papæ ex Bulla Cœnæ, reſeruatis.

36 HAeretici, ſchiſmatici, eorum fautores, defenſores, qui illos item recipiunt; qui eis credunt.

Qui hæreticorum libros ſcienter quouis modo legunt, domi ſuæ habent, imprimunt, vel quoquo modo defendunt.

Qui appellant à Papa, ad futurum Concilium, quiuè hac de re conſilium, auxilium, & fauorem præſtant.

Pyratæ, eorumq; fautores, receptatores, qui item eis auxilium dant, idque ſcienter.

Qui naufragium facientium bona rapiunt, accipiuntuè, aut ab alijs rapta, acceptauè, capiunt.

Qui nouas gabellas, ſeù pedagia imponunt, vel prohibita, exigunt.

Qui literas, ac ſupplicationes Apoſtolicas, ſiuè manu Pontificis, ſiuè eius mandato ſignatas, adulterant.

Qui equos, arma, ferrum, reſq; alias prohibitas ad Infidelium regiones, Prouinciaſuè tranſportant.

Qui ipſos infideles certiores faciunt de rebus ad ſtatum Chriſtianæ religionis pertinentibus, & qui eis conſilium dant.

Qui inuadunt, atque impediunt eos, qui ad Vrbem Romam important res ad victum, & vſus Romanæ curiæ neceſſarias.

Qui perturbant item nè importantur, quiuè defendunt.

Qui, ad Sedem Apoſtolicam accedentes, ac recedentes ab eadem, offendunt.

Qui item iuriſdictionem ordinariam, delegatamuè non habentes, propria temeritate, illos lædunt, qui in eadem curia Romana commorantur.

Quiuè mediatè, ac propoſita animi deliberatione eis ipſis iniuriam inferre audent.

Quiuè talia fieri iubent, ac mandant.

Qui in S.R.E.Card. Prelatoſuè, ac Nūcios, manus temerè iniiciunt.

Qui

Qui item Sedis Apostolicæ legatos, ac Nuncios, ex Vrbibus, Oppidis, ditionibus suis eijciunt.

Qui præterea, hæc ipsa fieri mandant, seù consilium dant, aut auxilium præstant.

Qui per se, aut per alium offendunt eos, qui negotiorum suorum causa ad Romanam Curiam confugiunt.

Qui item lædunt illos, qui in eadem Curia, suas causas agunt, eorumuè iudices, aduocatos, procuratores, negotiorumq; gestores.

Qui prohibent, quo minus literæ Apostolicæ, citationes, mandata, aliaq; huiusmodi, quę à Sede Apostolica emanant, exequutioni mandentur, sinè eorum consensu.

Qui ipsorumdem à Sede Apostolica, quouis nomine emanantium exequutores capiunt, detinet, capiuè, aut detineri, mandant.

Qui vetant, nè literis, mandatisq; Sedis Apostolicæ pareatur, nisi impetrato ante, eorum consensu.

Qui prohibent, nè Notarij de earum literarium, ac mandatorum exequutione instrumenta, actaue conficiant, aut confecta, nè eis tradant, quorum interest.

Quouis modò, qui prohibent, nè quis ob causas suas agendas, vel ob gratias, literasuè impetrandas, ad Curiam Romanam confugiant, nè literas ipsas à Sede Apostolica impetrent, ac impetratis vtantur.

Quiuè, eas ipsas literas, apud se, aut apud alium retineri, audent.

Qui homines Ecclesiasticos, Ecclesiarum Collegia, aut conuentus in fori sui iudicium trahunt, ac trahi iubent, vel quouis modo procurant præter Iuris præscriptum.

Qui Statuta, Constitutiones, aut Decreta quæuis alia faciunt, quibus Ecclesiastica libertas, quouis modo tollitur, læditur, imminuiturque, seù Sedis Apostolicæ Iuri quoquo modo præiudicium fertur.

Qui Ecclesiastica bona vsurpant, surripiunt, & absque Sedis Apostolicæ permissu, sequestrant.

Qui decimas, aut vectigalia quęcunq; hominibus Ecclęsiasticis imponunt, taliaq; ab eis exigunt, exigiuè procurant, aut à sponte dante accipiunt, aut in eisdem assensum, auxiliumuè præstant.

Qui

Qui Laici in causis capitalibus, criminalibusuè, contra homines Ecclesiasticos, se quouis modo intromittunt.

Officiales Laici, ac Prælati, item qui spirituales causas, spiritualibusq; adnexas ab Ecclesiasticis iudicibus auocant.

Qui auctoritate Laicali, literarum, mandatorumq; Apostolicorum exequutionem, causarumuè, ecclesiarumuè cursum, & eos item impediunt, qui ipsas causas exequi voluerint.

Qui item illarum causarum cognitionem sibi vsurpauerint.

Qui statuunt, compelluntque, vt qui literas à Sede Apostolica impetrauit, eas reuocet, & qui efficiunt, vt reuocentur, ac qui illarum literarum virtute, censuris irretiti sunt, ab eis absoluantur.

Qui Peregrinos religionis causa ad Vrbem venientes Romam, in ea morantes, ab eadem decedentes, offendunt, & qui offendentibus auxilium, consilium, aut fauorem præstant.

Qui terras, seu rura S.R. Ecclesiæ, quouis modò occupant, vel inuadunt, aut occupare, inuadereq; audent.

Quiuè occupantibus, vel inuadentibus, auxilium, consilium, & fauorem præbent.

Qui contra præscriptum bullæ peccantes, absoluere temerè ausi fuerint, nisi in articulo mortis, ac tunc præstita cautione de stando S. R. Ecclesiæ mandato, vel satisfaciendo, &c. hactenus de casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, in qua fusius hi videri possent. Et quia quotannis ea renouari posset, curandum est, vt singulis annis, ab ordinarijs, vel alia via inquirendo. An aliquid in ea fuerit innouatum, an non?

Est autem in fine huius tractatus aduertendum. Quòd supra dicitur (ausi fuerint) quoniam si quis ignorantia, obliuione, aut inconsideratione ductus ab eis absolueret, non incurreret in dictam excommunicationem secundum cõmuniorem doctrinam, præsertim per Nauar. c. 27. n. 73. & Caetanum in sum. verbo. Excom. c. 58. & 81. est item aduertendum super illa prima verba huius bullæ, puta (hæreticis) si quidem hæresis, tres habet species: quarum prima est, purè mentalis, & est cum quis solùm cogitat id, quod est contra fidem, absque vllo actu externo operato, à qua, quilibet confessor, potest absoluere; quia S. M. Ecclesia, de occultis, non iudicat. Secunda species est mista, & est cum quis aliquod signum exterius ostendit, sed non expressum;

à qua

à qua solus Episcopus potest absoluere. Tertia species hæresis est completa, & est cum quis pertinaci consensu, ac signo exteriori expressiuo, ostendit talem hæresim; à qua solus Summus Pontifex potest absoluere; præscindendo à casu necessitatis, nimirum articulo mortis; nam in tali casu potest quisque ab alio, præter Pontificem Romanum, absolui.

Sunt autem alia breuiter adnotanda; nimirùm: si quis esset catholicus, & de catholica veritate dubitaret ex ignorantia probabili, vel animi leuitate, non descendens à Fide catholica, sed equidem esset paratus ei assentire, ac pertinacia penitus carens, non esset hæreticus secundum multos Doctores, præcipuè per Didacum Pirez in Rubrica de Fide catholica lib. 1. & per Correrium in pract. de hæres. §. 2. n. 5.

Secundò, quòd si à Summo Pontifice in aliquo prædictorum casuum, vel ab omnibus, tolleretur excommunicatio ipsis adnexa, potest postea confessor quilibet ab eis absoluere, & licet Sotus oppositum docere videatur, dicens: quòd quamuis ab eis excommunicatio tolleretur à Papa, nihilominus ob tantam ipsorum grauitatem, Episcopo reseruata remanent; non est profectò secundum alios Doctores, tenendum; quoniam & si casus ipsi cum excommunicatione coniuncti, grauissimi sunt, & summo Pontifici reseruati; tamen ablata ab ipsis excommunicatione, simplices remanent casus, à quibus confessor quilibet absoluere potest, qui potestatem habet absoluendi à simplicibus peccatis.

Tertiò, quòd multi Sacri Doctores volunt, quòd quilibet confessor, tempore iubilei, non possit à peccato hæresis absoluere, dicentes, quòd in generali summi Pontificis concessione, non veniunt ea, quæ summus Pontifex solet tantum pro se reseruare. Hodiè ex Sacra Congregatione definitum est, quòd toties, quoties à summo Pontifice Confessori facultas conceditur, nimirum ab omnibus absoluendi peccatis, etiam ab eis in bulla Cœnæ contentis, ac etiam hæresis peccatum totiès absoluere potest, quoties contingeret confiteri, modò iudiciale non sit inductum: & quidem optimum remedium est pœnitenti contra talem infirmitatem, vt caueat auxilio diuinæ gratiæ, nè iterum recidat.

Quartò, & vltimò, quòd inter alias excommunicationes summo

mo Pontifici reseruatas, de quibus supra, &c. debent Confessores recordari illius, quæ lata est contra sollicitantes ad turpia in actu confessionis; per quam, vltrà æternam damnationem, grauissima est in hoc sæculo pœna soluenda, vt summi Pontifices in suis Bullis inquiunt: in qua approbatione, vnus sufficit fide dignus.

De Casibus Papæ, in Iure Canonum reseruatis.

¶ *Ex Decreto, ac Decretalibus.*

37 QVi suadente diabolo, id sacrilegij admittit, vt manus violentas Clerico inferat. cap. si quis suadente 17. q. 4.

Item huic rei consilium dantes, & consentientes: cap. mulieres. De excommunicationis sententia.

Est autem aduertendum super hunc casum, ac excommunicationem: quòd quando quis ob talem clerici percussionem est perrecturus ad Papam, tamen ob aliquam causam, non potest; vt sunt impuberes, senes infirmi, pauperes, mulieres, serui, claustrales, similesque personæ, absolui possunt à quocunque confessore; quando scilicet Episcopi copiam habere non possunt, vel alterius talem Episcopalem habentis auctoritatem: hoc docent multi grauissimi Authores præcipuè Innoc. c. 1. de excomm. sent. Syluester verbo Confess. 3. quæst. 6. Sotus 4. sent. dist. 18. quæst. 4. Nauar. cap. 1. n. 57. & infra de pœnit. dist. 6. ex Innocentio.

Præterea est aduertendum, quòd quindecim sunt casus, ob quos, quis clericum percutiens, non incurrit in excommunicationem superius latam.

Primus, quando quis non ex ira, malaque voluntate clericum percutit, sed iocosè, ac lætale committit peccatum de excomm. sent. cap. 1.

Secundus, quando magister, leuiter, causa disciplinæ, clerico facit percussionem: de excomm. sent. cap. cum voluntate cap. fin.

Tertius, quando quis incontinenti vim repellens temperatè de excomm. sent. c. si verò.

Quartus, quando quis percutit Clericum in Laicali habitu ince-

incedentem, quem clericum esse ignorabat c. si verò de excom. sent.

Quintus, cum quis clericum percutit in habitu laicali incedentem, nec aliquid de clericatu ostendentem, si tertiò admonitus non se correxit. c. eodem contigit.

Sextus, cum quis clericus, suo clericali habitu contempto, fert arma, ac tertiò admonitus, non se correxit cap. eodem in Audientia.

Septimus, cum quis clericum turpiter inuenit cum vxore, matre, filia, ac sorore operantem. cap. si verò, &c. nec ille.

Octauus, cum clericus exercet negotia, & tertiò admonitus, non se correxit. De vita, & hon. Clem. c. fin.

Nonus, casus in clericis buffonibus, atq; etiam macellarijs, ac tabernarijs. De vita, & hon. Clem. l. c. fin.

Decimus casus est in clerico coniugato, non ferente habitum, ac tonsuram. Clem. coniugi. lib. 6.

Vndecimus est in turbante diuina officia, quem Sacerdos, vel alius, ad quem spectat, eijcere de Ecclesia potest: de excom. sent. c. veniens, &c. cum voluntate.

Duodecimus est, cum quis ratione officij, quòd in Ecclesia obtinet, clericum percutit, vel etiam cum senior causa deuotionis id faciat, vel Dominus domus, vel consanguinei. Hæc autem omnia, locum habent, cum clerici, in minoribus ordinibus sunt constituti, vt dicto cap. cum voluntate.

Decimus tertius est, si fiat id à Prælato, vel ipsius mandato, non tamen per laicum causa correctionis, vt dicto capite cum voluntate, & cap. ex tenore, at si non fiat causa correctionis, vel per laicum; tàm verberans, quàm præcipiens in excommunicationem labuntur: de excom. sent. cap. Vniuersitatis.

Decimus quartus est, quando Clericus se ad actum prorsus ordinis contrarium transferret, puta in minoribus erat constitutus, ac miles factus est, vel bigamus, ac huiusmodi cap. 84. quisquis.

Decimus quintus, & vltimus est, si clericus depositus sit, aut degradatus: vt de iudicijs c. cum non ab homine: ac de Pœnit. c. de grad. fin. lib. 6.

Est autem sciendum, quod sub nomine clerici intelliguntur Monaci, Religiosi in aliqua approbata religione viuentes, ac etiã

hæremitæ, quando nimirum cum voluntate Episcopi; ac ipsius patenta in hæremis vitam degunt spiritualem.

Clerici, qui scienter, ac sponte in diuinis participant cum excommunicatis à Papa: c. significauit de excommun. sent. Qui scienter in crimine criminoso communicat cum eo, qui nominatim est à Papa excommunicatus c. Nuper de excomm. sent.

Ex Sexto Decretalium.

38 QVi nullo Sedis Apostolicæ concessu, assentitur nominationi Senatoris Vrbis Romæ, aut eius, qui ipsius Vrbis gubernationi præesse debet: c. fundamenta de elect. lib. 6.

Ex Clementinis.

39 INquisitores, ac Sanctæ Inquisitionis ministri, odio, gratia, vel quæstu, aliouè commodo ducti, qui in inquirendis hereticis, sunt negligentes, vel falsò hæresim imponunt: cap. Multorum. Clem. de Hæret.

Religiosi, qui absoluunt excommunicatos à Iure, vel constitutionibus Synodalibus. Clem. de Priuil. cap. Religiosi.

Religiosi, qui non impetrata à Parochis facultate, Sacramenta Eucharistiæ, aut Extremæ Vnctionis ministrant. cap. Religiosi. Clem. de Priuileg.

Religiosi item qui non eorumdem Parochorum concessu, matrimonia solemnizant. c. eodem: vbi supra.

Religiosi, & clerici sæculares, qui alios inducunt ad vouendum, promittendumuè, vt in suis Ecclesijs sepulturas eligant, vel iam electas, nè mutent: cap. Cupientes Clem. de Pœn.

Qui prohibent, quominus publicè excommunicati, ac interdicti, de Ecclesia exeant, quo tempore, Missæ sacrificium exercetur, si eis à celebrantibus denunciatum sit, vt de Ecclesia abeant cap. Grauis. Clem. de sent. excomm.

Excommunicati, & interdicti publicè, si à celebrantibus moniti fuerint, vt de Ecclesia exeant, idq; facere recusauerint, neglexerintuè cap. eodem.

Principes, Illustresq; viri, qui interdicti generalis tempore, cogunt aliquem Sacerdotē celebrare cap. Grauis Clē. de sent. excom.

QVi corpus mortuorum in frusta incidunt, atque in aqua cogunt, vt ossa separent à carnibus, & commodè in alio loco sepeliantur. Bonifac. IV. in Extrau. cap. 1. de Sepul. 40

Qui interdictum ab Apostolica Sede promulgatum violant c. Et si Dominici in Extrau. de Pœnit. ac remis.

Qui aliquid ex pacto dat, aut recipit pro ingressu religionis c. sanè ne in vinea in Extrau. de Symon.

Qui dant, recipiuntuè aliquid symoniacè in ordine suscipiendo, aut beneficio consequendo, qui proxenetæ item fuerint, procuratoresuè, & huiusmodi Symonia committatur. Paulus 2. in Extrau. & si Dominici de Pœnit.

Qui symoniam, symoniacosuè procuratores, aut proxenetas, summo Pontifici, vel ei non denunciant, cui id negotijs ipse delegerit. Martinus V. in Conc. Constantiensi.

Religiosi mendicantes, qui transeunt ad ordinem non mendicantium facultate à summo Pontifice non impetrata, præter quàm ad ordinem Carthusiensium. Paulus II. in Extrau. Cum detestabile de Symonia.

Qui itidem eos in suos ordines adscribunt. c. Eodem, vt supra.

Religiosi non mendicantes, qui in ordines suos, fratres mendicantes recipiunt, non impetrata nominatim facultate à Sede Apostolica. Martinus IV. in Extrau. viam de regularibus.

Religiosi, qui absoluunt excommunicatos à casibus, & censuris, quæ in Extrauagantibus Xisti IV. reseruantur, cuius initium est. Et si Dominici. Extrau. eadem.

Qui asserere audent in hæresim, aut peccatum mortale eos incurrere, qui B. Virginem ab originali peccato præseruatam fuisse dicunt: & è contra Xistus IV. in Extrau. Graue nimis.

Qui libros item, in quibus hoc asseritur, pro veris legere, tenere, habereuè ausi fuerint: in eadem Extrau.

Qui dant, accipiuntuè, premittunt, paciscunturuè aliquid, vt in Curia Romana iustitiam, vel gratiam alicuius rei obtineant; qui item huius criminis reos non denunciant. Bonifacius VIII. in Extrau. de sent. excom. c. 1.

Cardinales, qui Sede vacante, constitutioni de electione Ro-

mani Pontificis præter Symoniam faciendam, contrauenire præsumpserint. Iulius II. in Extrau. c. cum tàm diuinum.

Qui Monasteria ingrediuntur monialium Ordinis Prædicatorum, Franciscanorumuè in casibus non concessis. Bonifacius IX. atq; Eugenius IV. in Priuilegijs vnius, & alterius ordinis.

Qui libellos conficiunt, scriptauè aliqua contra Fratres Ordinis Prædicatorum, ac Franciscanorum. Alexander IV. in eorum Priuilegijs.

Qui negant eiusdem ordinis Fratribus licere eleemosynas quærere, aut prædicare, aut confessiones audire de facultate summi Pontificis, sinè consensu aliorum Prælatorum inferiorum, Rectorum Ecclesiarum, aut Parochorum: idem Alexander, ac Bonifacius IX. in Priuilegijs.

Qui in Monasterijs, Ecclesijsuè suis Apostatas detinent eiusdem Ordinis, nisi illos eiecerint, vbi ipsis denunciatum erit. Idem Bonif. in Priuilegijs, &c.

Qui fratres eiusdem ordinis à consortio vniuersitatis Parisiensis reijciunt, qui violentiam exercent contra loca ipsorum: in Priuilegijs eiusdem ordinis.

Qui ad sepulchrum Domini accedunt, sinè licentia Papæ in lib. Pœnit. vt refert Archiepiscopus Florent. p. 3. tit. 5. c. 30.

Cardinales S. R. Ecclesiæ, qui aliquid patefaciunt in concistorio, vetitum à Papa, vndè aliquid præiudicij, vel scandali nascitur. Leo X. sess. 9. in Conc. Later.

Qui in sermonibus, atque in prædicationibus miracula falsa, incertauè populo denunciant; qui item prophetias, ex Sacra Scriptura non desumptas prædicare audent; Ecclesiæuè Prælatis scandalosè detrahunt. Leo X. in Conc. Later. sess. 11.

Quicunq; per vim, metum, fraudem, aliamuè artem, bona, fructus, aut rura Ecclesiarum, locorumuè piorum, occupant. Concil. Trid. sess. 22. c. 11.

Clerici item qui nefandæ huius fraudis, atq; vsurpationis fabricatores, eidemq; consentientes fuerint. Conc. Trid. vbi supra.

In Extrauagantibus, per declarationem Gregorij XIII. Moniales exeuntes, de claustris, quæ non possunt etiam accedere, vsq; ad ipsorum portam exteriorem: in eodem dantes eis licentiam, eas comitantes, ac recipientes.

Mulieres etiam Ducissæ post huius prohibitionis notitiam, quod-

quodlibet regularium Monasteriorum ingredientes, regulares autem prædictas introducentes, admittentesq; mulieres, sunt ipso iure suspensi à Diuinis, & priuati ipso facto, ab officijs, quæ tunc obtinent, atque ad illa, & alia omnia obtinenda inhabiles, sinè alia declaratione sequutura. Pius V. in Const. Regul.

Impedientes, Prohibentes, molestantesq; personas non impeditas, in Religionem S. Benedicti ingredi volentes, vt patet in bulla dicto ordini concessa, quæ incipit. Et si ad vniuersitatem.

Item in Bulla. Virtute conspicuos. Iulij II. atq; in alia. Quamuis alia Leo X. Et si sinceræ mentis. Pauli II. Claustrales recipientes, aut suæ religionis habitum Fratribus S. Francisci de Paula professis, dantes, sinè summi Pontificis, eorumquè Generalis licentia.

Item in breui. Alias. Leo X. Tertiarij, Heremitæ, mulieres, alijq; Religiosi, habitum S. Francisci de Paula portantes.

Item Fratres ipsi Minimi S. Francisci de Paula professi, trahentes se ab obseruantia, vel obedientia suorum Correctorum, portantes capucium longum præter terminum eis præfixum in Bulla. Cum sicut. Pauli III.

Fratres Minimi, non acceptantes Visitatores missos à Reuerendissimo Padre Generali; fautores etiam. Greg. XIII. vt in bulla eidem Ordini S. Francisci de Paula, patet.

Fratres Minores de Obseruantia, qui in quibusuis electionibus (& ante eas per sex menses) pro se, vel pro alio, subornauerint, vel tales non detulerint Pius V. in Bulla pastoralis officij.

Ibidem etiam: extra religionem, fauorem procurantes ad officium obtinendum intra religionem: hæc excommunicatio etiam ostenditur ad Fratres Minimorum Ordines S. Francisci de Paula à Paulo XV. lata.

De Casibus aliquando Papæ, & aliquando Episcopis reseruatis.

INquisitores, & Commissarij eorum, vel Episcoporum, siuè Capituli sede vacante, qui pecunias modis illicitis extorserint; aut scienter Ecclesiæ bona fisco, etiam Ecclesia, ob delictum clerici, ad iudicare tentauerint. Clem. Nolentes de Hæret. Hic casus, antè satisfactionem, Papæ absolutioni est reseruatus; 41

post satisfactionem verò Episcoporum absolutioni.

Qui effringunt, ac spoliant loca sacra: item Incendiarij. c. conquesti: &c. Titu. los de sent. Excomm.

Notandum, quòd dicitur. [Qui effringunt, ac spoliant.] Quoniam secùs esset: si qui tantum effringerent, vel tantum spoliarent locum sacrum. Vndè si quis locum frangit sacrum, vt quod est intus furetur; facta verò loci sacri fractione statim emendat se, vel absque fractione furatus est, non in talem Papæ, vel Episcopi excommunicationem incurrit, quamuis grauissimum per fractionem ipsam vel furtum ipsum, sacrilegium committat; quia ad talem excommunicationem incurrendam, vterque requiritur actus; puta: frangere, ac spoliare simul.

Quicunque licentiam alicui dederit occidendi, capiendi eum, qui excommunicationis sententiam tulerit contra Reges, Principes, Nobiles, eorumuè ministros, aut eiusdem bona, suosque offendendi, ac illos item, quorum occasione talis sententia lata est. c. quicunque. De sent. Excom. in 6.

Hic si duorum mensium spatio resipuerit, eius absolutio, Episcopo, sin minus, Papæ reseruatur.

De Casibus, solùm Episcopis, in Iure Canonum reseruatis.

Ex Decretalibus.

42 QVi de tertiæ partis Cardinalium nominationi confisus, Papæ sibi nomen vsurpat. Qui ipsum recipiunt. Et qui à paucioribus, quàm à duobus partibus Cardinalium electus, gerit se pro Papa, nisi maior concordia intercesserit: cap. licet de elect.

Qui audent affirmare, ordinationes, ab Octauiano Guidone factas, ratas esse. cap. 1. de Schism.

Mulieres statum Beghinarum sectantes, vel de nouo assumentes.

Religiosi item qui eos admittunt, vel qui præbent consilium, auxilium, aut fauorem. c. 1. de Relig. Dom.

Qui vsurpant Episcopatum in Ciuitate, Diœcesiuè, vbi populi, diuersis linguis vtentes, varios ritus, sub vna fide habent. cap. quoniam de off. ordin.

Cle-

Clerici, Monachiuè, qui accipiunt officium vice Comitis, aut præpositi sæcularis symoniaci, non resipuerint. c. Clerici. Nec Clerici, vel Monachi.

Monachi, extra claustrum, aut officium obtinentes Clerici, licet dignitatem habeant à Senato, & præsbyteri, qui leges audiunt, nisi infra duos menses redierint. c. vlt. Nec Clerici, vel Monachi.

Magistri, scholaresque, qui Bononiæ aliorum scholarium, hospitia durante locatione, conducunt, sinè eorum consensu: cap. 1. de Locat.

Ex Sexto Decretalium.

QVi quempiam Christianum per quoddam genus hominū, quos vocant assassinos, interfecerit, interficiuè mandauerit, quamuis mors non sequatur. Qui eos receperint, defenderint, occultauerint. cap. Pro humanis de hom. in 6. 43

Domini temporales, qui prohibent, nè homines sibi subiecti, quidpiam vendant, emant, aliauè obsequia hominibus præstent Ecclesiasticis. cap. Eos de Immunit. Ecclesiast.

Qui Ecclesias, ac homines Ecclesiasticos compulerint ad Pedagia, guidagia soluenda. c. Quamquàm. De Censibus.

Qui regalia, custodiam, vel titulum aduocationis defensionisuè in locis pijs vacantibus, vsurpare conantes, bona Ecclesiastica, occupant. c. generali de Elect.

Clerici, qui locant domos manifestis vsurarijs, ad fœnus exercendum. c. 1. de Vsuris.

Qui fictione, fraudeuè vtuntur, vt iudex ipse vadat ad mulierem pro testimonio c. mulieres de Iudic. in 6.

Vocati ad dirigendas moniales in electionibus faciendis neque abstinent ab his: vndè in ipsis electionibus, discordiæ oriri possint. c. Indemnitatib. de Elect.

Qui quaslibet personas Ecclesiasticas, ad quas spectat electio in monasterijs, pijsquè locis, aut eorum item consanguineos, quouis modo offenderint, eò quòd eligere noluerint personam, ad cuius electionem inducebantur; c. Sciant cuncti de Elect.

Qui compellunt Prælatos, Ecclesiasticosuè homines, vt Eccle-

sias

ſias ſuas, earum prędia, ruraue ſubijciant c. conſultiſſimè de rebus Eccl. non alien.

Pars, quæ procurat, vt de alijs, quàm de manifeſtis iniurijs, ſeù violentijs conſeruatores ſe intromittant; vel ſuam oſtendant poteſtatem ad ea, quæ iudicialem indaginem requirunt. c. Hæc, conſtitut. de off. de leg.

Domini temporales, ſeù Rectores, vel officiales eorum circa negotium Inquiſitionis, contra hæreticos, deficientes; ac omnes, qui in hoc, dederint conſilium, auxilium, vel fauorem: cap. Vt Inquiſitionis.

Qui in Comclaue ſcriptum, nunciumuè Cardinali cuipiam miſerit, aut ſecretò cum eo loquutus ſit. cap. Vbi periculum de Elect.

Domini, Rectores, alijque magiſtratus Vrbis, Opidiuè, vbi noui Pontificis creatio tractatur; ſi diligenter, aut inuiolabiliter non obſeruauerint quæ ſibi, eo in negotio commiſſa ſunt, ac ſi fraudem commiſerint: cap. eodem.

Qui non impetrata à ſummo Pontifice facultate, nouum religionis habitum aſſumunt, vota nuncupantes, ſimulque in communi viuentes. cap. Vnico de regul. dom. 6.

Qui reuocationem excommunicationis, ſuſpenſionis, interdictiuè, aut abſolutionem extorquent vì, vel metu. c. de eis, quæ vi, vel metu.

Doctores, qui leges, aut medicinam docent religioſos, qui deſopito ſuo habitu, non impetrata à ſuperioribus facultate, ad ſtudia publica ſe contulerunt: cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi.

Ex Clementinis.

44 Monachi, qui inter ſepta Monaſterij, ſinè Abbatum ſuorum conceſſu, arma tenent. Clemen. 1. de Stat. Monach.

Religioſi, qui proferunt aliqua, vt audientes detineant abſolutione decimarum. c. cupientes de Pœnit.

Qui prohibent ſequeſtrationem beneficij à Sede Apoſtolica decretam.

Qui item fructus, ſequeſtri nomine, depoſitos, occupare quouis

quouis modò audent. Clem. 1. de sequestris.

Qui postquàm moniti fuerint, Monialium, Canonicorumuè sæcularium Visitatores impediunt: cap. Attendentes Clem. de Stat. Monial.

Religiosi mendicantes, qui immoderatè habitacula acquirunt, vel admittunt, vel vt conferantur ad alios vsus. Clem. c. cupientes de poenis.

Officiales communitatum, quiuè potestate præditi, vsuras quibusdam statutis, fouent. Clem. de Vsuris c. 1.

Qui gradibus consanguinitatis, affinitatisuè prohibitis, scienter Matrimonium contrahunt; vel cum monialibus professis, quiuè in religione, aut sacris ordinibus constituti, hoc admittunt. Clem. c. 1. de Consang. & Affinit.

Qui in Cœmiterijs, tempore interdicti, casibus à Iure non concessis, quoscunque, aut excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, aut manifestos vsurarios, scienter sepelire audent. Clem. 1. de Sepult.

Religiosi, qui administrationem, Ecclesiasticauè beneficia non obtinent, si decimas Ecclesijs debitas, vsurpare audent, nisi postquàm moniti sunt, intra mensem, desistant, ac satisfecerint Ecclesijs duorum mensium spatio pro damnis, quæ ob id passæ sunt. Clem. c. Religiosi de Decimis.

Religiosi, non reseruantes interdictum positum auctoritate Sedis Apostolicæ, aut à loci Ordinario c. Ex frequentibus de sent. Excom.

Mulieres, statum Beghinarum sectantes, aut quæ de nouo suscipiunt. Religiosi item, qui eis consilium, auxilium, fauoremuè dant. Clem. 1. de Relig. domib.

Ex Extrauagantibus.

QVi Clementinam ad declarationem Regulæ S. Francisci glossis interpretantur: in Extrau. Nicol. apud D. Anton. p. 3. t. 24. c. 69. 45

Qui perseuerant, vel assumunt statum, sectamuè Fraticellorum, Bizochorum, Beghinarum, ac Prælati, qui eis hoc concedunt: in Extrau. Io. 22. c. Sancta Romana.

Qui bona Ecclesiastica alienant, atq; alienata rapiunt, absq;

Sedis Apostolicæ auctoritate. Paulus II. in Extrau. Ambitiosè.

Qui impediunt legatos, Nunciosuè Apostolicos, nè recipiantur, neque ea faciant, quorum causa missi sunt. Io. 22. in Extrau. c. supergentes.

Qui librum, aut quamcunque scripturam imprimi curant, nisi priùs in Vrbe per Vicarium, aut Sacri Palatij Magistrum.

In alijs verò Diœcesibus ab Episcopo, aliouè perito homine, quem is delegerit, & ab Inquisitore, liber, scripturauè comprobata sint. Leo X. sess. 10. in Conc. Later. ac in indice lib. prohib. reg. x.

Ex Concilio Tridentino.

46 DOmini temporales, qui pro duellis committendis, concedunt loca in ditionibus suis pugnantes. Item Patrini duelius spectatores. Qui præterea consilium dant, vel facto, vel Iure. sess. 25. c. 12.

Raptores mulierum, qui item auxilium, consiliumuè dant. sess. 24. c. 6.

Qui ingrediuntur septa Monasterij, non impetrata scriptis ab Episcopo, superioribusq; facultate: sess. 25. c. 5.

Magistratus, qui rogati, auxilium non dant brachij sæcularis, vt Clausura seruetur, sess. 25. c. 5.

Qui homines sibi subiectos, aut alios, quoque modo cogunt, vt minùs liberè matrimonium contrahant.

Sunt, & aliæ excommunicationes non communes, sed particulares, alteri, & alteri inuigilantes diœcesi; proindè pius confessor, curam habeat de his; ac si licentiam non habet absoluendi, ipsam obtineat, nè in aliquam S. R. Ecclesiæ incidat censuram, & sic malè absoluendo, pœnis sit addictus æternis.

Explicit Tertia, & vltima Pars.



LAVS DEO VIRGINIQVE MATRI.

Omnia, quæ in hoc, & in alio Opere diximus, correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ subijcimus.

2-4